ZOOPAIDEIA, SEU MORUM A BRUTIS PETITA INSTITUTIO ORDINE...

Antoine : de Balinghem




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 H
19

Ant. de Balinghem
[illegible] à Bretis
petita [illegible]

ΖΩΟΠΑΙΔΕΊΑ,

SEV

MORVM A BRVTIS PETITA INSTITVTIO

ordine alphabetico

TVM VIRTVTVM, TVM VITIORVM.

AVTHORE

R. P. ANTONIO DE BALINGHEM

Societatis IESV.

Opus non iniucundum, ex Sacris & Prophanis collectum.



AVDOMARI,

Ex Typographia CAROLI BOSCARDI

sub Nomine IESV.

Anno M. DC. XXI.



CANDIDO LECTORI

S. P.



SSE mundum istum magni instar libri, in quo non modò rerum omnium cõditoris tum potentiam, tum ſapientiam, tum bonitatẽ cuilibet quantumuis agreſti homini, atq; inerudito legere liceret, ſed eius item lectione in omni virtutũ genere inſtitui, ſapientes plerique exiſtimarunt. Quod quidem ita verum eſt, vt nulla ita deſpicata, ita puſilla exiſtat creatura, quæ ſi penitius inſpiciatur, non aliquam tradat vitæ rectè gerendæ inſtituendæque diſciplinam. De Gregorio quidem cognomento

Chryſ. Homilia in Pſal. 110. ad verſ. 2.

In eius vita.

Theologo memoria proditum est, solitum illum ex re qualibet moratæ vitæ documenta elicere, atque singula quæ tum audiret tum videret ipse, ad morum informandorum disciplinam conuertere. Quod æmulati, sanè non pauci sunt, qui cùm Christianam perfectionem professi, continenter in virtutum studium incumberent, nullum abire sibi tempus sinebant, quo non ex rerum creatarum consideratione fructum aliquem spiritualem colligerent.

Atque ea est longè vtilissima, & multò facillima ratio eius exercitationis (quæ est de continua Dei memoria) obeundæ, quam quidem tanto studio tum sacræ litteræ, tum sancti Patres enixèque commendant. Verè enim ille & fructuosè Dei meminit, qui ita eum in suis operibus præsentem cernit, vt ex eorum intuitu sibi virtutem inprimis colendam, vitium autem fugiendum ediscat. Verum si res quæuis quam molitus est naturæ author, quanquam vilis & exigua, vitæ est magistra, atque morum institutrix; quantò id vberius

rius

rius atque perfectius res illæ præstabunt, quæ cum perfectiorem sortitæ sint naturæ gradum, propius etiam à suo conditore absunt, cui & virtutum suarum in ijs nonnulla vestigia exstare placuit? Atque vt quo discrimine mortalium generi virtutem tradant, tum res sensus expertes, tum quæ eo instructæ sunt perfectius intelligatur, ita statuo. A rebus vniuersis atque adeò singulis, seu simplices eæ sint seu mixtæ, seu animatæ, seu inanimæ, vitæ atque virtutum documenta per quandam moratam accommodationem, atque factam proportione quadam applicationem duci possunt atque deriuari: verum ab ijs rebus quæ sensibus tum exterioribus, tum interioribus sunt præditæ, non ducitur ista morum doctrina per hanc solum accommodationem: sed ex eo item quod verè ab ipsis exercetur. Quod quidem sic explico.

Terræ intuitu docemur Domino Deo Optimo atque Maximo immobiliter adhærescere, dum eam in centro suo immobilem perseuerare deprehendimus.

At id tantum accommodatione quadam docetur, & rei similitudine, non proprietate, neque enim terra Deo immobiliter adhæret. Verum quam illud ipsum dispare modo, eoque nobiliore docemur à cane leporario, qui Domino suo quem peregrè abeuntem sequitur ita adhæret, vt nulla neque vi, neque metu, neque blanditijs ab eius possit latere diuelli? Canis igitur domino suo, à quo educatur, verè & constanter adhæret; terra autem non domino, at centro suo, neque illi ipsi vero amore cui præit cognitio, sed naturæ pondere coniungitur. Quare longe alià ratione atque efficaciori, docet canis hominem, Deo à quo alitur adhærere, cum ipse prior id vere obeat, quod homines docet. Quăquam id fatendum est, ab animalibus peti doctrinam morum atque humanæ vitæ præcepta, non tantum ex ijs quæ verè obeunt ipsa, sed etiam per accommodationem & applicationem. Exempli causa ex eo quod struthio-camelus ferrum deuoret, eoque nutriatur, docemur dura atque aduersa quæque perpeti, eaque in vsus nostros alimentumque spiritus, atque meri-

torum

torum accessionem conuertere : at doctrina ista non sumitur ex eo quod struthio-camelus id faciat ipse quod docet, (neque enim is aduersa æquo patitur animo) sed sumitur ex quadam similitudine atque applicatione eius quod facit, ad id ad quod docendum accommodatur : sicut enim se habet ferrum ad struthio-camelum, sic se habet aduersitas ad hominem : quemadmodum igitur ille ferro pascitur, ita & hominem conuenit tanquam ferro, rebus aduersis pasci, nedum in ijs deficere.

Atque ex duabus istis quæ brutis insunt doctrinæ rationibus, priorem tanquam naturæ rerum magis consentaneam, neq; ab humana commentatione pendentẽ, tanquam voluptatis pleniorem, denique tanquam maioris efficacitatis toto isto opusculo sumus, pauculis exceptis, secuti: Quam etiam eo studio maiore sumus tradere aggressi, quòd qui id ex professo & paullò fusius, vt argumenti vbertas iure suo postulabat præstiterit, hactenus viderim neminem, cum posteriorem illam non pauci, atque in cæteris optimè atque copiosissimè Frater Ioãnes à Geminiano sa-

In summa de exēplis & similitudinibus.

cri ordinis Prædicatorum prosecuti sint. Scripsere quidē DD. Basilius atque Ambrosius multa, quæ huc pertinent, quæ nostra memoria mutuatus ab ijs est (quod & ingenue agnoscit) Frater Ludouicus Granatensis vir ex eadem sanctissima familia æterna dignus memoria : sed tam illi quam hic angustius quam rei dignitas vtilitasque exigeret ; quamquam amplè satis pro eo quod sibi proposuerant. Id enim ab ijs agebatur, vt præcipuis in medium productis animantibus, Deum earum esse authorem, summaq́ eas prouidentia administrare demonstrarent. Equidem tāti viri imitatione quæ in rem meam faciebant, ab ijsdem Basilio atque Ambrosio (qui quæ prius ille græcè, eadem neque penè aliud hic, latinè reddidit) deprompsi: cætera verò quæ quidem ad historiam faciunt, animaliumque continent mores, ab alijs omni fide longè dignissimis authoribus, quorum nomina plurimùm affero, me mutuo sumere oportuit : vbi enim de historia agitur, eorum standum est auctoritati, qui eam conscripsere, neque propriæ inuentioni locus est vllus : quæ autem anno-

annotationibus continentur, ea ferè priuatum studium sacrarum litterarum, sanctorumque Patrum, assiduaque commentatio expressit.

In quibus quidem vereor ne id minus probetur quod commemorato aliquo brutorum virtutis exemplo, sæpius ingeram pudendum esse homini se ab ea inopem, adeoque brutis deteriorem existere. Verum id feci imitatione sanctorum Patrum, quos supra attuli, Chrysostomi item atque Augustini, qui omnes identidem illud ipsum hominibus exprobrāt. Quin & in ista ipsa re authorem habeo Dei Spiritum, qui tum ad formicam, pigrum, tum incuriosos atque futurorum improuidos Iudæos ad miluum, ad turturem, ad ciconiam amandat. Cur id quæso nisi vt eos sui ipsorum pudeat, dum sese aduertunt, animantibus istis, diligentia, labore, atque futurarum rerum præsensione inferiores existere. Et sanè quod brutorum moribus recensendis spectatur maximè, id est, vt mortales pudore afficiantur, sibi eas abesse virtutes quibus instructa sunt bruta. Cum igitur iste

animi motus, pudor ſcilicet, in primis concionatori ſit commouendus, nemo iure mirabitur ſi vt id præſtet, & quemadmodum præſtet, ei crebrius inculcetur: præſertim cum omnis labor iſte ſcribendi in eius ferè vnius gratiam ſit à nobis ſuſceptus, quò ipſe maxima qua fieri poſsit energia, vi, atque efficacitate, coronam tum ad virtutes expetendas, tum ad vitia declinanda cohortetur.

Ad cohortandum autem, ſi Quintiliano credimus, præcipuè valent imparia. Quare ſi ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferet momenti Horatius & Torquatus, quantum illa mulier, cuius manu Pyrrhus eſt interfectus. Et ad moriendum non tam Cato & Scipio, quam Lucretia, ex qua argumentum conficitur ex minoribus ad maiora. Quẽadmodum & ex exemplis, aut ſimilibus, quæ à brutis ducuntur, ſi exempla ipſa ad hominem accommodentur. Quæ quidem argumentandi ratio ad permouendos animos, ruboreque eum qui audit perfundendum valet in primis: ſi enim ea, quibus eſt rationis vſus à natura denegatus,

iuſtè,

iuste, fortiter, temperanter, prouidè aliquid agant, quam erit indignum eum qui rationis ſit compos, iniuſtum, timidum, intemperantem improuidum exiſtere? Hæc habebam, Candide Lector, *de quibus principio te monendum exiſtimabam, quibus pauca ſubijciam, quæ te legentem fortè remorari poſſent, atque ea ad capita potiſsimum duo reducuntur. Vnum eſt vt oſtendatur nihil in brutis rationis ineſſe, alterum non eſſe incredibilia, verum ſumma fide digna, quæ toto iſto opuſculo afferuntur, quanquam negari non poſsit pleraque de ijs permira exiſtere.*

Ego

EGo infraſcriptus Societatis IESV in Gallo-belgica Prouincialis, iuxta priuilegium à Sereniſſimis Principibus noſtris Alberto & Iſabella eidem Societati noſtræ conceſſum quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant; Facultatem do Carolo Boſcardo Typographo vt librum cui titulus eſt Ζωοπαιδεία, ſeu morum à brutis petita inſtitutio ordine alphabetico tum virtutum tum vitiorum, à R.P. Antonio de Balinghem eiuſdẽ Societatis compoſitũ, ad ſex annos proximos imprimere & liberè diſtrahere poſſit. Datum Inſulis 12. Martij 1621.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

Ego infraſcriptus Societatis IESV Sacerdos, pro facultate à Reuerendiſſ. D. Epiſcopo Audomarenſi conceſſâ, teſtor me librum, cui titulus Ζωοπαιδεία, ſeu Inſtitutio morum à brutis petita, à R.P. Antonio de Balinghem eiuſdem Societatis compoſitum perlegiſſe; eundemque nihil bonis moribus, aut ſanæ doctrinæ contrarium; ſed plurimùm vtilis & iucundæ cognitionis in ſpiritualem animæ vſum continere. Datum Audomari 29. Iulij 1621.

IOANNES GOVBAVLT
Theologiæ moralis Profeſſor.

Luxu-

INTRO-

INTRODVCTIO AD ΖΩΟΠΑΙΔΕΙΑΝ.

§. I.

Bruta neque ratione neque virtute prædita esse, licet vtriusque vestigia in ijs insint.



VISVM est doctrinâ istâ breuiter explicandâ, ad ea quæ consequuntur, animos preparare; tot enim hîc in brutis, tamque alte impressa occurrent prudentiæ, rationis virtutisque vestigia, vt credat quispiã quæ hîc cõmemorabuntur non potuisse ea sine ratione perfici. Quod quidem sensere Philosophi nonnulli apud Plutarchum, & Plutarchus ipse multis istud ipsum confirmat opusculo, cui titulum fecit: quod bruta animalia ratione vtantur. l. 5. de Philosopho. placitis ca. 20.)

Verum à communi tum Theologorũ, tum Philosophorũ sensu nequaquã recedendum est, qui brutis rationis vsum adimunt, ne sibi illum adimant; Eum namque sibi rationem adime-

l. 2. de Anima textu 32 re qui illam ijs concederet, verè est à quodam scriptum. Atque Aristoteles quidem verissimè pronuntiauit, be- Textu 157. stias omnes imaginatione sola, homi, nem vnicum inter mortalia intellectu viuere, quare neque illis fidem neque In l. de memoria cap. 4. persuasionem inesse. Alibi memoriam quidem ijs concedit, non autem reminiscentiam, quam soli homini assignat, quoniam ea est veluti ratiocinatio quædam, cuius capax est solus homo, negatque bestias aut arte, aut inquirendo, aut deliberando operari, sed vult eas sua solo naturæ impulsu ac ductu non secus ac plãtas agere. Quod si ratione, igitur & virtute quoque destituta esse bruta fatendum est, quæ non nisi rationalis naturæ, atque liberæ suarumque actionum dominæ, decus est atque ornamentum.

Quanquam autem vt & ratione & virtute carerent bruta, naturæ authori visum sit; ea tamen vtriusque ceu vestigijs quibusdam placuit exornare. In l. 8. de histor. animal. canibns, simijs, ait Philosophus, & alijs quibusdam cernimus quædam, quæ

sa-

ratione & arte constare videantur. At non arte, sed experimento, imaginatione, & memoria constant, ceu rationis vestigio, & imagine; quippe hæc artis & scientiæ principia sunt. Quod verò de ratione, idem quoque de virtutibus & vitijs asserit, quorum in brutis imaginem reperiri confirmat his verbis: Sunt vel in plurimis cæte- „
rorum animalium, vestigia morum a- „
nimi humani, quanquan hæc in ho- „
mine apertius discernantur. Inest vr- „
banitas, feritas, clementia, acerbitas, „
fortitudo, ignauia, metus, fidentia, ira, „
malitia, atque etiam prudentiæ imago „
inest in multis. Hæc Aristoteles. Ex quibus habetur, quæcumque admirãda in brutis prudentiæ, ingenij, docilitatis, astutiæ, sagacitatis, solertiæ, mansuetudinis, castimoniæ, cæterarumque tum virtutum tum vitiorum argumenta eminebunt, ea omnia non à ratione, sed ab eius vestigio quodam, id est à phantasia profecta, quæ in ijs suprema est facultas: quare meritò dictum suprà ab Aristotele est, sola ima-

Vide ad idem verbo anima. § penultimo in annotionibus numero 7.

ginatione viuere bruta, nón quod eã tantummodo sortiantur, cum sensu quoque ac vegetandi facultate prædita sint, sed quoniam quælibet res eo viuere dicitur, quod in eo est præstantissimum.

Neque verò vt brutis rationem concedamus, nos permouere debet, quod in ijs actiones quasdam cernamus; quæ non videantur nisi à ratione atque discursu emanare, potuisse, nam & in plãtis item videre est quædam opera, quæ quandam illis inesse sentiendi, cognoscendique facultatem arguere videantur. Illæ namque distinguunt succos vtiles ab inutilibus, illosque attrahunt, hos respuunt. Item salutaria prosequuntur, noxia declinant: Quis nescit cucumeres ad terræ vliginem & humorem quo affluentibus irrigari optant, perreptare? contra verò eosdem oleum quod eo perfusi emoriãtur omnino auersari? Vitis verò lauri viciniã refugit, quòd hæc sua caliditate illius incremento officiat. Brassicam denique odit vitis, quod illa terræ succum cu-

cuius hæc eſt egens exhauriat; Omittor abores quæ maris, & feminæ nomine deſignantur, quæ vt ſibi fæcunditatem aſciſcant ſeſe mutuo complectuntur. Quemadmodum igitur nemo niſi ruſticè impius (eam enim opinionem quæ arboribus plantiſque ſenſum impertit, ruſticanam impietatem vocat Auguſtinus) plantas ſentire dixit, ſic nemo niſi mente captus, & brutis accenſendus, eis rationis vſum cōceſſerit. *l. 6. de Quantit. animæ c. 33.*

Et quemadmodum quod plãtæ inutiles ſuccos reijciant, vtiles attrahant, ſanus quiſque negabit prouenire id ex aliqua facultate ſenſitiua aut cognoſcente, quæ in ijs inſit; ſed id docebit ex virtute attrahente, & expelleute, quæ citra ſenſum omnem & cognitionem, altrici animæ famulantur, profectum. Quemadmodum etiam proſecutio illa aut fuga circa ſalutaria, aut noxia ex natiuis plantarum viribus & latenti antipathia, ac ſympathia oritur (nullo ad id præeunte ſenſu aut notitia): Ita conſtanter tuendum eſt quæ-

cumque in brutis, prudenrer, iuſtè, fortiter, amicè, atque ex ratione, & virtute facta eſſe videantur, ea non rationis, ſed phantaſiæ, ſed experientiæ, ſed memoriæ (vt ſupra etiam Philoſophus) fructus exiſtere.

§ 2.

Quamobrem ſint brutis ab authore naturæ impreſſa rationis ac virtum veſtigia.

Hom. 12. ad popu.

CHryſoſtomus in ea eſt ſententia vt exiſtimet indidiſſe Deũ naturales brutis mores, vt hos quidem imitemur, hos vero fugiamus. Exempli cauſa, vt formicæ diligentiam atque ſedulitatem ſequamur, aſini vero pigritiam atque inertiam declinemus. Et quemadmodum laborioſa res eſt apis, ac proinde tibi imitanda, ſic pernicioſa aſpis: malitiam igitur illius auerſeris, ne audias illud: Venenum aſpidum ſub labijs eorum. Impudens quoque canis, odio rurſum habeas hãc improbitatem. Doloſa & fraudulen-

ta vulpes, ne vitium imiteris.

Idem ſapienter monet imitandam eſſe Chriſtiano apẽ, quæ floribus inſiſtẽs, nõ omnia quæ in ijs ſũt legit, ſed ea modò, quæ ſibi, propoſitoque ſuo commoda exiſtunt: ita & percurrendum animo brutorum genus, ab ijſque ſi quid vtile eſt ſumendum; quos autem habent à natura exceſſus, eos cuique, Dei ope, proprioque liberi arbitrij conatu corrigendos. Omnia igitur optima, inquit, à brutis capiens ijs circũamiciaris; etenim es irrationabilium rex: reges autem, ſi quid eſt in ſubditis optimum, ſiue aurum, ſiue argentum, ſiue lapides pretioſi, ſiue ſumptuoſa veſtimenta, hæc cum ſuperabundantia ipſi poſſident. Chryſoſtomo aſſentitur Ambroſius, atque vtrique Cornelius Ianſenius, qui agens de formicarũ diligentia, atque prouidentia ſic loquitur. Ab ipſis diſcendam vel tandem & diligentiam & prouidentiam, quibus ob id Deus naturæ author talem dedit naturam, ſicut & alijs animalibus alias dedit quaſdam agendi prie-

l. 5. Hexã. c. 23.
ad cap. 6. Prou.

prietates, vt ex ijs homo doceretur & ad imitationē prouocaretur. Hæc ille.

Hom. de Iudicio Dei.

Diuus denique Basilius postquam miram brutorum inter sese consensionem inde ortam quod illa regum suorū imperijs obtemperant, proposuisset, eam ipsam, inquit, isto tempore ab optimō Deo, docendi nos causa, corrigendique exhiberi, foreque vt eadē in magno illo ac formidabili nouissimi iudicij die ad ignominiam, & condemnationem nobis obijciatur si auersati fuerimus disciplinā. Ita Basilius Magnus. Neque enim ad vsum tantū corporis nostri, atque vt illi in exterioribus rebus famularētur, verū etiam ad animi vsū condita sunt bruta, vt eorū perspectis moribus, si boni quidē essent atque laudabiles, hominē eorum regē puderet ijs carere bonis quibus serui sui essent instructi; si verò mali essent atq; vituperio digni, puderet item se eorum qui se tāto essent inferiores, esse similē.

Atque eò factum, vt tum Deus ipse, tum Christus, non semel brutorū exēplo, animis nostris ad virtutis studium,

vitijque

vitijque fugã instituẽdis vsi sint, Deus quidẽ per Hieremiam Iudæorum imprudentiam, oscitantiamque proposita eis brutorum prudentia vehementer arguit, vt & per Isaiam eorumdem erga se bonorum omnium largitorem, immemorem animum, allata tum bouis, tum asini stupidissimorum brutorũ gratitudine, multis castigat. Christi vero istud ipsum actitantis nota sunt exempla. Quis enim ignorat ista de euangelio: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & tamẽ pater vester cælestis pascit illa. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporũ.* Neque erubescit, inquit Chrysostomus, scriptura, animal rationis honore donatum brutorum discipulum facere; cum enim ex scripturis virtutem discere renuat, neque doctoribus aurem accomodet, eum ad bruta ablegat: quemadmodum & patri familias vsu venit, qui filium aliquem suum natu grandiorem verbis castigaturus, ei filiorũ suo-

c. 8.

cap. 1.

Mat. 10

Hom. 8. in Mat.

Hom. 12. ad popul.

ſuorum, qui eo ætate minores ſunt, exemplum proponit, vt eo perſpecto, illum pudeat pigeatque ſe puerulis iſtis virtute atque morum honeſtate cedere.

Dei porro atque Chriſti Domini imitatione, idem eſſe à ſanctis Patribus factitatum, huius libri lectione planũ fiet. Atque idem ego pro modulo meo, quanquam non pro rei dignitate conatus sũ præſtare; feci tamen quod potui, plura vtinam communi bono potuiſſẽ. Et quemadmodum cohortatur ſuos
c. 12. 7. 8. Chriſtus, vt ſint prudentes, ſicut ſerpentes, ita & toto iſto opere aliud nihil inculcatur, quam illud ſanctiſſimi Iob: *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cæli indicabunt tibi: loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabũt piſces maris*: vt qui iſta leget, varijs brutorum tũ virtutibus, tũ vitijs perſpectis, illas quidem amet, æmuleturque, hæc vero oderit, atque diffugiat. Quod quidem eo conſilio factum eſt, quoniã perſuaſum ſemper habui, planam admodum, atque facilem, tum etiam efficacem

ficacem esse rationem istam virtutes docendi, vitiaque dedocendi. Scripturam enim sanctorumque patrum authoritatem fortè plus reueretur vulgus, quam intelligat. Rationes verò quæ virtutibus persuadendis afferuntur, vt est imperitum atque rude, nisi admodum sint faciles, atque è triuio petitæ minimè capit; sed tunc quia triuiales minoris fiunt, neque animos feriunt. Præcepta quoque simplicia, siue ab scriptura sacra, siue aliunde deprompta: exempli causa: simplex ista præceptio (*estote prudentes*) minus afficit imperitam multitudinem (qua tota concio constat) neque vtpote aculeo destituta vehemētiore, animos peruadit. At si præceptioni isti: (*estote prudentes*) addatur istud: (*sicut serpentes*) tum denique permouentur qui audiūt; cōtinet enim tunc implicitam quamdā exprobrationem, quâ vehementer afficitur, atque pudefit ingenuus auditoris animus: quasi ita dicatur: Pudeat à brutis ipsis ratione destitutis, quin & à serpentibus vili animantium genere,

atque

atque diuinæ maledictioni obnoxio, prudentia superari. Et quanquam inter cetera argumenta, quæ ad concitādos animos adhiberi solent, ea quæ ab exemplis ducuntur magnam habeant vim, id tamen fatendum est ea quæ ab animalibus petuntur, multo id efficacius præstare, mentesque cōmouere vehementius quā ea quæ ab hominibus. Hominem homini confer, allataque cuiuspiam heroïs fortitudine, aut temperantia, aut castimonia, concionem cohortare, eadem vt sequatur; parum quidem te effecturum experientiam ipsam testem aduoco. Verùm si expertes rationis animantes in medium proferas, quæ easdem virtutes coluere, quæ prudentiæ, grati animi, liberalitatis, iustitiæ laude floruere, has certè ipsas virtutes ei, qui te audit, nisi brutis sit ipsis deterior, facile persuaseris. Quod si de fugiendis vitijs sermonē institues atque auditorem allato quopiam præstantis viri facto ad certi vitij fugam incitare conaberis, spondere nolim te quidquam promoturum, At si bruta

ipsa

ipsa ab isto vitio abhorrere, atque intemperantiæ, iniustitiæ, libidinis, auaritiæ capitales esse hostes demonstrâris, rem confeceris: Quis enim se brutis ipsis peiorem esse velit? Quis se nõ asinum, non vulpem, non leonem, non viperam, non vrsum, non pantheram modò, sed his ipsis omnibus inferiorem esse patiatur? Maneat itaque vehementissimum esse istud atque efficacissimum cohortandi, increpandique genus, quod à brutis ducitur, quod etiã supra est demonstratum.

§ 3.

De fide ijs quæ toto isto opusculo traduntur adhibenda.

CVm existant plerique tam ab omni humanitate alieni, tamque humanæ fidei aduersi, vt nisi oculis suis, non credant, quodque alij se vidisse sanctè affirment, fastidiosi reijciant; ideo facturum me operæ pretiũ existimaui, si tum ijs, tum eorũ consimilibus incredulis ea proponerẽ, qui-

quibus quæ deinceps afferenda sunt, authoritas aliqua conciliaretur. Ac principio quidem nihil toto isto libro proferetur quin id sit à grauissimis, fideque dignissimis authoribus profectum, Diuis scilicet Basilio, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino potissimum: atque inter prophanos, Aristotele, AEliano, Plinio (qui ex duûm millium voluminum lectione sua collegit) Athenæo atque Oppiano, ceterisque antiquis scriptoribus. Præterea id tenendum est, ad diuinam prouidentiam (quæ nulli quantumuis minimæ reculæ, in necessarijs deëst) spectâsse, vt quando bruta ad sui conseruationem varijs egeant operationibus, quæ ad rationem proximè accedunt, cuius tamen ea esse expertia volebat, aliâ quapiam viâ inopiam istam expleret, atque in ijs eas imprimeret propensiones, motionesque naturales, talemque impertiret phantasiam, tamque perfectam, vt istis adiuta præsidijs, eadem præstarent, ac si forent intellectu prædita.

Quæ causa fuit cur Diuo Thomæ

visum sit bruta esse Dei instrumenta, à quo tanquam à principe causa ad ea perficienda agantur medijs hisce inclinationibus, quæ sui conseruationi sunt opportuna. Igitur in hisce, quæ 124r.
occurrent, admiratione dignis, & quæ ait 1.
fidem, vt videbitur, excedant, non tàm in id animal quod agit proximè, quàm in Deum, à quo mouetur ipsum, intuẽdum erit, qui non tantum istorum operum author est atque effector, verum etiam finis, cum ea omnia ab ijs effici voluerit, non modò quod ita naturæ eorum congruat, sed etiam vt gloriam, laudemque inde à mortalibus colligeret, vt potentiam suam, sapientiam, bonitatem, liberalitatem, ceterasque suas perfectiones mundo notas faceret, quæ quidem eò consequitur amplius, quò sunt magis admiranda ea, quæ per bruta ista operatur. Quibus rebus duabus id efficitur, vt nihil eorum quæ hic cõmemorabuntur supra fidem videri debeat, quando tum efficiens causa, Deus scilicet, tum finis, qui est diuinæ gloriæ manifesta-

tio

tio, iſta eò reddant fide digniora, quò plus in ſe admirationis continent, & quò mortalibus Conditoris gloriam, atque magnitudinem teſtatiorem faciunt.

Deinde author eſt Ariſtoteles brutorum operationes hominum operationibus quam ſimillimas, quòd ea quæ ab his ad ſui conſeruationem, eadem ab illis ob eumdem finem perficiãtur, idque confirmat exemplo induſtriæ atque artis, quæ in nidorum ſuorum exædificatione ab hirũdinibus adhibetur. Quemadmodum enim qui ex argilla murum attollunt, ei ſubactæ ad firmitatem paleas commiſcent, ita & hirundines feſtucas luto, vnde ſibi nidum conſtruunt, ob eamdem cauſam aptè coniungunt, cæteraque omnia ita moderantur, atque componunt; tamque appoſitè tum ad incubandum, tum ad oua ponenda, tum ad pullos excludendos educandoſque, vt nihil aptius, nihil artificioſius quantumuis peritus artifex moliri poſſit. Atque idem in Elephante, atque Caſtore cernas licet, quo-

quorum ille dum ſe ab inſequentibus premi videt arctius, neque effugij locum eſſe vllum dentibus ſibi euulſis (quos probè nouit à venatoribus expeti) atque quà tranſituri ſunt relictis, vitæ ſuæ conſulit: ille verò ſibi dentium miniſterio reſectis virilibus, quod ob ea teneat ſe peti, hoſtium inſidias euadit. Quæ eadem ab hominibus fieri quotidie videre licet, qui partis alicuius iactura, membrique abſciſſione corpus vniuerſum, atque adeò vitam ſuam tuentur.

Ex quibus efficitur brutorum actiones, cum hominum actionibus admodum conuenire, quod ſupra aſſertum ab Ariſtotele eſt: Quanto igitur cum ijs congruent magis, atque ad eas accedent propius eò erunt etiam ex mente quidem tanti Philoſophi, fide digniores. Quod contra in multis accidit, qui eò minus aſſentiuntur ijs quæ de brutis commemorantur, quò ea magis humanam rationem æmulari perſpexerint. Verum ij ſunt de vulgo, atque plurimum imperiti, quibus om-

nia admirationi ſunt, quæ & incredulitatis mater eſſe ſolet. At quibus datum eſt ſupra vulgus caput efferre, ij cum Philoſopho norunt maximam inter brutorum atque hominum operationes affinitatem intercedere. Tenent ij à phantaſia, quæ ſupremum in brutis locum tenet, tranſitum proximè fieri ad intellectum nulla alia interpoſita facultate, eſſeque phantaſiam rationis initium, veſtigium, & quoddam quaſi rudimentum. Tenent quemadmodum inter vicinos accidit, vt vix agros ſuos confines dignoſcant, ſic & inter vicinas facultates quales ſunt imaginatio & intellectus, tantam eſſe operationum ſimilitudinem vt vix internoſci poſſit vtrius ſint extremi, vt author eſt idem Ariſtoteles, & vtrum ad imagi- *l.8. de hiſt.* nationem an potius ad intellectũ pertinent.

Quarto, quæro ex te, potueritne an non potuerit, ea quæ dubitas circa brutorum actiones efficere Deus ſine intellectu? At cur ea non potuerit is qui eſt omnipotens, & cum poſſit hominem

ſine

ſine pane ſuſtentare, ſupplereque panis inopiam; cur non poſſit item ſupplere inopiam rationis per phantaſiam atque naturales propenſiones? ſi concedas potuiſſe, cur inficiaris id ab eo re ipſa factum, quod factum, tot, tamque locupletes teſtes memoria prodiderunt; quibus ſi fidem denegas, fidem humanam omnem concidere neceſſe ſit?

Quintò quàm ſũt multa quibus hactenus fides abrogata, quæ eadem, iam fidem poſt tot ſæcula inuenerunt: non quod veriores ad ea perſuadenda, ſed notiores, & recentiores teſtes adhibiti. Quis in hunc diem id credidit quod narratum ab AEliano, Cynocephalos ab AEgyptijs doctos literas, præterea ſaltare & tibiam inflare; & citharam pulſare; tum verò vnum quempiam ex ijs mercedem Domini ſui nomine ſcitè petere, inſtar vafri alicuius mendici, quodque daretur à circumſtantibus, in marſupium quod ferebat congerere? Quis, inquam, his adhuc aſſenſus eſt? At ijs fidem conciliabit quod certis l. 6. cap. 10.

authoribus, oculatisque testibus compertum, certisque nuntijs & litteris perlatum, esse nimirum in Peruana prouincia simias, quibus tanta cum istis hominibus intercedit familiaritas, vt cum ijs pro argento colludant, atque vbi eos vicerint, vna cum ijs tabernam petant potus causa, cuius pretium hospiti ex lucro lusione parto numerant. In Guinea verò quæ est Africæ pars, existere item simias, quæ instar famuli in pila tundant quæcũque in eá imponuntur, quæ aquam à flumine in hydrijs domum capite deferant ita tamen vt vbi primum domus fores attigerint, ilicò hydrijs exonerandæ sint, alioqui eas excidere: casuque isto frangi, atque tum clamoribus ac fletu cõplere vniuersa. Neque ista modò sed plurima item alia obire de domesticis ministeria. Visuntur præterea in Molucis psittaci qui rostro dominis suis blandiuntur, ijsque barbam tonsoris instar pectant.

ex litteris P. Ioannis Ardenois Societatis Iesu.

P. Iarric Tom. 3. l. 1. c. 44.

P. Iarric. Tom 1 l. 2. c. 28.

In Italia autem centum circiter annis antequam illi visendi elephantem facultas data esset, habita sunt fabulo-

sa. quæcumque de istius belluæ tum ingenio, tum docilitate, tum memoria, tum prudentia tum cæteris virtutibus ferebantur, quæ eadem non tantum postquam elephantem vidit credita sunt, verum & à Pierio scriptum, quæcumque in illud tempus de elephanti virtutibus tradita essent, quamquã planè admiranda, ea ipsa multò esse inferiora ijs quæ à se essent in eo coram perspecta; Quam multa item hactenus eorum quæ narrat Plinius in anilibus fabulis sunt habita, quibus iam nouus orbis, quæque in eo sunt reperta, fidem conciliarunt.

Sextò, Augustinus vt fidem faciat narrationi quã affert de ceruis, qui agmine facto ita maria trãsnãt, vt capitibus suis super præcedentis tergo depositis, se mutuò subleuent, ait à quibusdam eos id factitare visos, neque enim (subdit) de illis aliquid tale scriberetur nisi antea videretur: Quam Augustini sententiam ad ea quæ hic commemorabuntur astruenda valere quis non videt? Quæ vniuersa & visa esse ne- *In Psal. 41. initio.*

que aliâs fuisse futurum vt scriberentur, pari fide licebit asserere. Cui enim bono essent ista nisi vera à grauissimis viris, posteritati commendata? Quid inde præmij, quid laudis se consecuturos sperabant, si figmentorũ suorum somniorumque narratione legentibus illuderent. Historicos quidem qui aliorum res gestas conscripsere, aut odij aut amoris affectibus plus nonnunquam iusto indulsisse, communis est multorum querimonia. At quis hîc aut amoris aut odij affectus locum habeat, vbi non de hominum virtutibus aut vitijs, sed de brutorum moribus agatur.

Septimò, Vna ex potissimis rationibus ob quam minus tibi probabilia videbuntur quæ hic afferentur hæc est, quod ea brutorum vires superare videantur, neque eorum intelligas rationem, neque quemadmodum ab irrationali perficiantur ea opera, quæ tãtam rationis facultatem arguant. At tibi fatendum est longè esse plurima in rerum natura, quæ neque tu neque

alius multo te ſagacior, ſolertior atque c. 39. 1
acutior, capere poſſit, hicque valet illud, quod Deus ad Iob: *Nunquid noſti tempus partus Ibicum in petris vel parturientes ceruas obſeruaſti? Dinumeraſti menſes conceptus earum & ſciſti tempus partus earum?* Cuius generis conſimilia fuſè perſequitur capitibus tribus, vt mortales, quam ſint exiles humani ingenij vires doceat, neque eum qui corporea iſta non aſſequuntur, oportere ad occulta Dei iudicia penetranda cõtendere, quod quidem viſus erat Iob facere voluiſſe. cap. 38. & 39 & 40.

Præterea ſi tu ijs omnibus fidem abrogas quorum non capias rationẽ quẽadmodum fiant, ea pariter quæ in cõſpectu tuo ſunt, quæque inficiari nequis, inficianda erunt. Dic ſi noſti cur formicæ nouilunio non laborent, plenilunio verò noctem & diem laborando exigant? Dic cur gallus ſtatis cantet noctis temporibus? & qua ratione quantum ſol curſu progreſſus ſit, cognoſcat? Quis ei monitor horarum interſtitia denuntiet, vt ſciat & quando canen-

canendum, & quando silendum? Dic quando norunt pisces ij, qui ad mare Aquilonis sub æstatem transeunt, eò sibi demigrandum? Quis ijs ea annuntiat loca? Quis eos simul omnes ad dictam cogit diem, ita vt ne desit quidē vnus? Dic quà docilitate ingenij discant Elephanti, atque equi ea perficere quæ vix ab homine perfici possent, quæque ab ijs perfecta nemo nisi impudens diffiteri possit? Sed eiusmodi sciscitandi non sit finis, cum infinita sinu suo rerum natura foueat, quorum rationem ne summo quidem ingenio præditus quispiam excogitare valeat.

Vide verbo Gratia.

Extremum hoc subijciam responsum ex Augustino qui cum nonnulla de renouatione tum aquilæ tum serpentis attulisset, hæc subdit: siue illa vera sint fratres quæ dicuntur de serpēte vel quæ dicuntur de aquila, siue sit fama potius hominum quam veritas, veritas est tamen in scripturis, & non sine causa hoc dixerunt scripturæ: nos quicquid illud significat faciamus, & quam sit illud verum non laboremus.]

In psal. 66. in fine.

Ac

Ac paucis interiectis: vetuſtatem tuã „
in petra conteras, & ſi quæ tibi ſimili- „
tudines datæ fuerint, ſi inueneris in „
ſcripturis crede: ſi non inueneris dici „
niſi fama, nec valde credas. Res iſta „
fortè ita eſt, fortè non eſt ita. Tu pro- „
fice, tibi valeat ad ſalutem iſta ſimili- „
tudo. Non vis per iſtam ſimilitudinem, „
per aliam fac, dum tamẽ facias.] Quibus omnibus docet Auguſtinus non anxiè quærendum ſubſit necnè veritas aut ſimilibus, aut exemplis, quæ ad mores rectè componendos afferuntur, ſed id vnum ſpectandum eſſe, vt ea fiant, aut ab ijs abſtineatur, quod aut faciendum aut fugiendum ſimilibus iſtis atque exemplis docetur. Quæ Auguſtini verba non eò ſunt à me allata; quo dicendorum fidem aut eleuem aut de eorum certitudine, dubitationem aliquam legentibus ingeram (ſtant enim ſtabuntque quæ paulo ante poſui firmamenta veritatis) verum vt tanto Doctore diſcamus id nobis potiſſimũ cordi eſſe debere vt quæ in brutis recta eſſe laudeque digna, certis authoribus

cog-

cognouimus, ea ipsa moribus nostris, actionibusque exprimamus. Atque is sanè mihi tum finis tum fructus, hoc opusculum animo concipienti propositus fuit: primum quidem vt me ipse in brutorum exempla attentius intuẽtem, quæ recta sunt ante omnes docerem, atque ad eadem præstanda commouerem, ne audirem illud Apostoli:
Rom. 2. 21. *Tu qui alios doces, te ipsũ nõ doces*: & ne postquam alijs prædicassem, ipse re-
1. cor. 9. 27. probus efficerer: tum vt alijs qui hæc lecturi sunt aut audituri, idem vt face-
c. 27. 9. rent author essem, cum iste omnis fructus Isaia teste vt auferatur peccatum, & quod inde consequitur, vt animis virtutes, morumque honestas altius imprimatur. Sed ad rem Deo duce pijque lectoris orationibus freti aggrediamur.

ACCEPTIO PERSONARVM

§ primus

FVGIENDAM accep-tionem personarum docent bruta quæ sui generis animantes quaslibet [1] pari prosequuntur beneuolentia amorisque signis, neque maiores inter & pusillas, pulchras aut deformes, nobiles aut ignobiles vllum faciunt discrimen.

ANNOTATIO.

1. *Pari &c.*] Istud perspicuum fiet ex ijs quæ afferenda verbo Charitas.

§. 2.

IDem discant licet parẽtes [1] à cor- *Ambros.*
nicibus quæ æquali [2] in filios suos *l. 5. he-*
feruntur amore, volantesque illos *xam. c.*
sedulo insequuntur comitatu, atque ne *18.*
teneri fortè deficiant, solicitè vniuersis cibum suggerunt; neque hunc curant

rant despecto altero.

ANNOTATIONES.

1. *A cornicibus.*] Quod ait Ambrosius de cornicibus, idem asserere licet de volucribus cæteris, atque adeò animantibus vniuersis, quæ quoad parentum tum affectum tum officium tum studium, nihil inter filios discernunt, neque hunc fouent, istum deserunt, sed æqualiter omnibus parentum exhibent officia atque viscera. Et vt lo-
Hexam. quitur Ambrosius: nesciunt illæ odia
l.6.c.4. nouercalia, neque nouerũt præferre filios posterioris copulæ, superioris autẽ negligere, norunt pignora sua, nesciũt charitatis differentiam, odiorum incentiua, offensionum discrimina, sic enim omnia temperauit Deus, vt quibus minus rationis daret, plus indulgeret affectus.

2. *Æquali &c.*] Quod quidem à parentibus, filijs non præstari, neque sese illos erga hos æquabiliter habere grauissimis hisce verbis queritur Ambrosius. Quis inter naturæ fraterna consortia

Fra-

fratres, impares fecit? vnius diuitis filij diuersa sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis adscriptionibus inundatur, alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Nunquid natura diuisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit quod ad nascendi atque viuendi possint habere substantiam: Ipsa vos doceat non discernere patrimonio quos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, non debetis his vt id communiter habeant in quod à natura substituti sunt inuidere. Hæc Ambrosius. Quæ quidem à parentibus obseruanda videntur, vbi ijs aut lex, aut consuetudo de primògenitorum iure nihil officit: difficilè enim dictu est quot malorum dissidiorumque inter filios seminarium sit inæqualis illa bonorum partitio, quæ eadem Reipublicæ non parum officere videtur, priuatorumque paci, dum quibus filijs census relictus exiguus, hunc ipsi prauis artibus, raptu, præda, itinerum obsessione, viatorum

torum cæde exaggerare nituntur.

Quin & parentibus nè se hunc è filijs suis præ illo plus amare præ se ferāt, adeòque nè peculiari benefacto aliquo id prodant cauendum vehementer; Neminem enim latere existimo quam esset fratribus suis inuisus Iosephus, de quo ista sacer textus; *Israel diligebat Ioseph super omnes filios eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* En quemadmodum tum patris amor in Iosephum, tum peculiaris illa vestis, quæ illum à fratribus discriminabat, in ijs inuidiæ flammam excitarit. Quid igitur miraris (exclamat Ambros.) si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter Iacob sancti filios exarsit inuidia? atque præclarè monet idem Ambrosius non alio officio vllo consulturum magis parentes filijs, quos impensè supraque cæteros diligunt, quam si illis fratrum suorum

Gen. 374.

l. de Ioseph. c. 2

rum

rum amorem beneuolentiamque concilient, nocereque illis admodum amorem patrum si prælatio vnius cæteros ab affectu germanitatis auertat: Sed præclaram eius orationem præstat audiamus: plus inquit acquiritur filio cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Iungat filios æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura; lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est.

ADVERSITAS.

§ I.



VID sit eius tempore faciendum docet 1 Echinus marinus, quem cum fluctus vehementiores atque procellæ ad terram deuoluere, atque è mari funditus propellere violenterque allidere solitæ sint, ipse eius periculi metuens vi-

tæ ſuæ vt prouideat, vbi primum tum mare concitari ventis, tum procellas imminere ſenſerit, ſpinis quibus totus obuolutus eſt, minutiorem aliquem calculum colligit, vt eo ſe firmet, ac quodammodo 2 libret, 3 ſtabiliatque contra procellas ne earum vi in ſiccum propellatur.

ANNOTATIONES.

l. 5. Hexam. c. 9. 1. *Echinus.*] Echinus animal eſt exiguum, inquit Ambroſius, vile ac deſpicabile, quod plerumque index futuræ tempeſtatis, aut trãquillitatis nuncius ſolet eſſe nauigantibus; Spinis inquit De hiſt. anim. l. 4. cap. 5. Ariſtoteles vtitur perinde ac pedibus, ijs enim nitibundus mouetur, ſedemque permutat. Idem ait Plinius, qui & addit: ingredi ijs eſſe in orbem volui, itaque detritis ſæpè aculeis inueniri.

2. *Libret*] Quemadmodũ ſaburrâ librametum datur nauibus quò firmiores exiſtant.

3. *Stabiliatque.*] Huius exemplo monemur aduerſitatis quam venti procellæque ſignificant, tempore, non noſtris nos librare viribus, ſed alieno

lieno niti nosque stabilire pondere ac præsidio. Docemur inquam Christum veram petram, verumque lapidem angularem tollere, eique firma spe inhærere; qua nixi fultique ita firmabimur vt nos nulla aduersitatum aut tentationum procella quamlibet sæua deijciat. Quod quidem cum Sancti omnes experti sunt, tum præsertim diuus Paulus cuius quamquam in vitæ discrimine constituti ista est oratio. *Scio quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem & subministrationem spiritus Iesu Christi secundum expectationem & spem meam quia in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper, ita & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitā, siue per mortem.* Hæc diuus Paulus quæ velim à Concionatore, adhibito interprete sigillatim & per partes expendi, vt quātæ is in Deum spei fuerit concio planius perfectiusque intelligat. Licet etiam per calculum istū accipere Christi Domini vitæ præclarissima exempla; atque maximè patientiæ eius sin-

Philip. 1. 10. 20.

gularis, mortis tempore exhibitæ, quà quidem nihil eſt quod magis aduerſo tempore, flanteque Borea hominem confirmet: quis enim aſpiciens in authorem fidei & conſummatorem Ieſum qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, ſe loco ſuo, leui aliquo aduerſitatis flatu moueri patiatur? quis recogitans eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem doloribus fatigetur, animoque rebus in malis deficiat? Quis denique audiens ſuos ipſummet Chriſtum recenſentem dolores, atque nos ad eorum recordationem lugubri iſta oratione inuitantem: *Recordare paupertatis & tranſgreſsionis meæ, abſynthij & fellis*. Atque iterum: *O vos qui tranſitis per viam attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Quis inquam dum hæc aliaque eius generis audit atque perpendit, non lubens cũcta quibus premitur aduerſa tolerat, atque aduerſus impatientiæ fluctus ſeſe conſtans obfirmat? ſibi nimirum conſcius nondum ſe ad ſanguinem vſque re-

Hebr. 12. 2.

Thren. 3. 19.

Thren. 1. 12.

restitisse, neque esse ea quæ tolerat ipse, multorum etiam reus peccatorum, simulachrum aut vanam vmbram eorum quæ Christus Dei filius insons licet atque innocentissimus perpessus est. Efficiet item consideratio ista vt cũ Apostolo gloriari queat ac dicere: 2. cor. 4. 8.
In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur sed non destituimur, persecutionem patimur sed non derelinquimur, deijcimur sed nõ perimus. Et quis id miretur quando is sese tamquam spiritualis Echinus, calculo, lapilloque illo qui est de monte sine manibus excisus, Christo scilicet medijs in fluctibus, aduersitatumque procellis constabiliat, cum se sciat sibi nixum minimè sæuientis auræ flatu periturum, atque se non Echino modò, sed quauis etiam spuma gracili quæ à vento circumfertur, multo esse infirmiorẽ? Daniel. 2. 34. Sap. 5. 13.

§. 2.

1 AB apibus idem discamus licet, quibus cum non rarò sit necessè aduerso volare vẽto,

calculum [2] pedibus geſtant, quo ſe iſto quaſi fulcro & fundamine quodã, contra auræ flatus ſtabiliant.

ANNOTATIONES.

1. *Ab apibus*] Ita Ariſtoteles lib. 9. de hiſtoria animal. cap. 40. AElianus lib. 1. de animal. cap. 11. Plinius hiſt. natur. lib. 11. cap. 10.

2. *Pedibus.*] Quidam (ait Plinius) in humeros eum imponi tradunt.

Cæterum tam iſta apum, quam ſuperiore Echini induſtria, docetur præterea infirmiores atque ij quibus ſeſe contra potentiores quoſque, eorumque vim, tuendi vires nõ ſuppetunt, ad eos ſe adiũgere, eorumq; ſibi amicitiã conciliare, quorum præſidio atque ope ab hoſtibus tuti ſint: eſt enim (vt præclarè Sapiens) *amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurũ.* Quin & theſauro maius quid inueniſſe ſe is credat: quod enim non valet efficere theſaurus, neque quantalibet auri argentique copia, efficit amicus: Quare meritò ab eodem ſapien-

Eccleſ. 6. 14.

te additum. *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* versu. 15.

§ 3.

VT & ab ijs animalibus 1 quæ in igne læta degunt; cuius generis sunt 2 Pyrogoni, volucres in igne genitæ, quæ & in igne viuunt, aluntur que, atque huc illucque volitant, 3 itaque igne gaudent, vt si inde exeant, extinguantur; 4 Salamandra verò licet ex igne non nascatur vt Pyrogoni, ignem tamen audet aggredi, eumque expugnat, cum tactum extinguat, non aliter quam glacies.

ANNOTATIONES.

1. *In igne.*] Esse ignem aduersitatis Hieroglyficum clarius est quàm vt pluribus explicetur, indicatq; illud de Psalmo: *Transiuimus per ignem & aquã & eduxisti nos in refrigerium.* Psa. 65. 12.

2. *Pyrogoni.*] De quibus AElian. lib. 2. cap. 2. & Plinius lib. 11. cap. 36. quos ipse Pyrales seu Pyraustas vocat,

atque naſci illos quadrupedes ac pennatos ex medio igni, in Cypri ærarijs, fornacibus, vbi ignis eſt vehemẽtiſſimus, eſſeque maioris muſcæ magnitudinis affirmat.

3. *Itaque igne gaudent &c.*] Huiuſmodi etiam extitere non pauci, tum priſca Patrum, tum noſtra memoria viri Sancti, quibus tam erat amicus aduerſitatis ignis, atque tribulationum æſtus vt niſi eo viuere non poſſent. Teſtis glorioſus Martyr Ignatius cuius iſta eſt oratio. Vtinam fruar beſtijs quæ mihi ſunt paratæ: Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Chriſto fruar. Nemo profectò inuentus eſt vnquam, qui cibum, aut potionem, aut victum, cultumque corporis; cæteraque quibus mortalis iſta vita continetur, ardentioribus expetierit votis, quàm hic tribulationis variorumque dolorum ignem, cruciatumque expetat, quaſi ſine illo vita omnis illi eſſet acerba futura,

Epiſt. ad Rom.

Teſtis item alter Ignatius Societatis Ieſu ſecundum Deum auctor àtque Parens, de quo memoriæ proditum eſt à *Ribadeneira*, poſtulaſſe atque impetraſſe illum à Deo gratiam iſtam, vt aduerſa multa magnaque pro Chriſti amore pateretur: Nam cum reliqui ſocij ſeparati ab eo eſſent, & quietiſſimè ſæpè viuerent, ſimul atque beatus Ignatius ijs ſe adiungebat tempeſtas aliqua contra omnes, & perſecutionis procella excitabatur. Nempè Ignatio, viro ignito tribulationis ignis erant delitiæ, ſolatium, quies, vita ipſa, atque cum id nactus erat quod tum eius nomini (Ignatius enim ab igne) tum imprimis animo ignis ſitientiſſimo congrueret, quieſcebat tandem. *l. 5. vitæ, c. 10.*

Teſtes innumeri Martyres quorum tam incenſa fuere deſideria, acerba quæque pro Chriſto patiendi, vt niſi igne iſto non ſatiarentur. Teſtes denique ij, quibus cum per Martyrij gloriam non concederet Deus in igne verſari, alterius generis ignem, voluntarias ſcilicet corporis caſtigationes adhibere,

hibere, quo quidem facto satis testati sunt sibi sine igne viuere non licere.

4. *Salamandra.*] De ea AElian. l. 2. cap. 31. & Plinius lib. 10. cap. 67. qui ait eam esse animal lacerti figura, & stellatum, nunquamque nisi magnis imbribus prouenire & serenitate deficere.

5. *Ignem aggredi.*] An non ignem aggressus S. Ignatius Martyr, qui dæmonem ipsum & quicquid ignis tormentorumque haberet ipse, in certamen vocauit, vt paulò antè vidimus.

§ 4.

EIusdem rei nobis sint magistri pisces, ij potissimũ 1 qui in alto versantur continuò, cuiusmodi sunt ceti, quamquam ab eorum singulis idem discere liceat quâ 2 salso vtũtur potu.

ANNOTATIONES.

1. *In alto.*] Esse altum, seu profundum aduersitatis symbolum docent multi loci è Psalmis.

Psa. 68. Psal. 129.

2. Salso.

2. *Salso.*] Quamquam ſalſedo illa piſcibus grata ſit, eſt tamen homini ingrata, quod ſitim excitet, quod linguam aſtringat, atque mordeat, quod interiora ſiccet, cum ſit ſal naturæ igneæ; quibus rebus efficitur, vt ſal ad aduerſitatē ſignificandam ſit accommodus.

§ 5.

NEque verò huius magiſterij eſt ſtruthiocamelus expers quod 1 ferro veſcatur, quod 2 lapides deuoret, quos in 3 omaſo diu aſſeruatos concoquit poſtmodum.

ANNOTATIONES.

1. *Ferro.*] Id colligitur ex Plinio infra, & Cardan. 10. de ſubtilitate diſertè aſſerit, quod ad animantis iſtius vehementem calorem atque ventriculi craſſitudinem refert.

2. *Lapides.*] Ita AElianus lib. 14. c. 7. Plinius autem libro 16. cap. 1. ait Struthionem ſine delectu obuia quæque deuorata concoquere. Eſſe autem lapides ob duritiem & grauitatem ad-

uerſitatis

uersitatis symbolum, ex se patet, quos quidem deuorat is atque adeò concoquit qui ex aduersitate sibi spiritus cibum, meritorumque accessionem cõparare didicit.

3. *Omaso.*] Omasus tertius est venter eorum animalium, quæ cum minus ore cibum conficere possunt, ijs natura plures assignauit ventres, quibus sensim cibus cõficiatur, talia sunt cornigera, & ferè aues. vide Arist. libro 3. de partib. animalium cap. 14.

§ 6.

HIs adde quæcumque, 1 veneno vescuntur animalia, in his sunt 2 coturnices, quibus veneni semen gratissimus cibus, & 3 capræ quæ venenis pinguescunt, & 4 sues quæ 5 cicuta licet se ad saturitatem cõpleuerunt nihil læduntur.

ANNOTATIONES.

1. *Veneno*]. Esse venenum quod mortem adferat significãdæ aduersitati aptum, perspicuum esse existimo.

2. *Cortu-*

2. *Coturnices*] Ita Plinius lib. 10. c. 23.

3. *Capreæ.*] idem l. 10. cap. 72.

4. *Sues.*] Auctor AElian. l. 4. c. 23.

5. *Cicuta.*] Quæ tamen est homini efficacissimum venenum, adeò vt si de ea biberit, sanguis ei quasi conglaciet ob veneni frigiditatem nimiam, & eatenus concretione spissus fiat, vt ei sit moriendum, licet item ex isto discrimine, sues inter atque hominem, colligere quàm se aliter habeant in aduersitate constituti viri probi atque improbi, quod enim his venenum, illis cibus est, & quo nutriuntur illi atque pinguescunt, occidunt isti atque intereunt; nimirum vt plumbum fornace perit & consumitur, aurum verò purgatur nitescitque magis, sic & improbi aduersitatis igne ad nihilum redigũtur, cum eo probi splendeant magis, omni scilicet ab ijs peccatorum rubigine scoriaque detersa.

ADVLTER. ADVLTERIVM.

§ I.



DVLTERIVM fugiendum docet [1] viperæ maris murenæque mutuus complexus, qui adulterium quoddam eſt naturæ, cum vipera ſerpentini ſit generis & terram incolat, murena verò maritimis beſtijs accenſenda ſit, habeatque vipera ſui generis [2] femellam.

ANNOTATIONES.

1. *Viperæ complexus.*] Quemadmodũ vipera è mari ad eum perficiendum ſibilo edito Murenam quaſi ſponſam appellet. vide AElianũ lib. 9. cap. vlt. & l. 1. cap. 50. Docere autem illegitimũ iſtum thorum, adulteria fugienda tradit Baſilius dum ita auditores ſuos cõpellat: Diſcant ij qui alienis inſidiantur nuptijs cuinam reptili ſint ſimiles. Id enim mihi vnum eſt cordi, id vnum propoſitum vt incontinentium hominum

Hom. 7. in Hexa.

num

num perturbationes tam à mari quàm à terra ſumptis exemplis caſtigatæ ſedentur. Eadem ferè Ambroſ. nolite inquit quærere viri alienum thorum, nolite inſidiari alienæ copulæ. Graue eſt adulterium & naturæ iniuria. Duos primum Deus fecit, Adam & Euam, hoc eſt virum & vxorem : & vxorem de viro, hoc eſt de coſta Adam, & iuſſit ambos eſſe in vno corpore & in vno ſpiritu : Quod vnum ſeparas corpus, vnum diuidis ſpiritum, naturæ adulterium eſt, ſed hoc docet Murenæ & Viperæ non iure generis ſed ardore libidinis expetitus amplexus. Diſcite ô viri cuius ſerpentis ſibi aſciſcere cupiat adulter contubernium, cui etiam cōparandus ipſe ſerpenti ſit. Hæc ferè Ambroſius. *l. 5. in Hexam. cap. 7.*

2. *Femellam.*] De qua iſta AElianus lib. 1. cap. 24. Viperæ fæmina poſt maris complexum ei ad collum adhærens morſu abſcindit caput, itaque ex viperino complexu hic perit, illa verò prægnans efficitur: ſed patris mortem vlciſcuntur fætus, qui parentis matris alium

uum diſtrahunt atque lacerant. Obſeruare hic licet in mare vipera libidinis pœnam.

§. 2.

QVanto ſit dignum odio adulterium, quãtiſque ſupplicijs vindicandum docent [1] Palumbes à quibus adeò coniugalis colitur caſtitas, vt nunquam alienum cubile attingant, quod ſi id libidine capti attentét facere, eos reliqui circumſedentes, marem quidem mares, fæminas verò fæminæ [2] diſcerpunt: Eadem caſtimoniæ lege vtuntur & turtures, & albæ columbæ, niſi quod hæ mare perempto, fæminæ parcunt.

ANNOTATIONES.

1. *Palumbes.*] Ita AElianus lib. 3. c 44.

2. *Diſcerpunt.*] Mirus ſanè naturæ ſenſus atque ab eadem inſitum hiſce animalibus iſtius vitij odium cum ab ijs morte plectitur. Quod autem illud idem

idem homines morte vindicent longè eſt minus admirandum, cum ad id vi legum teneantur. Sacrilegos (lex eſt Conſtantini) nuptiarũ gladio feriũto. *Cod. ad legem Iul. de adul. l. quamuis 30.*

Verùm quis hiſce animantibus id præſcripſit legiſlator? Quis Conſtantinus decreuit? Id itaque ab ijs fit natura duce, quod vix ab hominibus præſtatur tot licet legum inſtitutis ſanctionibuſque admonitis.

§ 3.

NEque verò quæ inter ipſas cõtingunt adulteria oderunt ſolum animantes, atque vlciſcuntur, ſed etiam quæ ab hominum genere committuntur, cuius rei fides ex ijs quæ mox afferẽtur conſtabit. [1] Cũ audiſſet adultera mulier in Sicilia, coniugem ſuum peregrè reuerti, adulterum ſecretò quodam domus loco abditum occultat, neque quidquam ſibi cauet à [2] canicula quam domi alebat, patiturque eam latebrarum locum videre, atque intereſſe dum ſtupratorem ſuum

eo

eo concludit. Sed ecce dum omnia tuta esse existimat, [2] canicula tum locũ illum allatrando frequenter, tum pedibus fores pulsando, conuellendoque, coniugi suspicionem inijcit probabilem, mali quidpiam ibi latere; Quare loci illius effractis foribus, adulterum comprehendit.

ANNOTATIONES.

1. *Cum audisset.*] Huius historiæ vt & sequentium author est AElianus lib. 7. cap. 25.

2. *Canicula.*] Obserua hîc quam miro atque inusitato modo detegit Deus adulteria: quærit quidem adulter tenebras, quas cum nactus est: *Quis me*
Eccles. 23. 26. *videt* (inquit) *tenebræ circumdant me & parietes cooperiunt me, & nemo circũspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus*: & vt
c. 24. 15. Sanctissimi Iob verba vsurpem: *oculus adulteri obseruat caliginem dicens, non me videbit oculus, & operiet vultũ suum*: verum frustra operit vultum, frustra sectatur tenebras, non intelligit miser

quo-

quoniam oculi Domini multò plus lu- *Eccles.*
cidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpi- 23. 28.
cientes omnes vias hominum & pro- 29.
fundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia ſunt agnita, ſic & poſt perfectum, reſpicit omnia. Penetrat, atque peruadit omnia lynceus ille diuinitatis oculus, cui nihil eſt impenetrabile, nihil inſcrutabile, à quo tenebræ non abſ- *Pſ.* 138.
conduntur, cui denique nox vt dies illuminatur, & ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Neque verò ſatis id Deo eſt vt adulteria ipſe intueatur quantumuis abdita, ea ipſa etiam palam eſſe vult, ad idque brutis ipſis vtitur adminiſtris, quemadmodum hîc factum conſtat.

§ 4.

1 CIconia in Crannone Theſſaliæ cũ heram ſuam à coniuge peregrè profecto domi relictã cũ famulo conſuetudinem habere intel-

lexiſſet, non tulit tantam in Dominũ ſuum perfidiam, ſed mox facto in adulteræ coniugis oculos impetu, eam excæcauit, ſicque iniuriam in Dominum vlta eſt.

ANNOTATIONES.

1. *Siconia.*] Author AElianus lib. 8. cap. 20.

2. *Oculos.*] Zaleucus prudentiſſimus Locenſium Legiſlator, adulteros oculorum ſenſu orbabat: & ſapientiſſimè quidem vt illos ea parte corporis plecteret, quæ eis facnioris iſtius committendi occaſio fuiſſet: nam vt præclarè Iuriſperiti: Inſpicienda eſt origo delicti, & cauſa faciendi quæri debet non factum; ab incauto enim curioſoque aſpectu omnis ſceleris iſtius origo ducitur, quod quidem perſpicere licet in Dauide, in Holoferne, alijſque quàm plurimis. Oculi ſunt lenones, inquit Lucianus, & prima amoris via: Amoris ſunt principium, teſte Platone: amoris ſedes ſi Philoſtrato credimus. Et præclarè Baſilius: præuius

l. ſi quis in ſeruitute, ff. de furtis.

ac pronubus oculorum iactus est eius, cuius manus ministræ sũt tactus. Quod vt Christus facto ipso planum faceret, cum adducta ad eum muliere paulo ante in adulterio deprehensa, ex eo quærerent Pharisei, quid de ea statuendũ iudicaret: ipse (ait sacer textus) digito scribebat in terra, oculos nimirum ab ea auertens, eosque in terram defigens, quo tum circumstantes tum in primis adulteram doceret, ab oculorum libertate, vagoque intuitu, nec satis cauta eorum custodia, adulterium istud profectum esse. Verè ab Ambrosio dictum. Ipsi nobis oculi nostri retia sunt, ipsi nobis vincula nectimus: sicut legimus, quia vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Verum nihil mirum esse, ista omnia à sapientissimis viris tum sancita, tum animaduersa. Ad stuporem autem vsque admiremur licet, ea ipsa videri animantem rationis expertem perspexisse, oculosque potissimum sibi quos impeteret, Zaleuci more atque instituto, ex vniuerso corpore delegisse, quod ab ijs in-

l. de virginitate.

Ioan. 8. 8.

lib. de pœnit. c. 13.

temperantia omnis ista, veluti à fonte primoque principio ortum duxisset.

§ 5.

ELephas quidam in India nutricij sui vxorem cum adultero inuentam cornibus transfigit atque interficit, quod idem cum adultero fecisset, ambos in lecto reliquit, vt domum regresso nutricio suo, tum nefarium facinus istud detegeret, tum se eius ipse vindicem indicaret. Penè idē Romæ contigit Tito imperante, nisi quod hîc non ambos modò ab elephāto occisos, sed & stragula veste ab eo post cædem tectos, nutritioque aduenienti ab ijs reiecta stragula adulteros lecto iacentes commonstratos memoriæ proditum est? Quo quidem facto, tum etiam viso cornu quo illos confixerat elephas, quod adhuc cruentum seruabat, planè intellectum ab hero nō ab alio quam ab elephanto iniuriam istam vindicatam.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Transfigit.*] Occurrunt duo hic potissimum obseruatione dignissima: Vnum est quàm verè de adultero dictũ à Spiritu Sancto: *Vbi non sperauit, apprehendetur.* (*sperauit*, positum pro *timuit*) Num sibi perditi isti adulteri ab elephanto timebant? Num sibi ab elephãto cauebãt? cauebant quidẽ sibi ab hominibus, atque à domesticis potissimũ, quos nequitiæ suæ testes nullo pacto esse voluissent: at à bruto quis hominum vbi de re agitur quæ rationis postulat vsum, quale est peccatum, sibi vnquam cautum voluit, cauendumque duxit? Verũ ab eo à quo nullus eis terror, mors terribiliũ omnium terribilissima est illata, atque iuxta Sapientis oraculũ: *Vbi non sperarũt, apprehensi sunt.* Ecclef. 23. 30.

Alterum est quàm vigilat Deus, quã is incumbit in huius flagitij vindictã, cum ad eam etiam brutis vtatur, ideò fortè quod homines in ea exercenda, leniores molliores que animaduertat, quam tanti tamque vsitati facinoris tũ

indignitas, tum atrocitas commereantur. Quid enim adulterio magis obuiũ? Quod autem isto scelus maiori impunitate cõmittitur? Quinam amabo in iudicibus illud morte mulctant, quod ijs tamen à lege præscriptum? Quinam potius illud non dissimulant? In illo non conuiuent? quasi non de eo scelere ageretur, quod Deo, hominibusque imprimis est exosum, quod Reipublicæ inimicissimum, quod priuatorum paci, atque domesticæ quieti contrariũ, quod filiorum certitudini aduersum, quod variorum furtorum origo est, dũ paternæ atque auitæ hæreditates ad spurios, illegitimosque transferuntur? quæ mala vniuersa aliaque plurima, quæ non est huius otij recensere, nisi auertat Iudex qui ad id ex officio suo tenetur, quis ea auertet? Pudor, Ethnicos Principes vehementius in facinus istud exarsisse quàm Christianos Iudices. Alexander quidem cognomento Magnus, cum accepisset Damonem, & Timotheum Macedones externorum quorumdam militum vxoribus stuprũ

Plutar. in eius vita.

in-

intulisse, ad Parmenionem scripsit, sub quo illi merebant, vt de tota ea re cognosceret, & si ita sese rem habere certis argumentis deprehenderet, eorum morte tantum scelus expiaret, extremoque eos supplicio, tanquam feras hominum generi calamitosas afficeret.

Adulteros Alexander quamquam idololatra punit, quos eosdem Christi sacris initiati Iudices impunitos dimittunt. Verum maiori adhuc his pudori probroque est quod bruta ipsa de tam enormi scelere supplicium sumunt, vt proximè vidimus, & constat ex historia superioris sæculi, quàm hic subijcio. *In triũpho castitatis die 4. cap. 7.* Cum quidam coniugis suæ pertæsus prostibulum adijsset, atque in equum ad ædes suas reuersurus conscendisset tantis agi furijs, incitarique cæpit equus vt eum in terram abiecerit, ita tamen vt altero pede equi freno irretitus implexusque adhæresceret. Quo ita irretito dum equus præcipiti cursu huc atque illuc per viam lapidibus stratam ferretur, tanto miserum impetu ad saxa allisit vt ei caput frangeret, cerebrũ-

que ei è capite dissiliret, nec prius cõstitisse visus equus, donec effusis habenis attigisset rursus prostibuli locum, ante cuius fores impium adulterum vita priuatum reliquit, vt constaret omnibus tam insolentem tamque improuisam mortem adulterij commissi esse mercedem. O quàm verè de adulterij pœna dictum à Sapiente est: *Hic in plateis ciuitatis vindicabitur*, publico nimirum de eo & in oculis ciuium omniũ sumpto supplicio, quod quidem dũ homines facere negligunt, legesque suas impunè violari, & tanquam aranearum telas à validioribus muscis, sic isti à potẽtioribus quibusque perfringi patiuntur, non id sanè negligit Deus, & quod hominum deest inertiæ oscitantiæque, in tanto vindicando crimine, facit vt à brutis ipsis expleatur.

Eccles. 23.

§ 6.

SEd omni admiratione superius est quod de 1 Porphyrione traditur, nihilque omninò existit quod odium

dium in adulteros teſtatius faciat. Accuratè hic vxores quarum abeſt vir obſeruat: quod ſi cum ijs ſtuprum fieri cognouerit [2] ſe ipſe ſtrangulat.

ANNOTATIONES.

1. *Porphyrione.*] Volucris eſt quæ tũ formæ pulchritudine tum nominis excellentia animalibus excellit, inquit AElianus l. 3. c. 42. De eo Ariſt. 4. l. 8. c. 6. qui ait eum vnicum inter aues bibere morſu. Quod idẽ traditur à Plinio l. 10. c. 46. qui eum addit cibum omnem aqua ſubinde tingere, deinde pede illum ad roſtrum veluti manu afferre.

2. *Se ipſe ſtrangulat.*] Quod facere ſanè videtur tum vt marito adulteram prodat, tum dolore & triſtitia tam immanis criminis: Quam enim aliã cauſam fingas? Ita videmus quotidie bruta ob rem aliquam triſtem, quæ ijs acciderit, vt quod ſint libertate priuata, ſeſe fame conficere: videturque huic volucri natura impreſſiſſe ſenſum aliquem ac dolorem (quoad in brutis facere

cere licuit) turpidinis iſtius flagitij, quē cum ferre nō valeat ſeſe enecat, & quod in ſceleſtis iſtis ob imbecillitatem vlciſci nequit, in ſeſe ipſa vlciſcitur. Atque docet nos ſtrangulatione iſta ſua, mortem; quin & ſuſpendium, infame ſupplicij genus commereri adulteros. Docet præterea quo par eſſet affici Chriſtianos dolore in tanta adulterorum turba, quando verendum maximè ne quod olim de Iudæis querebatur Hieremias, modo item in Chriſtianos valeat: *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.*

cap. 5. 8

AMICITIA. *Vide* CHARITAS. CONSORTIVM. ADVERSITAS § 2.

§ 1.



EAM hominibus inter ſe colendam docent variæ animantes, non modò quod eius [1] inter ſe ipſæ ſint amantes, ſed quod eā

item

item cum hominibus ineant atque cõseruent: 2 fertur enim 3 Draco quidã Theſſalus Aleuam paſtorem 4 eximia ſpecie atque flaua coma adoleſcentem, magno complexus amore, eiuſque comam deoſculari ſolitus eſſe, ac lingua faciem lambendo detergere, eique varia de venatione ſua munera adferre. Amicitiam item cõtraxit in Iſſo vrbe Delphinus cum puero, in AEgypto Aſpis item cum puero, Aries cum Glãca citharistria: cuius generis licet plurima commemorare.

ANNOTATIONES.

1. *Inter ſe ipſæ.*] De quo vide verbo Charitas.

2. *Fertur.*] Huius hiſtoriæ author eſt Hegemon in Dardanicis allatus ab AEliano l. 8. c. 11.

3. *Draco.*] Permirum eſt tot tantaque amicitiæ exhibuiſſe ſigna imbelli puero tam truculentam beſtiam tamque venenatam; tanta porrò magnitudine vt elephantes quibuſcum perpetua diſſidia circumflexu facilè ambiat,

nexuque nodi præſtringat, inquit Plinius l. 8. c. 11.

4. *Eximia ſpecie.*] Si Draco cum puero iſto ob formæ venuſtatem amicitiæ ſeſe iunxit fœdere, quanto id nobis faciendum magis cum proximo ob interiorem eius animi ſpeciem, quam ei tum ſcientia, tum ſapientia, tum virtutum ornamenta, tum diuinæ gratiæ decus conciliant? Quod ſi non vniuerſè hæc in omnibus, eorumque ſingulis exiſtant, at exiſtunt tamen iſta, quod eiuſdem conſortes naturæ, quòd eodem Parente geniti, quod eiuſdem religionis, eorumdemque ſacrorum menſæque cœleſtis participes, quod eodem agni immaculati & incontaminati Chriſti ſanguine redempti; denique quod eiuſdem hæreditatis æternæ in cœlis poſſidendæ ſpes nobis affulgeat, cum ad eam nati ſimus omnes atque conditi.

§ 2.

ESſe amicitiã etiã à morte amico ſeruandam docet [1] Leo, quem cum vnà cum Vrſa atque cane ado-

adolescens quidam cicurasset, aluissetque, ita vt eos inter se viuere pacificè amicitiæque iura colere docuisset, accidit dum canis & vrsa inter se colluderent & ludicris morsiunculis inter se confligerent, vt vrsa repentè ad pristinam feritatem reuersa, canem inuaserit & ventrem misero vnguibus indignissimè distraxerit. Quod vbi animaduersum à leone est, atrocitatem facti
2 non ferens diutius, ab vrsa perfida, quas de cane sumpserat ipsa pœnas, easdem repetijt: eamque ob perfidiam in socium, atque contubernalem suum, cuius desiderium non ferebat, atque ob amicitiæ inter eos institutæ violationē, in partes discerptam, necauit.

ANNOTATIONES.

1. *Leo.*] Huius Historiæ Author est AElian. l. 4. c. 45. Alias consimiles vide verbo Gratitudo.

2. *Non ferens &c.*] Quo quidem facto se amici memoriam etiam post eius interitum seruare prodidit, hominesque docuit amicis suis idem vt faciant,

atque

atque nunquam eorum memoriam ponant. Sed eheu plurimorum hodie amicitia ea eſt, quæ à Sapiente deſcribitur his verbis: Eſt amicus ſolo nomine
Eccl. 37 24. amicus. Sodalis amicus iucundabitur in oblectationibus & in tẽpore tribulationis aduerſarius erit. Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis, Eſt amicus ſocius menſæ, & non remanebit in die neceſsitatis. Et vt habet Italorum ſermone tritum prouerbium, *A morti & à partiti non ſi trouano piu amici*. i. neque vita functis neque peregrè profectis ſuperſunt amplius amici. Quam ſeſe pauci Booz Chriſti Domini Progenitoris volunt ſimiles: de quo iſta ſacræ literæ ex ore Noemi: Benedictus
Ruth. 2. 20. ſit à Domino quoniam eamdem gratiã, quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis. Quotus etiã quiſque modo eſt qui Dauidis aduerſus Ionatham æmuletur amicitiam: cuius morte vehementiſſimè doluit, ob eamque ſeſe cibo abſtinuit atque amarè fleuit; cuiuſque hæredes filios, nec non nepotes in eius
gra-

gratiam omni officiorum, atque humanitatis genere est prosecutus? Verum rara fuit omni tempore ista amicitia, meritòque prædicatur à sacris literis: *Eccl. 25 12.*
beatus qui inuenit amicum verum. Est *Ecc. 6.*
enim ijsdem authoribus, amicus fidelis *16.*
medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum.

ANIMA. *vide* PECCATVM.

§ 1.



VRANDAM animæ cuiusque suæ salutem docet bruta omnia quæ corporis sui incolumitatem vt conseruent nihil non attentant, [1] nihil non patiuntur, nihil non moliuntur. Nam vt præclarè Am- *l. 6. c. 4.*
brosius: cuique animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem, si virtus suppetat, resistendo, si velocitas fugiendo, si astutia præcauendo,

de quibus ordine differendum. Ac primum quidem alia vitam ſuam viribus tuentur atque in eum finem natura ijs prouidit arma: his cornua, illis dentes: atque alijs alia. Quibus accenſeri poteſt vis illa quam torpedini piſci tribuit, qua 2 torpore afficit procul licet, & è longinquo piſcatoris brachium, quantumuis validos habeat is lacertos, ita vt piſcatoriam lineam dimittere cogatur, atque ita euadit torpedo vitæ periculum. Norunt autem bruta ad pugnam arma ſua præparare. Quod ſi his aliquo tempore careant atque ad reſiſtendum ſe inepta ſentiant, latebras quærunt, neque in publicum prodeunt.

ANNOTATIONES.

1. *Nihil non patiuntur.*] Nam & per gladios, per haſtas, per tela, perque mille vulnera, & mortes cruenta tranſeunt vt mortem effugiant, quod in ceruis, apris, lupis quotidie neque raro damno etiam ſuo experiuntur venatores.

2. *Torpore afficit.*] Quo id modo fiat do-

docet Plinius, vi inquit aliqua occulta, quæ odore tantum & quadam aura sui corporis afficiat membra; quæ quidem aura & quasi odor aliud non est vt docent qui sanè philosophantur, quã qualitas quædam ab isto emissa pisce, mediantibus tum filo, tum virga piscatoria (neque enim datur actio in distans) in piscantis brachium. Quod autem non in filum aut rete torporem inducat, id fit propter variam subiecti dispositionem, non enim res inanima torporis est capax, etsi rete quoque aliquid aliud recipiat ac patiatur. Neque verò, si Aristoteli, Plinio aut Alberto credimus, piscatori solum torporẽ immittit torpedo, verum etiam cæteris piscibus; quos vbi sese in arena & limo absconderit, stupefactos prius deuorat. l. 9. c. 37. l. 9. c. 41. l. 24. de ani.

3. *Præparare.*] Acuunt enim (inquit Plinius l. 18. hist. natur. in proëmio) in arbores limantque cornua, .i dentes, quod ijs tãquam cornibus vtantur elephanti, & duro saxo Rhinocerotes, & vtroque apri dentiũ sicas, sciuntque ad nocendum se comparare animalia.

4. *Latibras quærunt.*] Quemadmodum ceruis vſu venire tradit AElianus l. 6. c. 5. & quotidiana firmatur experientia, qui cornibus amiſſis in condenſa fruticum ſe abdunt, quod probè ſciant ſe ab armis nudos, hoſtium patere prædæ ſi prodeant. Idem vitæ ſuæ ſalutiſque amor facit vt caueant diligentiſſimè ne in vulnera quæ cornibus deſtitutis oriri ijs ſolent, ſolis incũbens radius dum adhuc recentia ſunt, carnem putrefaciat.

§ 2.

AD hæc vitam ſuam tuentur nõ-nullæ animantes prudentia aſtuque quodã à natura ijs ad iſtũ finem indito. Cuius generis paucula de multis exempla proferam, atque ab earum omnium principe leone exordiar. Is cum incedit nec recta progreditur nec ſimplex ponit veſtigium ſed variũ terræ imprimit & multiplex, dum modò procedit modò recedit; tum rurſus progreditur, idemque poſteà retro cõ-

meat

meat, ac iterum pergit; atque ita vestigia ſua confundit, permiſcetque vt ne venatores ea ſequi & luſtrum vbi cum catulis ſuis habitat facilè reperiāt.

ANNOTATIONES.

1. *Vt ne &c.*] Non quod illam perturbatam atque confuſam progreſſionem eo referant leones, hoc enim eſſet rationis opus, ſed naturali inſtinctu id agūt, ad quod ſequitur vt à venatoribus eorum cubile non agnoſcatur. Quod idē de ijs quæ mox ſubijcientur intelligendum eſt.

§ 3.

QVod autem de leone dictum animantium audaciſſimo, idipſum de lepore timidiſſimo aſſeтere licet, quem non prius tradunt eſſe ſolitum cubile ſuum ſubire, quàm modò ingrediens, modò regrediens ſua conturbarit veſtigia; ne ea ſibi inſidias ſtruentibus atque ad mortem quærentibus appareant.

§ 4.

Ælianus l. 6. cap. 3.

HIs non abſimile eſt quod de vrſa traditur à probis authoribus, quæ in antrum ſuum non recto ſui corporis motu, ſed ſupino ingreditur & dorſi ſui tractu repit, venatoribus vt veſtigia ſua obliteret.

§ 5.

SEpia piſcis tam mas quam fœmina, ambo vbi ſenſere ſe apprehendi, effuſo atramento infuſcata aqua abſconduntur, ſicque piſcantes eludunt, vitæque ſuæ mira ſagacitate conſulunt.

ANNOTATIONES.

1. *Atramento.*] Quod ijs pro ſanguine natura dedit, eorum incolumitati (vt videtur) proſpiciens; atque ideò nigriores ſunt cæteris piſcibus.

§ 6.

1 VVlpes marina (terreſtris enim aſtus atque ingenium ad mor-

tem

tem declinandam ſatis eſt notum) tam eſt ſolers tãque vitæ ſuæ cupida, vt vel ad hamum licet vrgente fame 2 non accedat, aut mox vt eum deuorarit ſtatim ſe tanquam veſtem inuertens interiora ſua euomat, atque ita ferro ſe liberat, quæ poſtea ſenſim atque ordine reſumit, nec ad id ipſi medico quopiam aut Anatomiæ perito opus eſt, vt ſciat quæ ſint prius quæ poſterius collocãda.

ANNOTATIONES.

1. *Vulpes.*] Vide AElianum l.9.c.12.

2. *Non accedat.*] Quo quidem docemur ad peccatum (quod verè hamum refert quia vt hic vitam eripit) quanquam voluptatis eſca tectum: quanquam etiam eius vehementi deſiderio teneamur, non accedere: quod ſi ad id fortè tentatione deuicti accedamus, ſaltem erudimur per veram contritionem, & ſi ſe commoditas det, etiam per confeſſionem, hamum iſtũ peccati mox atque nulla interpoſita in diẽ craſtinũ qui nimis incertus eſt dilatione, euomere, & ſtatim ex intimis nunquã eò immittẽdum amplius eijcere. Quod

autem de vulpe marina, idem de ſcolopendra piſce traditur à Plinio lib. 9. cap. 43.

§ 7.

C. 38. Polyhiſtor. SCribit Solinus Elephantem vbi ſeſe à venatoribus vrgeri ſentit dentes ſibi euulſos in humum deijcere, nouit enim id tantum ab ijs expeti, atque hac prudentia vitæ ſuæ conſulit, redimitque vexationem, dũ [1] partis iactura, totius corporis incolumitati, conſulit. Idem Solinus eâdem præditum prudentiâ ait Caſtorem (vnde forte latinum caſtro ſeu caſtratus) cum enim probè intelligat genitalia ſua ſibi imprimis venatores depoſcere, dum ſeſe periculo proximum aduertit, eo ſe, dẽtium miniſterio [2] abſciſſa ea parte corporis atque inter fugiendum relicta liberat.

c. 23.

ANNOTATIONES.

1. *Partis iactura &c.*] Quid aliud nobis Chriſtus præcipit cum iubet vt ſi oculus

culus aut manus aut pes aut aliud quidpiam nos ſcandalizat, illud eruamus, abſcindamus, proijciamuſque à nobis: melius enim eſſe vt cæci, manci, mutilique ingrediamur in regnum, quam vt mẽbris ſaluis integriſque mittamur in gehennam? At quotuſquiſque id præſtat, & quam rari ſunt ij qui ſibi oculorum, manuum, pedumque illicitum vſum interdicant (quod quidem ſpiritualiter eſt oculos eruere atque manus, pedeſque abſcindere) vt animam ſaluam præſtent? Atque in eamdem ferè ſententiam à Christo Domino præcipitur animæ .i. vitæ cuiuſque ſuæ atque eorum quæ ad vitam iſtam corpuſque ſpectant odium, ne æternum pereat: *qui* enim *amat animam ſuam, perdet eã,* Ioan. 12
& qui odit animam ſuam in hoc mundo, 25.
in vitam æternam cuſtodit eam: Quibus ſanè verbis quid aliud præcipitur quã vt partis vnius .i. corporis detrimento, animi ſalutem redimamus. Pudeat improbos ſui amatores id non præſtare quod præſtat Elephas, præſertim cum hic nulla vitæ immortalis cognitio-

ne prædirus, huiusque vitæ modò amore impulsus ea facit quæ diximus, cum illi immortali vitæ quam se credere profitentur adipiscendæ, ne minima quidem corpus suum affici molestia velint.

2. *Abscissa &c.*] Præter id quo de agimus, castratione ista docemur etiam Christi consilio de castitate seruanda morem gerere, atque esse de illis Eunuchis qui se castrauerunt non vt modò in vita ista longè miserrima (quod quidem castori est propositum) sed vt æternùm in vita immortali beati, quin & reges bonis omnibus affluentes viuerent. Audi quæ hisce Eunuchis polliceatur Deus præmia per Isaiam. Hæc
c. 56.4. dicit Dominus Eunuchis: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis, locum & nomen melius à filijs & filiabus* (qui scilicet in spiritualibus Eunuchis non fuerint) *nomen sempiternum quod non peribit.* Nū bonis istis, num honoribus istis breuissimam carnis voluptatulam præferendam censes, quam & Castor tam parui æstimat vt eam vitæ isti mortali

tali postponendam putet? Tu eam immortali bonorumque omnium aggregatione perfectæ posthabendã putabis?

§ 8.

DEinde fuga vtuntur bruta nonnulla ad vitæ conseruationem, quibus non (vt ille ait) Mauors, ventosa in lingua, verum in pedibus est, atque ideò multis de illis pernicitatem pedum, volatusque indulsit natura vt ceruis, leporibus volucribusque omnibus. Author est AElianus l. 7. c. 5. existere feram in Africa Catoblepõtem dictam tauri non absimilem sed crudeliorem: è cuius faucibus tam vehemens atque perniciosũ emittitur virus, vt aerem quaquaversum ita inficiat, vt quæ animalia illum inspirando hauriant, grauiter affligantur, vocis vsum amittant, atque in lethales conuulsiones incidant. Verum ita benigna parens natura seu Deus potius, eorum incolumitati prospectum voluit, vt tum istius mali eis cognitionem, tum ab

ab illa ſibi fuga cauēdi ſenſum impreſſerit; quare ab ea quam longiſſimè refugiunt. Huc referre licet eorum animalium ſolertiam qua vt frigus ſibi inimicum euitent, ſolum mutant, inſtanteque hyeme in calidiores regiones cōmigrant, de quibus infra verbo Prouidentia § 2. quibus & adde Vultures. Atque huc etiā ſpectat quod ijdē peſtilenti aëri cedūt, quod (idē in Miluis obſeruatum, qui naturali ſagacitate, exactiſſimoque ſenſu eius & ſalubrem & prauam conſtitutionem præſentiunt) certumque ſit indicium, quæ loca tenent vultures, ea infecto aëri ſubiecta non eſſe. Denique (licet id ad præcedentes ſpectet paragraphos) à cadaueribus quæ à venenoſo ſerpente percuſſa ſunt, ſeſe abſtinet vultur; quod faciunt etiam tū aquilæ, tum corui.

ANNOTATIONES.

1. *Fuga.*] Vltima eſt hæc ratio qua ſe vitamque ſuam tuentur bruta: ſed quæro ex te quam tandem de his omnibus vijs quæ commemoratæ ſunt hactenus, tenes ad vitam non corporis quidem vt

illa

illa, verum animi tuendam atque conseruandam? Illa quidem vt mortalis corporis incolumitati (quod in ijs sit pars ista præcipua) consultum sit, tot & tanta tum agunt tum perpetiuntur, tantamque adhibent, alia prudentiam, alia astutiam atque sagacitatem: alia sese fuga è manibus hostium proripiūt: tu vt animam immortalē mortisque legibus longè superiorē, nobilissimâque tui partem saluam tuearis, quid agis tandem? quid moliris? Quam ad id prudentiam adhibes qui in caducis rebus ordinandis disponendisque tā haberi vis prudens? quo pio atque laude digno astu, hosti tuo qui non opibus tuis aut corpori, verum animo insidiatur fallendo vteris? Mille tibi suppetunt technæ, mille doli quibus innocētes capias, simplicioresque verborum tuorū fraudibus captos irretias: sicque opes tuas augeas, atque vitæ huic mortali prospicias: Sed cur tā es simplex & plumbeus vbi nō vita ista mortalis, sed immortalis in certum discrimen vocatur? Fuge saltem hostē eiusque te armis sub-

ſubtrahe, ſi neque prudentia neque verſandis dolis valeas. Verum quomodo id à te fit qui ſponte tua, cogente nemine, in caſſes eius te induis, in tela eius
Eccleſ. 21. 4. incurris, in gladios eius irruis, eoſque lethales cum ſit rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, cuius plagæ non eſt ſanitas?

§ 9.

AD modos iſtos varios quibus bruta vitam ſuam ſaluam præſtant, reuocare licet naturalem quandam ſolertiam atque ſagacitatem qua quodlibet eorum nouit ſi morbo vexatur quid ei pellẽdo ſit opportunũ: neque nouit modo, ſed mox magno quodam impetu ad id fertur, neque deſiſtit priusquam nanciſcatur. Caprea enim vulnerata dictamum petit & de vulnere excludit ſagittas. Leo æger ſimiam quærit vt deuoret quo poſſit ſanari. Leopardus capreæ ſilueſtris ſanguinem bibit & vim languoris euitat. Omnis fera ægra canis hauſto

cu-

curatur sanguine. Vrsus nimio cibo æger formicas exedit, quibus sumptis facilè exinanitur. Idem vulnere saucius, ei adhuc calenti Verbascum siccæ naturæ herbam indit, obturatque vulnus. Ceruus oleæ ramusculos mandit. Cum ex oculis laborat accipiter, circa sepes Hieracium seu syluaticam 2 lactucam euellit, eiusque acerrimo succo expresso oculisque instillato sanitati restituitur. Serpens oculorum morbo visusque hebetudine, admoto ijs atque affricato 3 fœniculo liberatur. Vultures cum ex hepate 3 laborant, tū magnarū auium quas in hūc vsum venati sunt iecinora vorant, quæ & medicamenti & alimenti loco esse possint. Canibus herbā natura ostendit qua suis vulneribus medeantnr: quanquā & id ea lingendo assequātur. Ijdem si lūbricis vexētur segetē herbescentē depasti, eos excernunt. Cum autē 4 alterutrum ventrē exhaurire habēt necesse 5 herbam quandā comedūt, cuius vi partim euomēdo, partim deijciēda aluo, quidquid in ijs redūdat eijciūt. Perdices, ci-

coniæ & palumbi [6] origanum herbam manſam prius vulneribus imponunt & curantur. Eodem origano vtitur teſtudo terrena ſi de vipera guſtauit, eo enim adeſo, à periculo immunis fit, quo omninò pereundum ei fuerat. Elephas cum vel haſta vel ſagitta ictus eſt, oleæ flore ingeſto vel oleo ipſo, defixa tela mox expellit. [7] Sed non eſt animus perſequi vniuerſa quæ in hanc ſententiam afferri poſſint, ſunt enim infinita.

ANNOTATIONES.

1. *Dictamum.*] Non eſt alibi quam in Creta, ramis prætenue, pulegio ſimile, feruens & acre guſtu, folijs tantum vtuntur capræ: quod ei flos nullus aut ſemen aut caulis, radix tenuis & ſuperuacua.

2. *Lactucam.*] Hoc vtuntur antidoto ad oculorum dolores medici: vnde & collyria hieracia .i. Accipitraria cognominantur. En homines auium diſcipulos qui & hoc idem, nomine iſto indito profiteri non verentur, inquit AElianus.

3. *Fæ-*

3. *Fœniculo.*] Quod calefacit, purgat, atque acres acutosque efficit eorũ oculos ex hyberna in latibulis obscuris mãsione hebetes & præstrictos frigoribus.

3. *Laborãt*] hic dolor aut obstructione visceris, aut ab inflammatione ex nimia voracitate contracta oritur.

4. *Alterutrum ventrem.*] Stomachum scilicet aut eum qui communiùs vocatur venter, quique est intestinorum receptaculum.

5. *Herbã.*] Vnde AEgyptios *Syrmaismum* didicisse volunt. Est autẽ syrmaismus purgatio quædam seu moderata euacuatio per sedem facta siue per vomitum.

6. *Origanum.*] Herba est non dissimilis hyssopo, cuius varius vsus in medicina, estque brassicæ origanum inimicissimum.

7. *Sed non est &c.*] Cuius generis vide plura apud Pliniũ l. 7. c. 27 & alibi.

Quod autem attinet ad varias istas brutorum solertiæ, astutiæ, atque prudentiæ actiones, atque motiones sic statuendum existimo quemadmodum sagitta

gitta directè fertur ad signum, non ex se, quasi intelligat quo tendat; sed ex directione eius, qui eam emisit: itá tamen recta fertur ac si ipsa sagitta ratione esset prædita. Quod idem apparet in motionibus horologiorum, quæ ordinatissima progressione circumuoluuntur: sic etiam in animalibus est reperire actiones quasdam miras, & sũmo ordine, constantia, prudentiaque obitas, quasi, quid agant, intelligant; vt dum v. g. palumbes origanum non hyssopum, cuius tamen illud simile est, colligit. Sed omnium illarum causa est inclinatio naturalis ijs ad illas easdem actiones à Deo impressa: quod enim facit ars humana, atque ratio in artificialibus, idem facit Deus eiusque ars diuina in naturalibus. Non ergo in brutis est vera prudentia, neque ratio, neque electio: quod vel ex eo liquet, quod in ijs quæcumque eiusdem sunt speciei, nullo discrimine idem semper operantur.

Porrò quod ijs nota sint sua cuiusque aduersus morbos remedia, ea re docemur,

morborum ſpiritus, variarumque animi perturbationum antidota ſumma diligentia conquirere. Quod autem bruta ea mox vt ægra ſunt adhibeant, atque ad ea ſine mora, naturæ quadam impulſione ferantur, id nos commonefacit, vt vbi peccati graui ſanè morbo æger eſt animus, nequaquam eius in craſtinum curationem differamus, ſed mox ad ſalutaria à Chriſto inſtituta pharmaca ſacræ homologeſis accurramus, memores illius quod ſcitè dictum à Sapiente eſt. *Repromiſsio nequiſsima multos perdidit*, quos nimirum dum in poſterum tempus (improuidi ſanè & malè ſe amantes) morbis ſuis remedium afferre differunt, mors repentina occupat, atque abripit, quorum nobis exemplum ſi ſapimus vitæ documentum eſſe debet: atque id efficere vt ſalutari iſti Eccleſiaſtici conſilio c. 17.26
pareamus: *non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere, à mortuo quaſi nihil perit confeſsio, confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miſera-*

 tionibus

tionibus illius. Sed vt ad bruta ſeſe referat ſermo, ex iſta eorũ quæ ſuæ incolumitati neceſſaria ſunt, ſcientia & ſine doctrina naturalis quædam vitæ ſuæ diligentia, atque cura quam perſecuti ſumus hactenus, id conſequemur, ait Baſilius, vt aut ad noſtri cuſtodiam corporis animarumque prouidendam ſalutem impellamur, ac concitemur; aut magis magiſque carpemur ac condẽnabimur, ſi ita fuerimus affecti vt neque animalia imitari rationis expertia valeamus.

In Hexam. hom. 9.

§ 10.

NOn eſſe animi ſalutem exponendam temerè periculo doceat [1] vulpes, cui ſi fluuius glacie cõcretus ſit tranſmittendus, [2] tẽtat primum ſitne ſecura tranſmiſſio; ad glaciem enim admota aure vbi ſubterlabi fluctus ſentit, hæret, nec porrò pergit; ſin omnia quieta percipit, nullumque intra fluuium edi ſonum, audenter ſeſe glaciei tanquam ſolidæ credit, ac tranſmittit.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Vulpes.*] Ita Plutarchus libro de induſtria animalium; atque hoc vulpis iudicio dignoſcunt Thraces ſit nec ne ſecurum conglaciatum amnem pertranſire.

2 *Tentat primum.*] At quam multa aggrederis tu incomperta, inexplorata, atque intentata, quibuſque animum tuum in ſalutis non modò temporalis, ſed & æternæ diſcrimen adducis? in quot, quantiſque peccandi occaſionibus verſaris, tum prauorum conſortio ſectando, tum incauta mulierum familiaritate, tum locis periculi plenis, tum commeſſationibus, tum luſibus frequentandis, neque tamen cogitas vnquam ſit nec ne tutum eo in ſtatu diutius commorari? ſed dic amabo quã multa conficis negotia, cum tua, tum aliena, quam ſæpe contrahis cum proximo, varijſque modis pro vt ſe res dat cum illo tranſigis, neque hactenus adhuc à quoquam ſciſcitatus es, num negotiationes illæ tuæ, contractus illi, pacta, conuenta illa, locationes, cambia

illa, cõtractus depositi, mutui, oppignerationis, sexcentæque aliæ contrahendi, negotiandique rationes tuæ (quas plures esse quàm sint stellæ cœli queritur quidam de Prophetis) sint legitimæ nec ne & num à diuina lege dissentiãt? Vulpes quidem ad amnem aurem applicat, fluat nec ne solerter animum aduertit, cauetque ne se illi temerè credat, plura etiam factura si id esset ei à natura datum. Sed cur ei tandem tanta ista sollicitudo? vt vitam suam saluã præstet atque incolumen: tu vt animo, quæ princeps tui pars, valeas, nihil horum præstas? dormitas? neque tibi ne is fortè in vitæ incidat discrimen cauẽdum existimas? vide mihi, quæso, ne vulpe sis stolidior, atque minus esse animi tui æternùm victuri, quàm illa corporis sui breui perituri amans, conuictus sis. Vide denique, ne qui amas periculum, pereas in illo.

Nahum. 3. 16.

Eccles. 3. 27.

AVA-

AVARITIA.

§ 1.



VARITIAM fugiendam doceant piſces quibus cũ 1 vt cuiuſque natura ferebat, apta tribuerit Deus loca, vt in ijs commorarentur vitamque degerent, nunquam 2 alienos terminos 3 aggrediuntur, at intra ſuos læti verſantur fines.

ANNOTATIONES.

1. *Vt cuiuſque &c.*] Neque enim quolibet loco piſces quilibet reperiuntur, ſed aliud genus in illo ſinu maris alitur, & gignitur, aliud in alio, & quod hic abundat, alibi deeſt.

2. *Alienos terminos &c.*] Quod quidem eo magis admirandum eſt, quod hi termini nullis ſunt mœnibus circumſcripti, non portis, non ædificijs domorum, non agrorum finibus limitati, non montibus, aut fluuijs interlabentibus diuiſi; liberum enim mare eſt ſed vſus natura impreſſus liberam ijs, quocumque vagandi poteſtatem ademit,

atque certo quemque loco tanquam patriæ atque hæreditatis finibus continet. Aliam huic rei admirationis causam addit post Basilium Ambrosius: quis inquit geometra his diuisit habitacula nullis rumpenda temporibus? Sed geometram qui terram dimetiretur audiuimus, thalassometram (maris mensorem) nunquam audiuimus, & tamen pisces mensuram suam norunt; mensuram inquam, eius quod oporteat, vt tantum satis sit vnicuique quantum ad vsum abundet, non quantum auiditas quædam immoderata sibi vindicet. Hæc Ambrosius. Seruatur scilicet à piscibus naturæ lex: est autem quædam naturæ lex, inquit idem, tantum quærere quãtum sufficiat ad victum, & alimentorum modò sortem censere patrimonij.

lib. 5. hexam. c. 10.

3. *Nunquam aggrediuntur.*] At quam piscium dissimiles sunt homines, quæris cur? quia transferunt agrorum prædiorumque terminos quos posuerunt patres eorum. Cur? quia agrum vicini per fas, nefasque suo copulant, atque domum domui coniungunt: Cur? quia no-

Deut. 27. 17.

noctes diesque varios excogitant dolos vt suas dilatent possessiones, atque vt quoquomodo aliquid à proximo auferant. Audiant hi quid ad eos propheta. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* atque tantum abest vt habitaturi sint soli in medio terræ rapaces isti, quique nullis satiantur opibus, vt etiam eijciendi sint è terra, futuriq; iusto Dei iudicio aliorum præda, contingetque illis illud Habacuc: *quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis.*

Isayæ 5. 8.

Habacuc. 2. 8.

§ 2.

IDem alia quapiam ratione, si Basilio quidem atque Ambrosio credimus, 1 discere licet à piscibus in quibus id accidit vt à maioribus minores deuorentur, sed in auaritiæ atque rapacitatis suæ pœnam, rursus maior à se validiore inuaditur, & fit, inquit Ambrosius esca alterius, prædator alieni. Itaque id vsu venit vt cum ipse alium deuorarit, ab alio deuoretur, & in vnũ

ventrem vterque veniat cum voratore proprio, deuoratus, ſitque ſimul in vno viſcere prædæ vindictæque conſortium; [2] quod idem hominibus contingere docebit annotatio.

ANNOTATIONES.

1. *Diſcere.*] Quia, inquit Ambroſius ad vſum hominum dati ſunt piſces, in ſignum quoque facti ſunt, vt in his noſtrorum morum vitia videremus, & caueremus ne quis potior inferiorem inuaderet: daturus in ſe potentiori exemplum iniuriæ.

c. 1. 13. 14. 2. *Idem.*] Queritur vehementer Habacuc propheta eſſe homines ſicut piſces maris, in quibus quemadmodum id vſu venit vt maior minorem degluttiat, ſic & in hominibus validior infirmiorem deuorat. Quod quia quotidiana experientia plus ſatis conſtat, longiore oratione non indiget. Quot enim videre eſt potentes qui in imbecilliorum bona, atque prædia irruunt, eaque deprædantur? qui tanquam grandiores piſces viſcera inuadunt aliena, infirmioreſque demergunt, & perſequuntur

in

in profundum, donec prædam conſequantur? quot litibus iniquitatis pleniſſimis fatigant diuites iſti auari tenuiores quoſque: vt cum tandem inopia oppreſſi, & quòd ſumptibus, atque donis in patronos, in cauſæ ſuæ procuratores, in iudices ſuggerendis non ſufficiant, litem deſerere cogentur, in eorum bona inuolent? verum quot de potentioribus iſtis nullo iuſtitiæ quæſito colore (quo quidem ſe, hominum quidem oculis tegunt ij quos proximè diximus) verum plura vi, violentiaque nixi pauperiores vexant, oppriniuntque, & quæ ad cultum ijs victumque neceſſaria ſunt ſumma crudelitate ſublatis eos ipſos ſumma egeſtate preſſos tantum non fame conficiunt?

Taceo eos principes ſi qui exiſtant (quod de Chriſtianis quidem non poſſum adduci vt credam) qui exactionibus iniquis, tributis iniuſtis quæque nō reipublicæ ſaluti ſed priuatis libidinibus ſeruire faciunt, ſubditos grauant, premunt, enecant. Taceo & de nobilitate eos qui per colonos ſuos, alioſque

rusticos multa sibi curant aliâs indebita fieri gratis obsequia, seruitiaque præstari; quo quidem tempore tum sibi laborare possent illi, tum eo labore sibi quæ ad suam suorumque vitam fouendam faciunt comparare: quod quidem nobilium factum quo nomine alio, quā insignis auaritiæ patentisque furti indigitem non video; neque aliam mereri appellationem tam perspicuam eorum iniustitiam prudens quisque, ni fallor, existimabit.

Sed vorent quantum volent isti omnes, æmulentur piscium voracitatem, piraticam exerceant, prædentur, non id tamen facient impunè. Quid mirum cum ne id quidem piscibus contingat: in quibus qui infirmiorem vorat, voratur & ipse à potentiore; sic tu quoque qui infirmum istum persequeris vt deglutias, incides ne dubita in validiorem, qui te quoque deglutiet. Absorbes imbecilliorum patrimonium, erit & aliquando, & ocyus quam præuidere possis qui absorbebit tuum. Hic autem idem etiam à potentiore aliquo patietur:

Et

Et aliquando qui potentior istius absorpserit opes, idem ipsum expectet necesse est: qui enim alterum lædit, sibi laqueum parat, in quem ipse incidat.

Vide mihi de piscibus maioribus vnum aliquem reti conclusum, de cuius referata aluo varij prodeunt pisces, alij alijs maiores & minores, ita tamen vt ferè minores maiorum esca fuerint, & multi in eo reperiantur qui alios deuorauerint. Tu verò diues & prædo quot habes in sinu tuo aliorum prædatores? Ille habebat facultates pauperis quas inuaserat, tu eum opprimens duorum opes tuis facultatibus addidisti, nec adhuc tanta accessione satiaris? sed vide ne idem te qui & piscem illum finis cõsequatur: hamum caue potentiorum, retia caue diligenter, sed caueas quantũ voles incides in ea: non potest irrita esse aut solui ista scriptura. *Væ qui prædaris, nonne ipse prædaberis, & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum consummaueris deprædationem, deprædaberis; cum fatigatus desieris contemnere, cõtemneris.* neque ista alterius prophetæ: *Væ ei qui mul-*

Isaiæ 33. 1.

Habacuc 2. 6. 7.

multiplicat non sua, vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? nunquid non repentè consurgent qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Nempè transferuntur &
Eccles. 10. 8. regna, & priuatorum facultates de gente in gentem, de familia in familiam propter iniustitias & varios dolos, quibus rebus conficiendis præparat Deus maiores pisces qui minores deglutiant.

Cuius quidem rei infinitæ testes sunt historiæ tum in rebus publicis tum priuatis. Assyriorum enim regnum atque opes exhauserunt Babylonij, horum Medi atque Persæ, quos Græci confecerunt, qui & à Romanis imperio vniuerso, facultatibusque exuti sunt: Romanos verò quanquam validos pisces, Barbari, Gothi, Wandali, Alani, Longobardi, innumeræque aliæ nationes deuorarunt. De rebus verò priuatis licet sileam; loquuntur tamen plurima etiam quæ in oculis tuis, ne dum memoria patrum contigerunt, quando splendidæ familiæ, quarum magnifica vise-

visebantur palatia, latissima prædia, amplissimi census, pene ad nihilum redactæ sunt! cur id quæso? dicam: cum essent ista omnia prædando coacervata, ea ipsa aliorum item prædam esse oportuit; atque idem tibi olim euenturum, tibi certò persuadeas velim. Quod quidem cum erit, tunc iuxta illud sanctissimi Iob: diuitias quas deuoraueris, euomes, & de ventre tuo extrahet illas Deus (nempè vt è visceribus exenterati piscis prædatoris, minutiores extrahuntur pisces) extrahet autem eas Deus vt alijs tradat possidendas. At quibus inquies tunc messem tuam famelicus commedet & te rapiet armatus, & bibent sitientes diuitias tuas Sed quid filijs meis fiet & nepotibus? longè autem fient filij tui (quibus modò opes congregare te putas) à salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat. Si multiplicati fuerint filij tui, in gladio erunt, & nepotes tui non saturabuntur pane; qui reliqui fuerint ex te sepelientur in interitu. Quæris iterum quibus? pauperi-

Iob c. 20. 15.

Iob 5. 5.

ibidem v. 4.

Iob 27. 5.

bus

bus, inquam; nec te fallam sacris lite-
Prou. 28. 8. ris nixus: *qui coaceruat diuitias vsuris & fœnore liberali, in pauperes congregat eas.*
Eccles. 2. 26. neque pauperibus modò, sed iusto cuilibet, erisque & tu de numero eorum quibus Deus dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addant, & congregent, & tradant ei, qui placuit Deo. Iterum dico ne queraris tibi non inculcatum: imo id inculcet Iob sanctissimus: audi igitur:
c. 27. 16. 17. *si comportaueris quasi terram argentum, & sicut lutum præparaueris vestimenta; præparabis quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet.* Si quæris denique quibus? respondebit
Actor. 13. 22. Dauid vir secundum cor Dei: & relinquet
Psal. 46. 12. alienis diuitias suas qui quidem tuis fruētur laboribus, pascētúrque diurnis atque nocturnis sudoribus tuis, dum interim filius tuus fortè (vt loquitur Salomon) in summa egestate erit. Hæc est
Eccles. 5. 13. pars atque sors eorũ qui aliorũ inhiantes opibus tenuiores quosque quasi pisciculos quosdam deuorant, eorumque facultates per summam impietatem in suos vsus conuertunt. Neque verò id tantũ do-

docetur ab ijs animātibus quæ in aquis, ſed etiá ab ijs quæ in terra degūt, idque ne [1] ijs deteriores ſimus. Vbi primum lupus exſaturatus eſt, nouæ prædæ nequaquam inhiat, neque tum homini vlli, neque beſtijs, licet per medium agmen tranſeat, nocet, eſtque manſuetiſſimus: leones quoque ſatiati, innoxij ſunt.

ANNOTATIONES.

1. *Ijs deteriores.*] Auaris enim id ſolemne eſt nūquam vt ſatientur, iuxta illud: *auarus nō implebitur pecunia:* & quēadmodum infernus & perditio nunquā implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles: quamobrem cum nunquā ſit auarus ſatur opum id conſequitur vt nunquam nocere, aliorumque bona prædari deſinat. Vide Charitas § 6. in fine. *Eccleſ. 5. 9.* *Prou. 27. 20.*

§ 4.

AVaritiam eandem, atque rapacitatem fugiendam doceat Aquila ſequenti narratione. Cum in ſaxum non admodum è mari eminēs, Polypus aliquando correpens aſcendiſſet, ibique explicatis brachijs ſumma *Ælian. l. 7. c. 11.*

cum

cum voluptate, quod frigida tempestas esset à tepore solis calesceret, neque in saxi colorem se vertisset (quod quidem cum ad declinandas, tum ad moliendas magis piscibus insidias factitare solet.) Aquila acuti visus prædam istam cernens, maximo alarum impetu in eam prosilit. Sed piscis hic circumplicantibus Aquilam & pertinaciter adhærescentibus [1] cirris suis [2] in profundum detraxit, & hostem capitalissimum simul interfecit.

ANNOTATIONES.

1. *Cirris.*] Quibus quasi loris quibusdam ita Aquilæ vincit alas, vt eas explicare nequeat, atque ita superatur.

3. *In profundum detraxit.*] Miser hic Aquilæ prædantis exitus eos spectat qui prædam sibi damnosam captant, quales ferè sunt qui malis artibus aliorum bonis aut inhiant, aut ea occupant. Quàm malè Achamo cessit sua habendi cupiditas & furtũ: vide Iosue 5. Supplicium Iezabelis contra ius fasque Naboth vineam sibi vendicantis, vide 3. Reg. 21. Verè à Sapiente pronuntiatum

Prou. 1. 13. &c.

est

eſt eos qui alieno inſidiantur ſangui-
ni, vt aliena ſubſtantia, ſpolijſque domos ſuas impleant, ipſos contra ſanguinem ſuum inſidiari, & moliri fraudes contra animas ſuas, ſemitaſque omnis auari, animas poſſidentium rapere: quicquid enim mali contra proximos moliuntur, in caput eorum recidit, inciduntque in foueam quam alijs fecerunt: iuſtiſſimoque diuini numinis iudicio conuertitur dolor eorum in caput illorum, & in verticem ipſorum iniquitas eorum deſcendit, dum quod malum alijs parauerunt, externam ijs perniciem affert. Quod autem ait de ſemitis auari eodem ſpectat: nam prauæ rationes & modi agendi omnis auari qui multorum damno diuitias ſibi coaceruat, rapiunt animas poſſidentium, ipſorummet ſcilicet auarorum qui eas poſſident: etenim ſemitæ illæ auari impietatiſque plenæ rationes agendi, auarorum demergunt animas in interitum & perditionem tum temporalem quod quidem non infrequenter euenit, tum ſemper æternam. Obſeruãdum hîc etiã

Pſal. 7.

1 ad Timo. 6.

obiter, ab imbelli, timidoque pisce, bellicosissimam, generosissimáque perire Aquilam, volucrum reginam: quo quidem docentur vindictæ cupidi, quibusque benè non est, nisi alieno cruore gladium suum tinctum videant; licet ij cum inferiore manus conserant, non esse tamen de victoria securos, nihil enim tam imbecille natum est, cui non ad sese tuendum arma prouiderit naturæ benignitas, imbecillosque valentissimis multa sunt quæ exæquant, atque adeò superiores efficiunt: sed de hoc ex professo verbo Iniuria.

CASTITAS. *vide* ADVLTERIVM. LVXVRIA. VOLVPTAS. VIRGINITAS.



RINCIPIO agendum de Castitate vniuersè accepta, tum de coniugali, denique de viduarum: de virginum enim dicendum verbo Virginitas.

§ 1.

§ 1.

COlendam autem caſtitatem, fugiendamque libidinem docent [1] apes quæ naturæ quadam propenſione recentem à complexu venereo cognoſçunt, atque illum ſicut hoſtem inſequuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Apes.*] Quemadmodum eæ ſint virgines, atque ſine vllo coitu integra pariant examina dicendum verbo Virginitas.

§ 2.

DOcet item taurus qui cum ab altero ſuperatus eſt, non modo ſe in ſecretum locum abdit, ibique ad futuram cum hoſte pugnam ſe exercet, contentione omni cornibus, calcibus, vnguibuſque certando, verũ etiam ſe à [1] venere abſtinet, [2] libidinique moderatur, vt inde [3] fortior euadat.

ANNOTATIONES.

1. *Venere abſtinet.*] Ea enim negata fortiora fieri animalia, tum ratio, tum experientia confirmat, ſolui enim ve-

nus & corporis & animi vires ob mirã resolutionem spirituum, consumptionemque quæ tunc contingit.

2. *Libidini moderatur.*] Refert Plato palæstritam quendam Tarentinum toto olympicorum certaminum tempore sibi veneris vsum interdixisse, quod quidem solemne fuit pugilibus omnibus, vt ea continentia vires suas & conseruarent & augerent. Sed quis id miretur ab hominibus præstitum, quibus magna erant si vincerent proposita præmia tum viuis tum vita functis? at tauro hostem suum superanti quæ vnquam delata præconia, quæue decreta victoriæ præmia?

2. *Inde fortior.*] Tu ratione præditus, tu Christianus, vt hoste tuo dæmone qui extremã tibi molitur perniciem superior euadas, eaque victoria regnum æternum consequaris, negas te continere posse? vide numquid indignius aut maiore dignum probro quicquam excogitari possit.

§ 3.

LIbidinoſa animalia [1] idem quodámodo, quanquam diſſimili à caſtis ratione prædicant, quod in annotatione explicabitur. Ex felibus mas eſt libidinoſiſſimus qui vt cum fœmina ſua conſuetudinem habeat, communes catulos interimit, quibus ipſa eorum amantiſſima alendis occupatur. Ex piſcibus [2] libidini apprimè deditus Polypus quem & nimio eius vſu omnibus corporis partibus [3] viribus ſuis exhauſtis ita debilitari ferunt vt & ad natandum ac cibaria ſibi conquirenda factus infirmus alijs [4] præda efficiatur, libidinoſi etiam [5] hirci, canes, [6] equi, atque [7] equæ.

ANNOTATIONES.

1. *Idem prædicant.*] Docent enim colendam caſtitatem, ni nos ſimiles eorũ eſſe velimus (vt ſuperius dictum tũ ex Baſilio tum ex Ambroſio) quo quidem nihil hominum generi turpius aut probroſum magis, quam humanæ naturæ abdicata præſtantia in brutorum mores degeneraſſe. *verbo Adulter §. 1.*

2. *Libidini deditus.*] Atque ea re breuissimum est ei vitæ spatium vnius scilicet anni, quæ eadem pœna, vitæ nimirum periodus breuior, iustum est scortatori supplicium, putredo enim
c. 19. 3. (inquit Ecclesiasticus) & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Quam enim accidit frequenter, vt scortationibus dediti, omni vitæ succo exhausto, corruptoque corpore adhuc viui putrescant, atque fœteāt, eorumque non modò viscera, sed & exteriores corporis partes velut à vermibus arrodi videantur, fiantque intuentibus triste spectaculum, & miserandū pœnæ scortatorum monumentū. Quod autem addit eos extollendos in exemplum maius, eam id habet sententiam, vt significet eos præmatura morte ex hac vita auferendos, idque in magnum & nobile aliorum exemplum, atque vt quam sit acerbus, quamque amarus libidinum fructus, cæteri perspiciant.

3. *Viribus &c.*] Quod idem homini

illi accidere qui se huic vitio dediderit confirmat Salomon, dum filium suum, atque in eo homines vniuersos à meretrice auocat: ne, inquit, appropinques foribus domus eius: ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? penè fui in omni malo in medio Ecclesiæ & Synagogæ. Dat autem scortator alienis honorem suum, cum adhærendo meretrici eum fœdè commaculat, eiusque facit iacturam, atque ei cui turpi amore deuinctus est tradit; cum eum in eius gratiam amittit: atque eodem ferè sensu dat annos suos crudeli, id est meretrici (qua nihil crudelius excogitari posse etiam prophani sensere) cum vitam suam immodica libidine efficit breuiorem. Eadem meretrix

Prou. 5. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Plautus.

retrix vocatur in consequentibus *extranea*, vetaturque vires nostras ei ne impartiamur, quod quidem fit immoderato Veneris vsu, quo viribus planè absumptis, admodum imbecillus fit scortator. Quartum tandem bonum addit *labores*, hoc est quæ ab homine suis parta laboribus, quales sūt opes atque facultates. En quot & quāta bona misero eripit scortatori breuis atque inanis voluptatula.

4. *Præda*.] A paruis enim pisciculis & cancris exeditur.

5. *Hirci*.] Tum hirci tum canes vt & Cynocephali tam impotentis esse dicuntur libidinis vt etiam cum mulieribus consuetudinem habere ferantur, AElianus l. 7. c. 19.

6. *Equi*] Nota est equorum in libidinem pronitas, quam & sacræ litteræ sugillant dum insanientes quosdā in fœminas, emissarijs equis cōparant, nosque vetāt fieri sicut equus & mulus qui-
Psa. 31. bus nō est intellectus: aiuntq; hominē cū esset in honore, id ipsū non intellexisse, at cōparatum cū iumētis insipientibus

tibus illorumque similem factum esse.

7. *Equa.*] Vide de immoderata earum lasciuia verbo Luxuria § 2.

§ 4.

IN coniugali [1] seruanda castimonia, hominibus exemplo præeunt columbæ, quæ in auibus, maximè sunt pudicæ atque ab omni adulterio alienæ: nunquam enim ex societate inter se instituta, nisi vel casu aliquo vel alter alterius morte distrahuntur. Eadem virtute præditi sunt palumbes, vbi mas & fœmina sunt veluti nuptiarum fœdere astricti; adeòque mutua consensione ad certum & stabile connubium incredibili fide atque castimonia adhærescunt vt neuter alienum thorũ attingat; quod si id aliquando libidinis æstu perciti moliuntur, eos reliqui miserè dilaniant, vt dictum verbo Adulterium: sunt autem palumbes [2] vitæ longioris quam sint columbæ. Eandem inter se quam palumbes seruant fidem [3] cornices cum semel inter se societatis vinculo deuinctæ sunt. Corui ad trigesimũ, quin & ad quadragesimũ

æta-

ætatis annum vnà viuentes, iura coniugij inuiolata vtrinque constantissimè seruant. Quam fidem non solum ad mortem vsque durare Athenæus scribit, verum etiam defuncto altero, coniugem alterum per omne vitæ tempus viduum permanere; neque alteri vnquã copulari.

ANNOTATIONES.

1. *Maxime pudicæ.*] Atque ea re factum vt cœlestis sponsus non semel sponsam suam nempè Ecclesiam colũbæ nomine compellet, non modò quod plurimos ei secundum spiritum pariat filios (est enim fœcundissima volucris columba) sed quod ita ei amoris vinculo est deuincta vt nulli alteri sese associet, neque alterius admittat amplexus.

2. *Vitæ longioris.*] Viuere enim palũbes ad trigesimum quin & quadragesimum annum, tradit Plinius l. 10. cap. 35. Vno tantum incommodo vnguium qui citra perniciem reciduntur, cum columbæ octo tantum annis viuant. Eius autem vitæ diuturnitatis causa est

ca-

castitas; cum sint columbæ ijs salaciores vocenturque palumbes quod parcant lumbis.

3. *Cornices &c.*] Hinc veteres in nuptijs post Hymenæum cornicem inuocare soliti erant, hoc mutuæ fidei coniugalis, concordiæque exemplum ijs repræsentantes qui liberorum quærendorum gratia conuenissent.

§ 5.

ATq; hæc de volucribus, piscibus item sua inest coniugalis castitas. AEtnæus enim piscis postquã cum femella sua sociatus est, 1 ad aliam non accedit.

ANNOTATIONES.

1. *Ad aliam &c.*] Quod ab eo fit licet nullis ad id fugiendum scelus legũ supplicijs cohibeatur, quemadmodum olim Iudæi, quibus in adulterio deprehensis mors infligebatur: licet item non insonuerit illius auribus illud Iob de adulteri pœnis: ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius: neque illud Apostoli, neque fornicarij, neque adulteri

Leuit. 20. 10.
c. 24. 19
1. ad Cor. cap. 6. 9.

Prou. 6. 32. 33. teri regnum Dei possidebunt; sed neque doctus à Salomone est adulterum propter cordis inopiam perdere animã suam; turpitudinemque & ignominiam congregare sibi, opprobriumque illius non delendum. Tu verò qui hisce omnibus probè intellectis neque pœnam mortis, neque ignis æterni supplicium, neque æternum à regno Dei exilium adulteris decretum, neque (si te exteriora, hominumque oculi mouent magis) quàm sit turpis adulterij nota ignoras, adhuc tamen quasi lege omni timoreque solutus in alienæ coniugis ruis amplexus, nonne longè brutis ipsis deterior es, ideoque non ab hominũ modò, verum à brutorum etiam consuetudine arcẽdus, qui castimonia morumque honestate es ijs multò inferior? quod si te brutis comparari pudeat, regredere (vt Chrysostomi monitũ vsurpem) ad propriæ nobilitatis insigne, & immensum illud gehennæ pelagus, flumenque igneum memoria repetens, fuge pestiferam illam adulterij piscinam.

Hom 7. in Matt.

§ 6.

§ 6.

AD cōiugalem castimoniam reuoco rarũ matrimonij vsũ, quo in genere insignis est elephãtis cōtinentia qui ne sua stirps deficiat, semel tantum toto vitæ tẽpore, quæ tamẽ 1 diutissimè producitur, fœminã attingit, idq; 2 quã secretissimo loco potest, quare se aut in arbores dẽsas aut in cõcauum aliquẽ locũ profundũq; abdit.

ANNOTATIONES.

1. *Diutissimè.*] Ducẽtis plurimũ annis, quidã etiã trecentis, iuuentaq; eorũ sexagesimo anno incipit. Plinius l.8. c.10.

2. *Quã secretissimo.*] Pudore id faciunt atq; honestate qua antecedũt viros nõnullos qui palã, maximè à mẽsa vbi vino incaluerunt non quidẽ matrimonio vtũtur, sed quæ illius vsũ antecedere solent, amatorios intuitus osculaque non verentur adhibere, cũ honesti mariti sit sese in aliorũ oculis ita se cum coniuge sua gerere quasi coniux non esset, atque coniugalis beneuolentiæ signa secreto reseruare. Memini me legere de Ludouico nono Galliæ rege sanctissimo

ctiſſimo, quemadmodum cum is quadam vice à matre Domina Blancha improuiſo pro materna authoritate regium ingreſſa thalamum, eſſet deprehenſus familiariter & licenter vt ſit inter coniuges agens cum regina coniuge, magno ſit pudore ſuffuſus, cum tamen nihil pudendum admitteret, tanta erat morum tum honeſtate tum caſtimonia, vt nihil eorum quæ ad coniugum inter ſeipſos familiaritatem ſpectarent, palã exhibendum exiſtimaret.

§ 7.

ANimalibus penè omnibus id ſolemne eſt vt [1] obſeruent tẽpus ſtatum generationis, vernum ſcilicet, quo elapſo deſinunt generationi vacare, cum [1] non tam voluptatem quam prolem quærere videantur.

ANNOTATIONES.

1. *Obſeruent &c.*] Quod hiſce verbis explicat, eaque occaſione hominum libidinem carpit acriter S. Ambroſius. *lib. 5. Hexam. cap. 10.* Omnes, inquit, animantes præſcripta habent pariendi tempora, ſolus homo in-

indiſcreta, atque confuſa. Reliqua genera clementiam temporis quærunt (verni ſcilicet plurimum) mulieres ſolæ partus ſuos inclementer effundunt: nam apud eas nullum eſt partui aſſignatum tempus, cum & ſumma hyeme, incommodo infantibus tempore, fœtus ſuos enitantur: ſed vaga vt idem ait, & intemperans libido generandi, vagam pariendi ætatem exhibet. Ex hac item animalium continentia, diſcant licet coniuges habere ſtata tempora operis matrimonij, illudque omittere ſubinde vel orationis, vt monet Apoſtolus, vel ſumendæ Euchariſtiæ cauſa, vel quadrageſimæ, atque ieiunij tempore, meminerintque tempus eſſe amplexandi & tempus longè fieri ab amplexibus. 1.cor.7. Eccleſ. 3

2. *Non tam voluptatem &c.*] Quod Ambroſius ſic præclarè exprimit, pecudes muto quodam opere loquuntur, generandi ſibi ſtudium non deſiderium eſſe coeundi, quod quidem ſtudium non dubito (vt equidem ſaluo meliore iudicio exiſtimo) ab eo ſtudio profe- l.1.in Luc. ad finem.

ctum

Gen. 1. 22. ctum quo tenentur bruta omnia; Dei voci obſequi à qua ijs præceptum conſtat vt creſcerent & multiplicarentur, & replerent alia terram, aquas alia, aëris regionem cætera. Sed pergit Ambroſius propoſitioni ſuæ fidem dare, ſi quidem vbi ſemel grauem aluum ſibi ſenſerint, & genitali aluo ſemen receptum, iam nec concubitui indulgent, nec laſciuiam amantis ſed curam parẽtis aſſumunt. Et quoniam cum disertè, tum efficaciter coniugium in iſta re intemperantiam atque libidinem caſtigat, gratum erit ſpero Cõcionatoribus quibus potiſſimum iſte ſcribendi aſſumptus eſt labor, ſi eius afferam verba, vt ipſis tanto duce atque authore idem aliquando vt ſeſe res dabit, ſine rubore præſtare liceat, ſic itaq; hominũ incontinentiam deplorat. At verò homines nec cõceptis, nec Deo parcunt; illos contaminant, hunc exaſperant: Ierem. 1. priuſquam te, inquit, formarem in vtero noui te, & in vulua matris ſanctificaui te: ad cohibendam petulantiam tuam, manus quaſdam tui authoris in vte-

vtero hominem formantis aduertis: ille operatur, & tu ſacri vteri ſecretum inceſtas libidine? vel pecudes imitare vel Deum verere: hæc ille.

§ 8.

VIdualis caſtimoniæ ſeruandæ [1] magiſtra eſt turtur, quæ compare ſuo amiſſo cælebs manet atque iterare coniunctionem recuſat: idem fit [2] à Ciconia atque Cornice. Vide ſuperius § 4.

ANNOTATIONES.

1. *Magiſtra eſt turtur.*] Diſcite itaque mulieres (ita eas cõpellat Ambroſius) quanta ſit viduitatis gratia quæ etiam in auibus prædicatur, quis igitur has leges turturi dedit? ſi hominem quæro non inuenio: homo enim nullus eſt auſus, quando nec Paulus auſus eſt leges tenendæ viduitatis præſcribere, denique ipſe ait. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliàs eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario. Et alibi: bonum eſt ſi ſic permaneãt, quod ſi ſe non continent, nubant, melius eſt enim nubere quam vri: optat Paulus in

l. 5. Hexam. c. 19.

1. Thim. 5.

1. Cor. 7.

mulieribus, quod in turturibus, perseuerat. Aliàs iuniores hortatur vt nubant, quia mulieres nostræ turturum pudicitiam implere vix possunt: turtur non vtitur flore iuuentutis, non tentatur occasionis illecebra, turtur nescit primam fidem irritam facere, quia nouit castimoniam seruare, prima connubij sorte prætermissa (id est non se iterum matrimonij vinculis illigans) sed pertæsa thalamos & nomen habere coniugis, eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam: quoniam & infidelis ad perpetuitatem fuit, & amarus ad gratiam qui plus doloris ex morte quam suauitatis ex charitate generauit. Hæc Ambrosius. Quæ quidem obseruari à viduis, neque temerè præteriri velim quas affert rationes duas cur coniugium non repetat turtur, quæ eædem in morte viri valent, qui quidem nec perpetuus fuit, sed paruo stetit tempore, multoque fuit acerbius eo morte priuari quam dulce eo ipso dum viueret frui; quare iterare cōiunctionem recusent (penè verba sunt Am-

Ambroſij) nec pudoris iura, aut complaciti quondam viri reſoluant fœdera, illi ſoli ſuam charitatem reſeruent, illi cuſtodiant nomen vxoris.

2. *A ciconia &c.*] Quamquam nullis ad id legibus aut metu terreantur; mulieribus quidem ſæpe à maritis teſtamento frænum inijcitur, timor ſcilicet iacturæ dotis ſi fortaſſis ſui oblitæ alteri nubant, neque tamen in pleriſque quicquam valet metus iſte, tam eſt impotens earum libido, cum bruta iſta omni timore ſoluta virtutem colant continentiæ, atque ad ſecundos amplexus nullum admittunt.

CHARITAS. *vide* HOSPITALITAS. CONCORDIA. AMICITIA. Gratia.



GENDVM primò de animalium aduerſus hominem, tum de animalium mutua inter ſe ipſa Charitate, idque eo ordine vt primùm de eorum quæ eiuſdem,

 deinde

deinde quæ alterius ſint ſpeciei beneuolentia mutua tractetur.

§ I.

DElphini in homines mirum amorem docebunt quæ ſequuntur. Cum Iáſi puer quidem forma præſtans natationi indulgeret frequentius, Delphinus quidam eum impenſè cœpit amare, ita vt inter ſe luſitarent, & natando certarent, atque puerum veheret dorſo ſuo Delphis, & eouſque in mare progrederetur, quouſque luberet puero, quē & poſtea littori reddebat. Cumque his amoris argumentis aliquo tempore inter ſe certaſſent, accidit vt puer admodum feſſus, toto ſe ventre, eoque nudo in rectorem ſuum Delphinum temerè inijceret neque aduerteret aculeatam illius ſpinam dorſi erectam eſſe atque horrētem, cuius acuminibus exulcerato ventre, venæ etiam quædam ruptæ permultum ſanguinem & cum ſanguine vitā effuderunt; quod quidem percipiens Delphinus tum ex pondere quod grauius eum premebat, tum ex ſanguine tin-

tincto mari 2 puero superstes esse noluit, sed cursu concitato, simul cum eo vita functo se in littus eiecit, amboque, hic iam mortuus, ille animi defectione expirans humi strati iacuere. Alexandriæ regnante Ptolomeo secundo, &
3 Puteolis in Italia idem penè accidit vt minus mirum sit quod de 4 Arione Methymnæo Delphini dorso ad littus vecto tot veterum narrationibus confirmatur. Præter ista eandem in homines beneuolentiam testantur Delphini quod obuiam nauigijs veniant, alludãt exultantes, certent cũ ijs celeritate, & quamuis plena prætereant vela; deniq; quod cum hominibus tanquam socij
5 piscantur. Raiam piscem ferunt homini sub aquis periclitanti auxiliari ne vel submergatur, vel à belluis maris discerpatur.

ANNOTATIONES.

1. *Ex pondere.*] Leuior est enim atque ad portandum minus grauis homo viuus quam mortuus, ratione spirituum vitalium, qui hominem, vt aues pennæ suæ subleuant.

2. *Puero superstes.*] Non potuit satiè illustrioribus argumentis suam in eum beneuolentiam testari, quam dum viuo quidem dorsi sui vehiculum præbuit quod vnicum potuit; de eius morte verò ita doluit vt eo mortuo vitam sibi acerbam duceret, atque ideo ea se priuaret: quod quidem summum esse amoris argumentum etiamnum Indis (impiè licet) est persuasum, apud quos vbi vir (siquidem is in aliquo numero est) vita excessit, eius vxor aut vxores si plures habuerit mortem sibi conciscunt, atque in eundem rogum quo mariti ardet cadauer spontè lubentique animo sese inijciunt: atque ita nonnunquam euenit, vt in regis aut principis alicuius obitu, quibus non rarò trecentæ vxores, eæ omnes vt se defunctum amasse testentur isto spontaneo mortis genere intereant. Atque vt antiquiora non negligamus P. Catienus Philotimus patronum adeò dilexit, vt hæres licet bonis omnibus institutus in rogũ eius se proiecerit. Apud AEgyptios sodalitium fuit qui nomen, συναπο-θνησκόντων

P. Iarric. c. 1. Hist. orientali l. 2. c. 6. & 14.

Plin. l. 7 c. 36.

θνησκόντων quasi commorientium, qui hac lege copulati vt si quid aduersi contigisset alteri, eundem fortunæ exitum esset alter tanquam pœnæ socius, laturus: quo genere Antonius & Cleopatra, cui plus ille nimio se addixit, mutuo affectu deuincti fuere: neque post Actiacam pugnam abstinere conuiuiorum lautitia regalis impēdij quæ συναποθανουμένων nūcupabāt .i. cōmoriturorū; quin & cōuiuæ συναποθανουμένους seipsos vocabant. Hunc eumdem commoriendi morem seruatum ab Hiberis, Cantabris, Socianis (Gallorum ea gens est) atque AEthiopibus tradunt graues authores. Quod si sacra requiris, habes Saulis regis armigerum qui cum animaduertisset extinctum dominum suum, insigni vt putabat in eum amoris argumento, irruit & ipse super gladium suum & mortuus est. Sed vt ad Delphini amorē ab istorum impietate atque insania redeamus, quàm ab eo damnantur vehementer qui proximos neque viuos diligunt neque mortuos: viuis quidem nihil opis impertiūtur,

Pluth. in Antonio.

Cæsar. l. 3. belli gallici.

Strabo l. 3.

Diodor. Siculus l. 4. c. 1.

1. reg. 31. & 5.

tur, quin & eos vexant atque opprimunt: in mortuorum autem bona irruunt, eorum hæredes ſpoliant, filios vitam mendicato ſuſtinere cogunt, o-
c. 7. 36. bliti nimirum illius Eccleſiaſtici: mortuo non prohibeas gratiam.

l. 9. c. 8. 3. *Putcolis.*] Refert Plinius affertque alia in eandem ſentētiam exempla quæ non erit inutile videre.

4. *Arione*] Hic cum ex Italia magno ex citharæ pulſatione facto quæſtu, domum rediret, videretque pecuniæ gratia coniurare in ſuā perniciem nautas, rogauit vt cæteris quæ haberet captis, vitam ſolam ſibi relinquerent, cumque id non impetraſſet, blanditijs exorauit vt fidibus paulisper liceret canere, quo mortem ſuam cantu illo conſolaretur. Ad ſuauitatem autem citharæ cōgregatos ferunt Delphinos aliquot, ipſumque Ariona non ignarum naturæ illius animalis antequam inde dilaberetur, cum cithara & toto cultu deſilijſſe in dorſum vnius ex illis, qui eum placidè ad Tænarum deuexit, vbi & in eius rei monumentum viſitur ſimula-

chrum

chrum Delphini vehentis & hominis insidentis.

5. *Piscantur.*] supple Mugiles, quod quemadmodum perficiant fusè narrat Plinius l. 9. c. 8.

§ 2.

1 THoa ferunt hominem ita diligere vt si fortè in eum inciderit reuereatur, ac veluti obseruātia eum prosequatur, præterea vbi illum à feris circumsessum aduertit, mox accurrere, 2 opitularique pro viribus.

ANNOTATIONES.

1. *Thoa.* Ita AElianus l. 1. c. 7. Thoes inquit Plinius l. 8. c. 34. Luporum genus est velox saltu, venatu viuens, innocuum homini; quod eò maiorē habet admirationē, quod sit è luporū genere, cum quo nulla homini necessitudo.

2. *Opitularique.*] Cum homines non tantum afflictis, atque ab inimicis obsessis non ferant opem, quin etiam sese ijs adiungant ad nocendum grauius: ea est enim hominum peruersitas vt cum quis in calamitatem aliquam inciderit grauiorem, omnes experiatur sibi

ſibi infeſtos, & veluti inclinatum iam parietem propèque ruentem, omnes ad ruinam propellant, ab ijſque deſeratur qui in bonis rebus dumque faueret fortuna ei indiuulſè adhæreſcebant. Quod quidem ſibi eueniſſe ſæpe queritur Dauid, maximè autem pſalmo 54. vbi vehementer exaggerat cum ciuium Hieroſolymitanorum tum maximè Achitophelis perfidiam, qui cum vbi proſperè ſecum ageretur ab eo ſtetiſſent: mox vt eum viderunt in anguſtijs ob filij Abſalonis rebellionem, ab eo turpiter defecerunt. Idem etiam queritur Iob ſibi in graui illa ſua calamitate vſu veniſſe, dereliquerunt me (inquit) propinqui mei & qui me nouerant obliti ſunt mei. Seruum meum vocaui, & nō reſpondit, ore proprio deprecabar illum, halitum meum exhorruit vxor mea, & orabam filios vteri mei.

Iob 19. 14. 16. 17.

Confer mihi tum querimoniam iſtā Iob, tum alterā Dauidis cum eo quod à brutis homini exhibetur obſequio, atque perſpicies quam ſit homini amicior brutorum natura, quam hominum.

§ 3.

§ 3.

ELephantis in Porum Indiæ regē charitas ſatis [1] vulgata eſt, qui cum in eo prælio quod cum Alexandro commiſit, multis eſſet telis confixus, elephas quo vehebatur [2] quãquam ipſe item plurimis ſagittis vulneratus, defixa tamen in regio corpore tela leuiter admodum & cautè extrahebat, neque prius ab eo charitatis obſequio deſtitit quam perſpexiſſet regem ex nimia ſanguinis effuſione debilitari atque euaneſcere, quare paulatim leuiterque ſe demiſit, atque ita humi mãſit, vt ne ex alto decidens regis corpus, grauiore caſu allideretur.

Elephas homini obuio fortè in ſolitudine & ſimpliciter oberranti, clemens placiduſque etiam demonſtrare viam traditur. Accipiter hominis ſocietatè mirè capitur non tantum arte cicur factus, ſed dum etiam liber eſt, ſuique iuris. Scribit Ariſtoteles eum ſe ſponte ſua in Thracia, hominibus venationis l. 9. hiſt. ſocium, imo & prædæ præbere ſolitum. c. 36. Quare AElianus eum ex auibus longe l. 2. c. 42.

ho-

hominum ſtudioſiſſimum haberi tradit. Vide verbo Sepultura.

Amant Pſittaci pueros, gaudentque eorum conſuetudine, & ſermonem humanum coram eis exprimere. Scribit Aboali ſibi à fide digno aſſertũ nouiſſe ſe hominem adeò à pſittaco dilectum, vt eius diſceſſum ſemper lugeret auis. Gaudet pſittacus hominum conſortio, non tantum cicur factus, at etiam ferus in ſyluis degens, quibus relictis aſſiduè in nouo orbe circa Americanorum domicilia verſatur.

ANNOTATIONES.

1. *Vulgata.*] Eius enim meminere plurimi poſt Plutarchum l. de induſtria animalium, & AElianum l. 7. c. 37.

2. *Quamquã & ipſe.*] En quemadmodum quod vix homo homini præſtat (cui malè interdum perſuaſum eſt charitatem incipere à ſe ipſo) vt alteri, ſe neglecto, opem ferat; id præſtat homini brutum quod ſanè permirum videbitur: cur enim non ſui potius rationẽ habuit elephas quam regis, præſertim cum ad id etiam naturæ propenſio potiſ-

tissimum feratur? verum longè alio sanioreque consilio, omni sua abiecta cura, tanquam præstantiorem iudicaret, atque multò Reipublicæ vtiliorem vitam esse regis quam suam, se deserto regiam valetudinem quantum in se fuit curauit: pulcherrimo sanè mortalibus tradito exemplo seruandi ordinis in dilectione, vt si contingat fortè nos & alium quempiam cuius sit vita bono publico, Deique gloriæ propagandæ magis necessaria quam sit nostra, de ista ipsa vita periclitari, multò esse illius vitā saluam quam nostram malimus: qua quidem re non plus alios quam nos ipsi diligimus (quod quidem à ratione alienum videatur) cum alteri bono aliquo momētaneo, reque caduca concessa, nobis ipsi virtutis bonum honestatemque quæ infinitè alteri præstat assumamus. Atque hoc ipsum à paganis præstitum (quod fusè traditur à Valerio Maximo) nedum à Christi sacris initiatis, mirabitur nemo, cum & id à brutis exhibitum viderit.

§ 4.

§ 4.

SEd canium in hominum genus dilectionis argumenta ſunt quotidie in oculis, quare eius rariora ac planè ſtupenda ſubijciam [1] cum Polus profeſſione tragædus vita eſſet functus, eiuſque cadauer pro more cremaretur, canis eius alumnus in medios exſiliens ignes, [a] viuus vnà cũ hero ſuo exuſtus eſt. Mentoris item cuiuſdam canes, cũ is rogo eſſet impoſitus, voluntariam ſibi eodem igne mortem conſciuere. Denique (quoniam eius generis exemplorum non eſſet modus) cum Theodorũ pſaltem propinqui ſui in ſepulchrum impoſuiſſent, eius catellus vltro ſeipſũ in cadaueris thecam inijciens pariter cum domino ſuo humatione & ſepultura affici voluit.

Equi verò amiſſos lugent dominos, lachrymaſque interdum deſiderio fundunt; interfecto Nicomede rege equus
Plin. l. 8. c. 42.
eius inedia vitam finiuit, occiſo Antiocho, eius interfector cum equo potitus eſſet, in eum conſcendit: ſed ille indignatione accēſus, herique ſui infortunio

fortunio præceps in abrupta fertur, vnàque cum nouo sessore exanimatur. Occiso Sybaritarum regulo hostem cũ victor spoliaturus venisset, ab equo eius ictibus morsuque conficitur.

ANNOTATIONES.

1. *Cum Polus.*] Vt his antiquioribus maior fides concilietur, vide quæ superiore sœculo miranda contigisse in isto genere narrat Antonius Torqueniada Hispanus in suo libello Hexameron nuncupato.

2. *Viuus exustus.*] Huc faciunt quæ habes annotata supra § 1, numero 2. Vide de eadem brutorum in homines charitate verbo Gratia seu Gratitudo cap. 2. § 1.

§ 5.

HVc etiam referas licet eas animantes quarum benignitate educati sunt infantes. Ptolomæum soterem Arsinoæ filium ferunt Macedones expositum & ab Aquila nutritum. Hæc sublimis super infantẽ extensis alis, & æstum solis & pluuiam auertebat, Aues gregales arcebat, & co-

coturnicum ſanguine tanquam lacte eum alebat, teſtis Suidas in Iago.

Plutar. in Romulo. Aug. de ciuit. Dei l. 18 cap. 21. Iuſtin. l. 23. in fine. Pauſanias in Corinth. Pauſan. in Achaicis. Diodorus l. 2. c. 2.

Romulum & Remum fratres expoſitos [1] lupa nutriuit. Hieronem qui poſt Pyrrhi è Sicilia profectioné creatus eſt dux in Carthaginéſes & tandé Syracuſiorum rex, cum infans eſſet à patre expoſitus, apes congeſto circa iacentem melle multis diebus aluere. Idem de Meliteo qui vir factus præclarè ſe geſſit, plurimiſque vicinorum præfuit, traditum eſt. Aeſculapio ſummo poſtea medico lac præbuit capra. Telæphus rex infãs ceruæ ſuxit vbera: Paris Priami filius vrſæ. Semiramidem Aſſyriorum reginam, infantem à matre in loca ſaxoſa abiectam, aues coagulato lacte è proximis paſtorum mapalibus rapto nutriuerunt: Anno exacto cum firmiori cibo indigeret, aues caſeum ex eodem loco raptum ori infantis admouerunt.

ANNOTATIONES.

De ciuit. Dei l. 18 c. 21.

1. *Lupa nutriuit.*] Agnoſcit hîc in huius feræ benignitate ſingularem Dei prouidentiam Diuus Auguſtinus, qui in-

infantibus istis per quos tanta ciuitas condenda fuerat, de aqua diuinitus liberatis per lactantem feram voluit subuenire. Quod idem de ijs qui subijciũtur asserere quid vetat? maximè cũ ab eorum singulis iam ætate prouectis singularia quædam facinora prodierint.

§ 6.

VErum si tam sunt hominum amantes bestiæ mirum non erit si se inter se ipsæ ament, ac potissimum vbi eadem specie naturaque participant. Atque vt à Delphinis quod supra item factum ordiamur:
1 cum Delphinus quidã in vrbe Thraciæ AEnos, vulnere accepto licet non mortifero, vnde tamen multus flueret sanguis, captus esset, vbi id senserunt cæteri, maximis saltibus ad portum gregatim vnà cum catulis suis sũt profecti, itaque [2] probè studium suum captiuo nauarunt, vt eum piscatores à tot Delphinis sibi pertimescentes solutum dimiserint: illum autem saluum receptum Delphini natu grandiores, quasi tristes de infortunio, regredien-

tem comitati sunt; & magno studio tota via subleuare conati.

ANNOTATIONES.

1. *Cum Delphinus.*] Author AElianus l. 5. c. 6. quod confirmatur alio non absimili istius, ex Plinio l. 9 c. 8. Capto, inquit, à rege Cariæ Delphino, alligatoque in portu, ingens reliquorum cōuenit multitudo, mœstitia quadam quæ posset intelligi miserationem petens, donec dimitti rex eum iussit. Sed & his fidem astruit Aristoteles vtroque prior, l. 9. animalium c. 48. allata istorum penè simili historia.

2. *Probè studium nauarunt.*] Quo quidem facto mortales docent Delphini, quando potissimum sint proximo veræ dilectionis atque amicitiæ exhibenda signa, tempore scilicet aduerso: in tristitia enim ait Sapiens & in malitia viri (id est malo & contrario tempore) amicus agnitus est. Et vt scitè Ennius: Amicus certus in re incerta cernitur. Arguunt præterea exemplo suo, illos qui proximos amant, atque dum aura fauet sequuntur quidem, at minimo re-

Ecclef. 12. 9.

reflante vento deſerunt ſuntque de illis de quibus ſacræ litteræ : Vna hora (id Eccl. 12.
eſt, breui tempore, proſperitatis nimi- 14.
rum) permanebit tecum : ſi autem declinaueris (id eſt, ſi te à priſtina tua eaque bona fortuna excidere contigerit) non ſupportabit te, id eſt non amplius te tolerabit; mutataque fortuna tua etiam ipſe mutabitur. Vt enim præclarè Seneca: falſus amicus cum fortuna venit, & cum fortuna recedit. Quam ſit autem indignum, à brutis, veræ charitatis exhibendis ſignis homines ſuperari, ex ſe patet ſatis.

§ 7.

TAnta in ſe mutuo ardent charitate elephanti vt nunquam [1] ex ſenectute infirmum, neque eum qui [2] morbo teneatur, ſui gregales deſerant, ſed ſumma fide ei adhærent, eiuſque cum cæteris in rebus ſtudent incolumitati, tum verò cum à venatoribus vrgentur, [3] pro eo propugnant. Et licet eis fugere ſit integrum, vulnerari ſe patiuntur potius, quam vt eo deſerto fugiant, ſuæque ſaluti proſpiciant.

piciant. Eandem teſtantur inter ſe charitatem facto iſto: cum enim à venatoribus tanquam milites in bello fugantur, non alij ab alijs ſeparatim, ſed omnes ſimul, & communiter in fugam ſe dant, ac ſimul inter ſeſe alter alterum prementes ad ſocios ſuos adhæreſcunt; Atque vt illuſtrior fiat illorum inter ſe beneuolentia, iſtum inter ſe ipſi ordinem ſeruant; vt qui de ijs confirmata iam atque integra ſunt ætate, reliquos (tanquam validi pugnatores totum agmen) claudant atque intra ſe contineant, ijſque medium tanquam tutiorem locum concedant. Amnem porrò tranſituri minimos præmittunt, ne maiorum ingreſſu atterēte alueum, creſcat gurgitis altitudo, quod quidem tum dilectionis inter ſe eſt ſignum, tum prudentiæ ſingularis: quemadmodum item quod ſequitur. Elephanti veſtigio hominis animaduerſo priuſquam homine, intremiſcunt inſidiarum metu, nec illud calcant ſed erutum proximo tradunt, ille ſequenti, nuncio ſimili vſque ad extremum, denuntiantes vt
ſi-

ſibi quiſque caueat. Quod ad eorum attinet cibum id non videtur omittendum, quod cum eos cætera pabula defecerint, radices alij effodiunt quibus paſcantur, alij gramina, herbas aut frondes quærunt, atque ex his qui primus aliquid nactus ſit, regreditur vt tũ ſuos gregales aduocet; tum vt eos in prædæ communionem deducat.

ANNOTATIONES.

1. *Ex ſenectute infirmum deſerant.*] Quod quidem hominum plerique quáquam id diuina etiam lege caueatur faciunt tamen. Lex eſt in Leuitico: corã c.19.32 cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, ego ſum Dominus: quod autem de honorando ſene præcipitur, eam habet vim vt non exteriorem modo honorem ſed multo magis ſuſtentationem, opem, præſidium complectatur. Atque in eum ſenſum accipiunt interpretes illud Pauli: viduas honora quæ verè viduæ ſunt: neque non illud eiuſdem: qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt maximè qui laborant in verbo & doctrina: conſentitque

1 ad Timo. 5. 3.

1. ad Timo. 5. 17.

 titque

titque cum hac interpretatione prisca auorum atque primorum Christianorum pietas qui recipiendis alendisque senibus γεροντοτροφεῖα exædificarũt, amplisque prouentibus ditarunt quorum etiamnum exstant plæraque: atque vtinam hæc ætas qua tot opes, tantaque pecuniæ vis apud quosdam, patrum suorum in senes amorem æmulata, noua ijs erigeret. Verè loquar nihil equidem existimo maiore dignum commiseratione, nihilque ad commouendam misericordiam aptius quam senem pauperem, infirmum viribusque destitutum, vt necesse sit nulla eum charitatis viscera habere quem talis non misereat.

2. *Morbo teneatur &c.*] Quam Elephantorum se esse volunt dissimiles homines ij, quibus id solemne est vt si quẽ habeant famulum ægrum, eum domo tanquam sibi inutilem eijciant; qui quidem cum homine eiusdem naturæ consorte perinde agunt ac cum veste aut calceo, quarum rerum vbi ob vetustatem nullus est vsus, eas abijciunt. Cuius rei testis famulus ille in sacris litte-

ris ex quo cum quæsijsset Dauid Rex 1. Reg.
cuiusnam is esset, vel vnde, quoue per- 30. 13.
geret, de heri sui inhumanitate conquestus: puer, inquit, AEgyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ, dereliquit autem me Dominus meus quia ægrotare cæpi nudiustertius. O quam isto hero clementior fera quæ sui generis ægros omni humanitatis officio prosequitur! Verum si te pudet, pigetque feras imitari, imiteris licet laudatum illum Euangelicum centurionem, cuius Matt.
cum malè haberet famulus tantum ab- 85.
est vt eum domo exegerit, quin & de salute eius sollicitus, adierit ipse Christum, eã ipsam ab eo exoraturus: puer, inquit, meus iacet in domo paralyticus & malè torquetur. Verum si neque istũ imitari vales, imitare vtique barbaros illos regni Cambayæ in ditione magni Regis Mogor, & quod ab ijs, auibus impenditur pietatis officium, impende tu hominibus. Tam enim sunt in aues dum ægræ sunt, aut ad volandum ineptæ, pij atque benefici, vt ijs magnifica extruxerint xenodochia, am-

amplissimisque reditibus tum ijs curãdis tum earum curatoribus alendis dotarint: & vt omittam esse ædificia ista admodum superba, sumptuosa, vasta, longisque excurrentia peristylijs quæ hinc atque inde cubiculis quibus aues istæ excipiantur exædificata sunt, magna præterea inibi visitur ministrorum vis quæ eorũdem xenodochiorum prouentibus sustentata in id incumbit, vt quotidie cum fora ciuitatum obeat, tũ per campos excurrat, vt si quas malè affectas aues nanciscatur, eas ad xenodochium curandi causa deferat, quas & valetudini redditas pristinæ libertati restituunt, volatumque ijs indulgent, multa alia in istam sententiam adfert P. du Iaric, quæ cuilibet videre licebit, quibus certè magnus incutitur pudor (vtinam non & terribile immineat iudicium) Christianis, qui homines miserantur minus quam barbari isti aues: quibusque minor eorum malorum quæ homines, quam istis eorum quæ perpetiuntur aues sensus inesse cõprobatur.

T.1 hist. orient. l. 2. c. 6.

3. Pro

3. *Pro eo propugnant.*] Alias nunquã se (vt obſeruatum ab AEliano eſt l. 7. c. 36) elephas inſequentibus opponit; niſi aut fœtus ſui aut infirmorum ſociorum cauſa, pro his nimirum nihil non moliens inexpugnabilis manet.

4. *Concedant.*] Mori ſcilicet prompti ipſi pro cæterorum ſalute, & quod vix in hominibus, in elephantis omnibus reperias licet: in hominibus inquam qui ad præclarum iſtud generoſi animi facinus tot Sanctorum exemplis, tot ſacrarum litterarum cohortationibus, tot denique propoſitis præmijs inuitantur, cum elephantis omnia iſta deſint.

5. *In prædæ &c.*] Heu quam diſſimiles hominum mores, quibus,

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus: „
Nō ſocer à genero, fratrū quoq; gratia rara eſt. „

Omnes quærunt quæ ſua ſunt idque tanta auiditate atque ſiti vt neminem in quærendo ſocium admittant, nedum aduocent, excludant etiam: quippe qui ſibi ſolis velint omnia & quod quidem lōgè eſt deterrimū, poſtquã multa ſibi vndequaque, qua fraude, qua arte, qua im-

improbo labore collecta coaceruarunt,
Eccl. 5. 9. ſatiantur nunquam. Auarus enim non implebitur pecunia. Inſatiabilis oculus
Eccl. 14. 9. cupidi in parte iniquitatis, non ſatiabitur donec conſumat arefaciens animam ſuam. Infernus & perditio nun-
Prou. 27. 20 quam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. Et quemadmodũ
Prou. 30. 16. ignis nunquam dicit ſufficit, ſic qui iſto cupiditatis quaſi igne deflagrat ſatiatur nunquam, ad nouas atque nouas continẽter opes anhelat planè ſimilis eius, qui aqua intercute laborat, de quo quidam.

Horatius.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Cum itaque nullæ facultates ei ſint ſatis, mirum non eſt, ſi ſibi ſumat omnia, neque alios in partem prædæ admittat.

§ 8.

1 MIrus eſt etiam apum inter ſe amor maximè 2 In ægrotas quas quidem ad ſolis ex-

exponunt radios, atque in aluearis o-
ſtio collocant, ad eaſque cibum defe-
runt, ijſque comiter aſſiſtunt tanquam
ægris homines, ac modo ſuo ſolantur:
nocte verò appetēte eas in ædiculas ſuas
referunt, ne aëris vitio lædantur. Eas
autem operari nullatenus patiuntur,
quoad confirmentur prius, priſtinaſque
recipiant vires, quod ſi de vita exeunt,
eas exportant ad ſepulturam, atque fu-
nus comitantur.

ANNOTATIONES.

1. *Mirus amor.*] Iſta ſi expendat æqua
lance prudens lector, inueniet ſanè ni-
hil amplius dilecto filio ab amantiſſi-
ma matre præſtari poſſe ijs, quæ apis a-
pi præſtat, depræhendet. Item eximio
iſto charitatis exemplo, damnare ve-
hementer Deum Optimum Maximum
inſignem hominem aduerſus homines
animi duritiem, qui non ſolum ijs ma-
terna viſcera non exhibent, ſed neque
vllo alienorum malorum afficiuntur
ſenſu, cum ipſi interim nihil ferre poſ-
ſint, doloriſque omnis impatientiſſimi
exiſtant, contra verò ea omnia accer-
ſant,

ſant, quæ carni, quæ ſenſui blãdiuntur:
Amos dormiunt namque in lectis eburneis, &
6. v. 4. 5. 6 7. 8. 9. laſciuiunt in ſtratis ſuis, comedunt agnum de grege, & vitulum de armento, canunt ad vocem pſalterij; bibunt vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiuntur ſuper contritione (id eſt extrema afflictione) Ioſeph. Sed quemadmodnm peruerſè iſtos æmulantur, ita & ſupplicij eorum participes exiſtant neceſſe eſt. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio laſciuiẽtium. Iurauit Dominus Deus in animam ſuam dicit Dominus Deus exercituum: deteſtor ego ſuperbiã Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cũ habitatoribus ſuis: quod ſi fuerint reliqui decem viri in domo vna & ipſi moriẽtur. Hæc adeoque triſtiora expectẽt duri iſti atque immiſericordes, cum ſibi ſint tam blandi atque indulgentes.

2. *In ægrotas*] Vehementer confundit Chriſti cultores iſtud in apibus miſerationis exemplum. Verũ non paruo eos item pudore afficit, quod de Turcis bar-

barbaro hominũ genere memoriæ proditum est, apud eos frequentissima esse xenodochia, eaque ditissima, solitosque esse qui inter eos opibus valēt, Sultanos maximè & Baschas, quin & ipsumet eorum imperatorem vbi se longius ætate progressos vident, facultates suas locis istis pijs exædificandis, dotandisque assignare. Mahometh quidē eius nominis secundus, postquam Cōstantinopolitanam ciuitatē armis suis occupasset, amplissimum ibidem erexit xenodochiũ millium ducatorũ sexaginta, in annos singulos prouētu ei assignato. Quot mihi tu in Europa atq; inter Christianos numerabis eiusmodi Christianorũ pietatis monumēta? Neq; verò principes viri modò, sed & vulgus idē factitat cui persuasum est non posse meliores vsus facultatibus suis dare, quam si ista in ægros atque pauperes beneficentia Deum sibi propitium reddat. *Theuetus l. 7. cap. ult.*

§ 9.

NEque verò elephantorum amore inferior est ceruorum inter seipsos amor, quibus cum fretum aliquod

cibi

cibi conquirendi gratia transeundum est, cum seruant ordinem vt capitum suorum propter cornua grauia [1] onera, super se inuicem portent, posteriore super antecedentis tergum ceruicem atque caput collocante. Et quoniam necesse est vnum de ijs esse, qui cum cæteris præeat, neminem habeat cui capite inuitatur, [2] per vices id agere dicuntur, vt qui dux gregis, capitis sui onere ferendo est defessus, post omnes recedat, eique succedat ille cuius ferebat caput cum ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt, donec ad terræ stabilitatem pertingant.

ANNOTATIONES.

1. *Onera portent.*] Planè alloquitur Paulus (inquit Augustinus postquam huius ceruorum historiæ meminisset) spirituales ceruos cum ijs mandat vt alter alterius onera portent, & sic adimpleāt legem Christi. Sunt autem onera quæ ferre oporteat, imperfectiones variæ proximi, mores ipsius, humoresque à nobis alieni, rationes agen-

In psal. 41.

Galat. 6

di

di nobiſcum parum congruentes, & cætera eiuſdem rationis. Quin & ipſius peccata, iracundia, detractio, calumnia, quæ quidem portantur cum viciſſim ei non iraſcimur, neque malum pro malo & maledictum pro maledicto rependimus: ſed Chriſtum potius æmulamur, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. 1. Petr. 2. 23.

Neque verò timeat qui ita onera atq; peccata portat proximi, ne talibus prematur oneribus, aut in profundum demergatur; peccatis enim ſuis vnuſquiſque premitur, neque tua ſunt cum ea portas (eo quo iam explicatum eſt modo) tua ſunt quidem ſi conſentias, ſed iam tua te premunt non alterius, cum conſenſione, quæ erant alterius tua fiát. Hæc Auguſtinus, cur autem inuicem onera noſtra portare oporteat eius rationē attexit Paulus, quoniā ſic Chriſti lex adimpletur. Quæ lex inquit Auguſtinus niſi lex charitatis, qua præcepit vt nos inuicem diligamus, tantum in ea ſen- In pſal. 129. l. 83. q. 81.

ſententia præcepti pondus conſtituens
Ioan.13. vt diceret: in hoc cognoſcent omnes
34. & quia diſcipuli mei éſtis ſi dilectionem
16,12 habueritis ad inuicem. Huius autem dilectionis officium eſt inuicem onera noſtra portare: nihil enim ſic probat amicum quemadmodũm oneris amici portatio. Sed hoc officium quod ſempiternum non eſt perducet ſane ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt onera noſtra quæ inuicem portare iubeamur. Nunc verò cum in hac vita id eſt in hac via ſumus, onera noſtra inuicem portemus, vt ad eam vitam quæ caret omni onere peruenire poſſimus. In eandem ferè ſententiam Gregorius 30. Mora: cap. 16. ad illud Iob: nunquid parturiẽtes ceruos obſeruaſti.

2. *Per vices.*] Quod diuus Auguſtinus accommodat ad diuerſa tempora, quibus alter alterius onera atque infirmitates portamus, v.g. iram fratris porto modò cum iræ meæ moderor, nec iraſcenti mihi iraſcor, vt rurſus eo tempore cum iræ meæ non imperabo ille me lenitate ſua ſupportet. Idem accõmodat

modat præterea ad diuerſa onerum atque infirmitatum genera: veluti ſi quis loquacitatem in ſe vicerit, & pertinaciam nondum vicerit; Alius contra loquax quidem ſit, non ſit autem pertinax, debet ille huius loquacitatem, & iſte illius pertinaciam donec illud in illo & hoc in iſto ſanetur, charitate portare.

3. *Donec ad terræ &c.*] Quod quidẽ ab ijs fit mediante iſta mutua inter ſe charitate, cuius vi portum tenent, neque naufragium timent: quia quaſi nauis, inquit Auguſtinus, eſt illis chari- *In pſal. 129.*
tas, ô bonam, ô tutam nauim charitatis, quæ neque maris fluctus, neque vẽtorum procellas, neque vada, ſyrteſue aut ſcopulos neque Piratarum aut prædonum excurſiones extimeſcat. Verum ſi brutis eſt nauis charitas, quantus nauis iſtius tam ſecuræ tamque tutæ ſit vſus oportet ijs, quibus hic tot tamque crebrò iteratis charitatis præceptis tum à Chriſto Domino, tum ab Apoſtolis, tum ab apoſtolicis viris eſt inculcatus?

§ 10.

NEque verò prætereundus Anthiarum & Scarorum mutuus erga sui generis pisces amor; qui socios suos [1] captos, è piscatorum manibus vindicatos in libertatem asserunt: ac Scarij quidem id ita perficiũt, [2] si fune sit eorũ quispiam comprehensus, funem dentibus conficere conantur, vt ex hostium manibus prædam eripiant: si autem is in nassam inciderit solet captiuus posteriorem corporis partem de nassa eijcere, cæteri verò qui non sunt capti circumnatantes, eũ morsu corripiunt & foras socium proferunt; si caput foras extulerit captiuus, vnus quispiam eorum qui foris sunt caudam ei porrigit, qua apprehensa trahentem sequitur.

ANNOTATIONES.

1. *Captos liberant.*] Ecce quemadmodum non legibus modò; verum etiam brutorum moribus atque humanitate mouemur, ijs opem ferre, qui in vitæ versantur periculo maximè per iniuriam auferendæ. Ac legem quidem

id

id præcipientem si requiris, eam habes prouerb. 24. 11. & 12. in hæc verba: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Si dixeris: vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.* Cui concinit illud de psalmo 81. *Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate.* Quæ quidem quamquam potissimũ ad iudices dicta sint, quibus id facere ex officio incumbit; nihilominus tamẽ eos etiam spectant quorum tum authoritas, tum opes valent ad liberandum innocenter oppressos. Aduertant hic velim, Iudices, Præsides, Magistratus, cæterique omnes quibus iudicandi munus demandatum est quàm malè hisce obsequantur præceptionibus cum eos (quod quidem plerique eorum faciunt, bonos semper excipio) quos insontes norunt ipsi, tantum vt potentiorum à quibus etiam largitionibus excæcantur libidini atque improbitati morem gerant, captiuos atque situ squalloreque

confectos diutius, quàm par est detinent, quos etiam non raro decem, & eò amplius dies iam carcere conclusos, neque adeunt, neque examinant, vt persæpe nesciant miseri quam ob suam culpam, aut meritum eas in angustias sint coniecti. Vestrum est ô Iudices quod etiam monet Apostolus vinctis compati: vestrum de eorum causis ante cæteras omnes quoad eius fieri potest cognoscere atque statuere: vestrum denique potentiorum in tenuiores iniurijs vos pro virili opponere, atque in eos (magnates licet) legibus agere, qui potentia sua freti atque authoritate infirmiores quosque vexant, atterunt, opprimunt, & tantum non occidunt. Verùm tu qui ob leue verbulum quod honori tuo, vt malè existimas, labem aliquam afferre possit proximum in carcerem trudis, ab eoque quasi læsi honoris reparationem exigis, cum is re tam leuicula lædi non potuerit. Tu qui debitorem tuum ob summam exiguam, aut si ea maior sit, eum qui soluendo neque est modò, neque vlla spes est fore

Hebræ. 10. 34.

re

re aliquando, maximo eius totiusque familiæ incommodo eadem afficis pœnâ, atque vitam acerbam ducere compellis: tu, inquam, qui tam es inhumanus, tam ferus, tam agrestis, quid tibi animi est quando te vides à Scaro humanitate, beneficentia, clementiaque superari? Hic captiuos liberat, tu liberos capis; Tu captos mille modis crucias; ille mille modis eorum saluti, libertatique consulit. Ille brutum est; tu homo es. Ille nulla ad id lege, si proprie præcisèque loquimur, tenetur, Tu tot constringeris legibus, quot habes qui tibi imperare possunt; Deum, naturam, communem gentium consensionem, Ecclesiam, principes, consuetudinem.

2. *Si fune.*] Vide hic duplicem eorũ industriam captiuorum libertati accõmodatam: quod si tu per impotentiam captiuos liberare non possis, eos tamẽ visitare possis atque solari; Atque iuuare fortè consilio, quin & re, ijs quæ ad cultum victũque sunt necessaria suggerendo: Quod si captiuos tantum inuisenti *Matt. 25*

 senti

lenti merces æterna datur, quid eos dabitur etiam ſolanti? quid conſilio, quid facultatibus opem ferenti?

§ II.

1 OVes vehementi inter ſe amore deuinciũtur, atque 2 ideo minus ab luporum inſidijs periclitantur, 3 neque enim quæuis earum ſeorſim oberrat, neque gregem temerè vlla 4 deſeruerit.

ANNOTATIONES.

1. *Oues.*] Iſtas imitandi maior quædam nobis videtur iniecta obligatio, ſi nos eos eſſe velimus, quos eſſe multum proderit, oues ſcilicet Chriſti: ita enim ipſe ſuos nominat, diſcernitque ab hædis quos ſtatuet quidem à ſiniſtris, illas verò à dextris : quare nobis cum in omnibus tum in iſta maximè mutua beneuolentia ouium natura imitatione exprimenda.

2. *Ideo.*] Ex amore enim ſequitur cõcordia, quæ nulli, quamuis luporum id eſt dæmonum agminibus cedit, eſt enim inſuperabilis concordia.

3. *Neque enim oberrat.*] Quod quidem

dem ex mutuo naſcitur amore, qui e-
nim ſe amant inuicem, mutua gaudent
conſuetudine atque conuictu; ſolitudo
plærumque parui in alios eſt amoris ar-
gumentum.

4. *Deſeruerit.*] Quod capris eſt fa-
miliare quæ ſicut temerè per auia va-
gantur atque inuia, ita facilè gregem
ſuum deſerunt.

§ 12.

1 INſignis eſt equarum in ſui gene-
ris pullos quamlibet alienos be-
nignitas, quos enim nondum
plenè nutritos matres reliquêre, alienæ
equæ eos miſeratæ, cum ſobole propria
alunt atque educant.

ANNOTATIONES.

1. *Inſignis &c.*] Quid hinc diſcere
liceat vide infra §. 14. in annotatione.

§ 13.

EXtremum addam de Graculorũ
in ſuos gregales amore, qui tam
eſt vehemens vt ſolam eorum
1 vanam licet ſpeciem amore comple-
ctantur, quæ quidem res non rarò eis
perniciem affert: nam ſolet venator eo

loco quo congregantur, pelues olei pellucidi plenas collocare, quò curiosa auicula profecta, in vasis labro consider, & simul se inclinans suam ipsius vmbram despicit, & quoniam existimat se ibi alium Graculum intueri, ad ipsum eius desiderio capta festinat descendere, ibique olei tenacitate circumfusa, sine laqueis, retibusue vllis constricta tenetur. Alij ad decipiendos Graculos alio vtuntur astu: quendam enim de ijs pelle spoliant, pellemque implent stramine, itaque adaptant vt is viuus videatur, atque sic alios alliciunt, nam cum sui generis bruta ardentissimè diligant ad mortuum illum studiosè conuolantes, in manus aucupum incidũt. Ex hoc porrò Gracculorum inter se amore id nascitur, vt mutua gaudeant consuetudine & societate, vnde & ortum prouerbiũ: semper Gracculus assidet Gracculo.

ANNOTATIONES.

1. *Vanam speciem.*] Author AElianus lib. 4. c. 30. quam hic verum conspicitur quod ait Salomon: *Omne animal di-*

Eccles. 13. 19.

ligit

ligit simile sibi, cum non vera tantum auis à monedula diligatur, verum & illius etiam vanum simulachrum. Quod quidem hominibus vehementem pudorem commouere oporteret, quod cũ bruta suæ speciei ament etiam vmbras atque imagines omni veritate vacuas, non ament tamen ipsi veros homines, id est vera atque viuentia diuinitatis exemplaria, est enim homo factus in animam viuentem, idque ad imaginem & similitudinem Dei. *Gen.* 1. 26.

§ 14.

AD hunc brutorum inter se amorem referri potest sepultura, extremum officium quod mortuis suis impendunt, de quo aptius dicetur verbo Sepultura. Ea deniq; est brutorum ferè omnium inter se dilectio vt si quod sui generis aut clamore aut alia ratione opprimi, subsidioque egere sentiant statim ei præsto sint: sic videmus porcos porcis adesse, atque circũ eos qui iugulantur eorum miseratione permotos opemque eis suam conferre conantes, grunuire. Quin & suo periculo,

culo, certèque mortis diſpendio plæraque bruta id præſtant. Lanius (auis eſt venatica, picam clamoſam Galli vocant) cantillando, variaſque auium voces æmulando quibus eas ad ſe alliciat, victum ſibi comparat, ac data opera altum exclamat aliarum ſonos imitatus, vt illas generis ſui auem aliquam in anguſtijs eſſe, ſuoque indigas ſubſidio exiſtimantes ideoque propius aduolantes arripiat lanietque. Atque ſimilis eſt iſta lanij venatio, ei qua nos Noctuarum opera, aut earum voces arte quadam æmulando, cæteras aues allectas viſco irretimus & capimus.

§ 15.

SVpereſt pars extrema de ijs quæ ſupra propoſita erant, quæ eſt de brutorum in alia non ſuæ ſortis & ſpeciei bruta dilectione, in quibus principio occurrit [1] Fulica auis quæ ab Aquila pullum abdicatum tanquam non ſuum, quod ſolis radios inoffenſus ferre non valuerit [2] ſuſcipit ipſa, ſuſceptumque eodem quo proprios fœtus maternæ ſedulitatis officio proſequitur

atque

atque eodem cibo paſcit.

ANNOTATIONES.

1. *Fulica.*] Nonnulli (& fortè melius) iſtud non fulicæ at oſſifragæ tribuunt: eſt autem oſſifraga Aquila adulterina, quæ animalia etiam grandiuſcula venatur, à quibus trucidatis & oſſibus eorum confractis nomen inuenit. Plinius l. 10. c. 3.

2. *Suſcipit &c.*] Ergo (exclamat Ambroſius) fulica alienos nutrit, nos verò noſtros immiti crudelitate proijcimus. Atque valet id tum in eas matres, quæ omni fera crudeliores, fœtus ſuos publicè exponunt, alieno tum ſinu fouẽdos, tum lacte nutriendos: tum in eas quæ vteri ſui fructum nutricibus alendum tradunt, non aliam ob cauſam quam vt ſe moleſtia iſta liberent, licẽtiuſque atque crebrius libidini ſuæ indulgeant. Non ita ſanè factum à Beata Virgine quæ filium ſuum vbere de cœlo pleno lactauit ipſamet: atque priores illa, ſanctiſſimæ mulieres Sara, Rebecca, Rachel, Anna Samuelis mater, tum altera illa Machabæorum parens, *lib. 5. Hexam. c. 18.*

aliæ-

aliæque innumeræ filijs ſuis vbera ſua præbuerunt, vt ab ijſdem vitæ nutrimentum haurirent à quibus vitam ipſam hauſiſſent.

§ 16.

1 PORphyrio eorum animalium quibuſcum viuit atque cõſueſcit amantiſſimus eſſe dicitur: cum is enim ſimul eſſet cum gallo gallinaceo in eodem domicilio verſatus atque educatus, ijſdem exercitationibus, cum eo vſus, ex his mirum cum eo contraxit amorem. Accidit autem vt vtriuſque Dominus ob feſtiuæ diei cõuiuium gallum occideret, quo cum ſe carere deprehendiſſet Porphyrio, tanquam ſocio atque conuictore priuatus, tantum doloris accepit, ſibi vt inedia
2 mortem conſciſceret.

ANNOTATIONES.

1. *Porphyrio.*] De eo vide ſupra, verbo Adulter, & AElianum l. 5. c. 28.

2. *Mortem conſciſceret*] De ſpontaneo iſto genere mortis quantumque ſit amoris in alterum teſtimonium vide verbo Charitas §. 1. in annot.

§. 17.

§ 17.

HVc facit quod de 1 Pardali fertur quam cum venator cicurasset atque cum hominibus versari didicisset, ei quadam die hœdum quo cum familiariter educata erat ad pastum obiecit: at primo die, ab eo laniando abstinuit, secundo item quod nondum fame premeretur, tertio verò, cum esuriret, solitaque voce cibum requireret, atque ei idem obiectus esset Hœdus, 2 noluit quia contubernalis eius fuerat atque amicus, attingere, sed illi vitâ condonatâ in alium irruit vt famem expleret suam. AElian. l. 6. c. 2.

ANNOTATIONES.

1. *Perdali.*] Panthera, alio nomine Perdalis.

2. *Noluit attingere.*] Quid hic faciat, quid respondeat Alexander falso ista saltem re magnus, qui in Aristotelis sinu nutritus, Clytum charissimum sibi atque vna educatum, inter epulas. & manu quidem sua, quod ei parum adularetur, & quod pigrè (vt loquitur *l. 3. de* Seneca) ex Macedone ac libero in Per- *ira c. 17.*

sicam

ſicam ſeruitutem tranſiret, transfodit? Qui Lyſimachum æquè ſibi familiarē leoni obiecit, qui lanceam ſæpe in conuiuas ſuos torſit, qui tot denique è domeſticis ſuis confecit, vt eius manum idem Seneca familiarium fuiſſe exitiū, ſcriptum reliquerit. Mitto eos qui neque à conſanguineis quidem atque affinitate iunctis manus abſtinent, de quibus fortè cōmodius verbo Homicidiū.

l. 1. de clementia c. 15.

§ 18.

1 CVm capris oues amicitiæ vinculo ſunt coniunctæ, vt & cum turture columba, & cū eadem pauones, conſentiunt palumbes & perdices, alcedo & carulus mutuo inter ſe flagrant amore, vt & cornix & ardeola, gauia item & monedula, harpa & miluus: Turtures autem & pſittaci, merulæ & turdi, cum contrà vulpium genus communibus inimicitijs teneantur, inter ſeſe optime conueniūt.

ANNOTATIONES.

1. *Cum Capris.*] Meritò damnatur ab AEliano iſta recenſente exempla l. 5. c. 48. hominum feritas atque barbaries, ſum-

ſummamque ſibi ait videri turpitudinem, quod in hominibus alter alterum non amet, cum bruta rationis expertia amicitiam inter ſe tum ineant, tum conſeruent, neque modò ea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, verum etiam ea quæ diuerſam ſunt ſortita naturam.

§ 19.

1 NOctuæ à cæteris auibus infeſtatæ auxiliatur eáque è præſenti periculo liberat accipiter, [2] collegio inquit Plinius quodam naturæ, [3] bellumque partitur. Erga turturem quoque caritatem ſuam prodit, eo quod hanc deprehenſam dimittere ſoleat. *l. 10. c. 17.*

ANNOTATIONES.

1. *Noctuæ.*] Mirandum ſanè iſtud in Accipiter, ipſum omnibus ferè alitibus inuiſum quia prædator eſt aui item cæteris omnibus exoſæ ſolum ferè amicũ & patronum exiſtere. Mirandum inquam auem regiam, generoſiſſimam, & plus animo quam vngulis armatam vt inquit Iſidorus, cuique multum ineſt iræ, tam vilis deſpectæque volucris, *l. 12. orig. c. 7.*

qua-

qualis eſt noctua patrocinium ſuſcipere: Nempè generoſæ mentis eſt humilibus opitulari; neminem quamlibet contemptum aſpernar., .emini operã ſuam quamquam cæteris omnibus inuiſo denegare, quin & his maximè adeſſe qui reliquorum deſtituti præſidiõ vitam acerbam, morteque ipſa amariorem ducunt.

Quod ſi hanc volucrem imitari piget, Deum ipſum imitare de quo ita regalis vates, tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua: Iudicare (ad iudicandum) pupillo & humili (contra ipſorum oppreſſores). Quod ſi tam ſublime volare nequis vt Deum imiteris, at Chriſtum imitare, eiuſque generoſitatem. Iudicabit (ita de eo Dauidis oraculum) pauperes populi & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet. Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, & ho-

Pſal. 9. 38.

Pſal. 71. 4. &c.

norabile

norabile nomèn eorum corã illo: neque enim licet à ſe tot liberatos ærumnis & malis habebit veluti vilia mancipia, at magno apud ipſum in pretio & honore futuri ſunt. Spiritus Domini (Verba ſũt euangelici prophetæ de eodẽ) ſuper me propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, & cætera quæ eodẽ pertinẽt, quibus liquet Chriſto Domino miſeros, pauperes, viles mũdoq; deſpectos ac calamitoſos inprimis cordi curæq; fuiſſe. *Iſa. 61. 1. Luce 4. 18.*

At neque te huc aſpirare poſſe cauſaberis, quid enim magis arduum quã Chriſtum Dominum imitatione conſequi? Dabo igitur Iobum purum hominem, eumque naturali tantum lege eruditum, qui nón minus verè quam generoſè iſta de ſe prædicat. Auris audiens beatificabat me. Eò quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater erã pauperum, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam: & cætera quæ breuitatis cauſa omitto *Iob. 29. 11.*

vt & c. 30. v. 25. & 31. v. 16. 19.

Huc etiam ſpectat Milui in cuculũ, auium omnium ignauiſſimum, ijſque omnibus inuiſum, amor, qui cum æſtate aduentante vt nimium Ponti æſtum effugiat ad frigidiores Galliæ, Germaniæque regiones redeat, ne ſolus aut vacuus remigret, bellum ſanè nobis, ſi Iſidoro credimus, hoſpitem adducit cuculum, inſigni profecto in eum beneficio. Scapulis enim ſuſceptum (inquit Iſidorus) propter breues eius & paruos volatus, ne per longa aëris ſpatia fatigatus deficiat tranſuehit, vt qui ſecum in hybernis egerat, ſecum vna quoque æſtatem tranſacturus verni temporis nobis eſſet nuncius.

2. *Collegio naturæ.*] .i. occulto quodam ac naturali conſenſu.

3. *Bellum partitur.*] Neque id ſolum, at noctuæ item hoſtes, partim vel ſolo viſu præſertim timidiores in fugã vertit; partim verò eos reluctari auſos punit, atque de vi amico illata, vindictam ſumit.

CLE-

CLEMENTIA. *Vide* VINDICTA.

§ I.

DE Elephante qui homini obuio fortè in ſolitudine atque ſimpliciter oberranti, [1] viam commonſtrat, dictum verbo Charitas §. 3.

Tanta autem eſt is clementia erga minus valida animalia, vt in grege pecudum, occurrentia [2] manu dimoueat, ne quid obterat imprudens, nec [3] niſi laceſſitus noceat ideoque gregatim ſéper ambulat.

ANNOTATIONES.

1. *Viam cõmonſtrat.*] Quaſi præſentiat illius afflictionem, intelligatque non illum vt ſibi noceat, ſed alterius cuiuſpiam rei cauſa iter illud inſtituiſſe. porrò quod viam erranti demonſtrent iniuſſi faciunt, quod iuſſi homines Dei præcepto facere tenentur.

2. *Manu.*] Promuſcide qua tanquam manu vtitur.

3. *Niſi laceſſitus.*] Homines autem tũ facto, verbiſque laceſſunt primi, tum

ijs à quibus non ſunt laceſſiti nocent, dum pacis amantes turbant, affligunt, bonis ſpoliant, omnemque captant eos perdendi occaſionem, & vt loquitur
Prou. 41. 15. Sapiens, inſidiantur & quærunt impietatem in domo iuſti, vaſtantque requiem illius.

§ 2.

ETiam Leoni clementia, qua quidem vtitur in ſupplices, proſtratis enim parcit, & vbi ſæuit, in viros priuſquam in feminas fremit, in infantes non niſi magna fame. Au-
lib. 8. c. 15. thor eſt Plinius Mẽtoni Syracuſano in Syria obuium factum leonem ſuppliciter ſe volutantem, qui cum pauore attonitus, fugam capeſſeret, fugienti vndiq; ſeſe ferã oppoſuiſſe, eiuſq; veſtigia lãbere cœpiſſe adulanti ſimilem: quod cum fieret, animaduertiſſe in pede eius tumorem, vulnuſque, & extracto ſurculo liberaſſe cruciatu. idem aliud planè huius ſimile ſubijcit.

ANNOTATIONES.

1. *Proſtratis parcit.*] Confer hanc leonis truculentiſſimæ beſtiæ clementiam,

tiam cum feritate serui illius qui procidentem ad pedes conseruum suum, rogantemque moram aliquam soluendi debiti vt sibi daret, nihilominus tenēs suffocauit, misitque in carcerem donec redderet debitum: comperiesque nihil esse homine crudelius: vbi namque semel suæ oblitus dignitatis, rationis lumen deseruit, fera omni fit immanior. *Matt. 18. 28.*

§ 3.

CLementiam [1] docet apum rex qui [2] solus in illis sine aculeo est.

ANNOTATIONES.

1. *Docet.*] Omnes quidem docet, sed reges maximè eosque omnes qui alijs imperant, aliosque pœnis cogendi habent potestatem: pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tantò hominum moderatior esse animus debeat, quantò vehementius nocet.

2. *Solus in illis &c.*] Noluit nempe illum natura nec sæuum, nec vltionem magno constaturam, animâ scilicet ipsa petere, *animas* enim inquit poëta *in vulnere ponunt*: telum itaque detraxit & iram eius (sunt enim apes iracundissimæ) *Seneca l. 1. de clementia c. 19.* *4. Georg*

ſimæ) inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens eſt, eſt enim illi (naturæ) mos exercere ſe in paruis, & ingentium rerum documenta, minimâ agere.

§ 4.

EAndem docent animalia fera, in quibus 1 nullum eſt quod non hominum induſtria atque conſuetudine cicuretur atque manſueſcat, ita vt ſerpentes ipſi, quin & 2 aſpides quarum pernicioſiſſimum venenum, ad placidos mores traducantur, & ſine noxa cum hominibus conuiuant.

ANNOTATIONES.

1. *Nullum eſt &c*] Ne dicas igitur tibi adeò innatam inſitamque, & longo vſu confirmatam iracundiam, vt eam regere nequeas, aut cohibere aut te brutis minus docilem, minuſque hominũ, tu homo cum ſis ductum ſequentem confitere. Sed perſuadeas tibi velim, conſuetudine exercitationeque molliri omnia, nullumque eſſe vitium tam viſceribus altè inditum, quod non ſenſim ſine ſenſu, ſtudio atque labore euellatur

latur tandem. Nonne lapides excauant aquæ? nonne alluuione paulatim terra consumitur? quid autem lapidibus durius, quodque minimè omnium cedat? quid autem aquis mollius? quid ijs resistendi vi minus præditum. Excauant tamen atque peruadunt, hæ illos, dum virium suarum imbecillitatem, cadendi leuiterque quasi tundendi crebritate compensant. Nihil est tam confirmatum quod non perseuerantia vincat, atque è sede sua propellat : accedente Dei potissimum ope, qua ex lupo in agnum, ex accipitre in columbam, ex Saulo in Paulum transibis. *Iob 14. 19.*

2. *Aspides.*] Eius rei exemplum afferendum dante Deo, verbo Gratitudo.

§ 5.

EAndem discere licet à canibus, quibus inter se hic mos est, vt quando in aliquem latrando irruperint, is verò seipsum supinum in terram proiecerit, neque restiterit, mox omnem iram statim extinguant.

ANNOTATIONES.


1. *Supinum &c.*] Quasi inquit Chrysostomus

ſtomus ſe offerat paratum quiduis ab eo pati; Itaque (conceptus eſt eiuſdem) ſi placantur canes, & quaſi pudore ſuffunduntur coram eo qui quodlibet ab eo perpeti paratus eſt, multò magis id decet ab homine fieri qui maiore ratione præditus eſt. Parcet itaque atque clemens erit aduerſus ſupplicem, & qui ſe humiliat, ni ſe cane deteriorem atque ſæuiorem eſſe velit.

Hom. 16 in c. 5. ad Epheſ.

COMPASSIO.

§ 1.



ROXIMI miſerijs compati, atque erga eum calamitoſum miſeratione affici, doceat pſittacus longè pulcherrima & relatu digniſſima hiſtoria, Baſilius orientis imperator Leonem filium quaſi qui patris mortem moliretur in carcerem miſit cum eſſet innocens. Hinc orti matris gemitus & fletus, filij caſum lamentantis & apud patrem pro eo deprecantis. At ipſe durus erat, neque pre-

Conſtãtinus Manaſſes in Annalib.

precibus vllis flectebatur. Adhibitæ emolliendo parenti mulierculæ lamentatrices, quæ nænias quasdam lugubriter occinerent, & calamitatem Leonis acerbè deplorarent. Denique domus vniuersa planctu, gemitu, luctuque perstrepebat. Aderat interim auis canora (psittacum intelligit) quæ cum frequẽtissimè lamentabiles illas voces audijsset eas edocta, cum mulierculis adolescentem expresso Leonis nomine deflebat. Quam cum Basilius parens aliquãdo loquentẽ audiret, atque Leonis nomen exprimentem, simulque videret adstantes acerbas fundere lachrymas, statim de ira nonnihil remisit, & durum animum flecti passus est, veritus fortè, ne magis expers commiserationis quam auis ista videretur. Itaque filium è carcere eduxit, mitius habuit, & moriturus eundem hunc ipsum imperio præfecit.

ANNOTATIONES.

1. *Compati doceat.*] Non quod verè sit psittacus misero isti compassus, neque enim miseriam eius cognorat, sed quia

signa

ſigna edidit exteriora compaſſionis flebiles ſcilicet voces triſtitiæque plenas,
Rom. 13 15. & quantum in illo fuit Apoſtolico obſecutus eſt præcepto, quo iubemur flere cum flentibus.

CONCORDIA. *Vide* CHARITAS, POTISSIMVM §. 10. SOCIETAS.

§ 1.



MIRA eſt [1] luporum concordia quando ijs flumen tranſeundum, nam vt aquarum vi ne euertantur ſtabilitatem ac firmitatem ſibi hac ratione procurant: caudas inter ſe inuicem mordicus tenent, vnde longum atque forte agmē conſtituunt, quod perrumpere cum nō valeant fluctus, nullo negotio tutiſſimè tranſnant. AElianus l. 3. c. 6.

ANNOTATIONES.

1. *Luporum concordia.*] At tantum abeſt vt hominibus inter ſe conueniat, vt perpetua penè ſint inter eos diſſidia, animorumque ſeceſſiones, dum quod hic

hic album alius nigrum iudicat, quod isti probatur improbatur alteri, quod iste eligit hic abijcit atque repudiat: vixque duos reperias quorum in omnibus idem sit sensus & voluntas. Atque hinc factum vt nos toties Apostoli ad mutuam concordiam cohortati sint. si quæ consolatio in Christo (inquit Paulus) si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes: Atque alibi frequentissimè. Et mirum sanè tot cohortationibus tam parum adhuc promouisse Apostolos, vigereque adhuc tot in orbe Christiano dissentiones, abalienationes animorũ, suspiciones, odia, iurgia, rixas, contentiones, quæ quidem omnia à superbia oriri tum colligitur satis ex istis Apostoli verbis, tum idipsũ luculenter testatur Sapiens, dum inter superbos semper vigere, viuere-

Ad Philip 2. 1. 2.

uereque iurgia pronuntiat. Quare non eſt vlla tot tantiſque malis expectanda medicina, niſi quiſque de iure ſuo remittat quidpiam, niſi ex animo modeſtiam, atque Chriſti humilitatem amplectatur, qui enim humilis eſt, idem & mitis, & ei facilè cum omnibus cõuenit, cum ſe cæteros ſuperiores atque priores arbitretur.

§ 2.

Æ lian. l.2.c.18 PIſciculi Engrauli dicti, quod ab alijs piſciũ gregibus exedi, metuant, ideò [1] confectis tũrmis denſi natant, vt eorum quiſque ad proximum ita adhæreſcat, vt ne ſcaphæ quidem incurrentes eos diſſocient, nec poſſit quis eorum dirimere ſocietatem; licet id remo aut conto efficere conetur. Et quod eſt mirabile, tanto ſunt inter ſe concordiæ vinculo cõnexi, itaque ſtrictè & pertinaciter tanquam cõtexti, vt veluti ex aceruo frumenti, ſi quis in eos manum immiſerit accipere queat: non id tamen fiet ſine vi, qua & perſæpe ita diſtrahuntur, vt & eorum alteram partem capias à reliquo corpo-

re

re auulſam, altera in mari relicta. Atque huc reuocare licet, 2 locuſtarũ inter ſe concordiam, quæ cum ſint exigua animalia, gregatim de agro in agrum ſumma conſenſione egrediũtur. Quod ſi animalculum iſtud ſeorſim volaret, ſine negotio interficeretur, cum verò gregatim fertur, 3 nullis viribus, 4 nullo ingenio aut arte ſuperari poteſt, latiſſimoſque agros 5 tegit, 6 tanta prodit multitudine, vt 7 nemo conetur à ſegetibus expellere aut aggredi.

ANNOTATIONES.

1. *Confectis turmis natant.*] Docent hi piſciculi facto iſto ſuo, & ijs quæ ſequuntur, quam ſit bonum (id eſt vtile) & iucundum habitare fratres in vnum, *Pſa. 132*
vbi primum enim ab alijs ſunt diuulſi, patent piſcatorum prædæ, & is qui ab alijs diffidet, nec charitatis vinculo cũ proximo eſt colligatus, vix effugere poteſt quin fiat dæmonis præda, Deumque à ſe abigat, cum non ſit Deus noſter, diſſenſionis Deus, ſed pacis. *1. Cor. 14. 33.*

2. *Locuſtarum.*] De quibus hæc habet Sapiens, *Regem locuſta non habet,* *Prou. 30. 27.*

&

& egreditur vniuersa per turmas suas; quasi dicat non ita mirum est si apes quæ regem sortitæ sunt ordinem seruent egrediendi ad opus, atque regrediendi ad aluearia, sed longè est admiratione dignissimum, quod hoc animalculum cum duce careat quem sequatur, proficiscendi tamen tempus, quiescendi stationes, & castra mouendi opportunitatem, nihilo seruat minus, quam si ducem signo dato sequeretur. Eaque re, vt & mira eius in volando concordia dicit Sapiens esse ipsum sapientius sapientibus, id est exercere ex naturæ instinctu opera quædam sapientiæ, magis quam hi qui nomen profitentur sapientis, aut quam homines qui veræ sapientiæ sunt capaces.

3. *Nullis viribus.*] Quo nos exemplo docet natura, concordiæ cum primis amantes esse, cum ab ea ita roboremur vt neque hominum, neque verò dæmonum aut vires aut doli, aut industria quicquam in nos valere possint. Exemplo sit prisca Ecclesia quæ quamdiu concors fuit, omniumque credentium

cor

cor vnum & anima vna, inuincibilis extitit, at vbi primum diſſentionibus datus eſt aditus, & auditæ ſunt voces illæ: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti, atque vbi cœptus eſt diuidi Chriſtus, omnia ſenſim in peius ruere ceperunt. 1. ad Cor. 3. 4.

4. *Nullo ingenio.*] Author eſt Plinius l. 8. c. 29. locuſtarum infeſtatione ciuitatem ab incolis in Africa derelictam.

5. *Tegit.*] Neque verò tegit modò, verum multa etiam contactu adurit, omnia verò morſu erodit, etiam fores tectorum inquit Plinius l. 11. c. 29.

6. *Tanta multitudine.*] Vt aliquando ſolem obumbrent inquit idem: Tranſeunt autem maria, atque Italiam ex Africa maximè coortæ infeſtant, & tanquam id parum ſit, immenſos permeant tractus, diraque meſſibus contegunt nube.

7. *Nemo conetur &c.*] Scribit Plinius Italos inopiæ metu ſæpe ad ſybillina remedia ſeu Sybillarum libros conſulẽdos coactos confugere: nos, Chriſtiani

ni locuſtis fugandis ſacra adhibemus, orationem, aquam piacularem, Agni effigiem ex cera benedictam, & ſimilia, optimo ſæpe euentu vt teſtãtur Eccleſiaſtici Annales. Quinam autem populi, lege lata ſint eas debellare conati, ita vt ſingulis certa menſura præfinita eſſet, quam enecatarum plenam ad magiſtratus referant, vide Plinium. Hæc eo conſilio fuſius attuli vt pateat quanta ſit vis concordiæ.

§ 3.

DRacones qui in AEthiopia apud Aſachæos viſũtur quaterni quinique inter ſe cratiũ more ſeſe implicant, atque ſic erectis capitibus velificantes, ad meliora Arabiæ pabula concordi animo vehuntur fluctibus.

Grues (vt & [1] cæteræ ferè aues) ſimul volant trianguli [2] oxygoni formâ: cum autem ſe ab aquila impeti ſentiũt,
3 in orbem conſiſtunt omnes, & contractæ in ſinum falcatæque exiſtunt, atque ordine tãquam in aciem ſtructæ, ſpeciem pugnæ efficiunt, qua territa aquila

quila regreditur. His non absimile est quod ab Ambrosio Nolano memoriæ proditum est, sturnorum quamquam imbellium turmam, etiam ipsi Aquilæ eorum reginæ, iisque longè potentiori timorem incussisse. Spectante (inquit) Ferdinando rege Alphonsi primi filio forte supra molem stationemque Neapolitanam, ad turmam sturnorum ingentem aduolauit Aquila, cuius præsentia perterriti sturni, velut signo dato omnes quoad fieri potuit sibi hæserunt volando, grexque omnis adeò cōpactus erat, vt Aquila nullo pacto auderet quemquā eorum inuadere. Quin etiam illi vnà atque arctim volantes, semel atque iterum circumire sub Aquila insidiante, ac deinde recto volatu facto subfugêre nemine eorum offenso, neque illos etiam Aquila insecuta est. Et quia Aquilarum meminimus dabo aliud in eandem sententiam. Aues aquaticæ, ac anates in primis visa Aquila simul omnes congregantur in aqua, & in Aquilam demerso capite aquam spargunt, itaque accessum prohibent.

lib problem. 314.

M Sed

do ijs est pugnandum, tum inter volandum, quanti sit ad omnia perficienda momenti concordia, mutuaque plurimorum inter se in bonum cõsensio, & quam verè sit à sapiente dictum, frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium, id est fratrum inter se concordia valida est & inexpugnabilis, atque instar benè munitæ ciuitatis quæ hostium ridet arma & incursus: Eorum autem fratrum iudicia atque decreta quæ concordibus tuentur animis non facilè superari possunt, vt neque vectes vrbium perfringi. Quod quidem comprobatur etiam facto cuiusdam Scythæ cui nomẽ Scilurus; huic cum quinquaginta essent liberi mares omnes, morti proximus singulis ad se conuocatis fascem iaculorum porrexit, iussitque vt rumperent. Quod cum singuli facere detrectassent, quod tantæ moli perfringẽdæ maior quæpiã vis adhibẽda esset, ipse singula iacula ex fasciculo exẽpta in eorum oculis nullo negotio confregit, monitosque vt si inuictos se esse

Prou. 18. 10.

Plutarc. de loquacitate.

vellent, concordes manerent, ſin autem imbelles eſſe atque omnium patere iniuriæ vt diſſidijs & ſeditionibus diſtraherentur, à ſe dimiſit. Quod autē in prophanis rebus valet atque familijs, maximè valet in Eccleſia Chriſti, in qua Chriſtianorum concordia qui inter ſe fratres ſunt, tum eos inexpugnabiles, tum inuictam Eccleſiæ ciuitatem efficit.

4. *Eæ inter volandum.*] Obſerua hic mutuam inter ſe charitatem, de qua plura verbo Charitas.

§ 4.

1 VEſpertiliones ſibi inuicem adhærent, & quaſi in ſpeciem botri ex aliquo loco pendent, ac ſi qui in ijs extremum obtinet locum laxauerit, reſoluuntur omnes.

ANNOTATIONES.

1. *Veſpertiliones.*] Quam ſint iſta animalcula vilia atque ignobilia cuique patet, quam autem concordiæ amantia patet ex iſto ipſorum facto, quod fit inquit Ambroſius munere quodā charitatis,

l. 5. Hexam. c. 24.

ritatis, quæ difficilè in hominibus tanta reperitur.

§ 5.

1 BOues vbi in vitæ diſcrimen eos lupina feritas vocat, ipſi in agmen rotundum coeunt, iunctiſque ſimul omnes viribus, ac cornibus hoſtem expectant.

Equi in circulum coguntur cum hoſtem timent, iſtiuſque circuli centrum capitibus quiſque ſuis efficit, atque ſic ſinguli calces & ſoleas ferreas, arma ſcilicet ſua aduenienti hoſti obijciunt, atque oſtentant.

Ne porcis quidem quorum inſignis hebetudo atque inſcitia, concordiæ bonum atque vis ignorata, qui licet inter ſe morſibus certent frequenter de paſtu glandibuſque, vbi tamen periculum imminere animaduertunt, confuſi illicò ſe in triangulum conformant, ac fortioribus in prima acie poſitis exercitũ validiſſimum conſtituunt.

Canibus quibus pro cibo & oſſe, miræ contentiones, vbi tamen communi periculo cauendum eſt, omni ab-

dicata contentione, communi hoſti ſe opponunt, lupum perſequuntur, exterum appellentem allatrant, atque cætera coniunctis præſtant viribus, quæ ad ſui conſeruationem facere videntur.

ANNOTATIONES.

1. *Boues.*] Tum boues, tum cætera bruta (quæ quamquam inter ſe ipſa diſſentiant nonnunquam, iunctis tamen viribus communem omnium impetũt hoſtem) planè ſi aures quidem atque animum attendere velint homines, eos docent, vt licet priuatas ob res alieniore fortaſſe ſint inter ſe animo, vbi tamen publica res agitur, atque Reipublicæ Chriſtianæ ſalus in diſcrimen vocatur, ſimul animis viribuſque iunctis conſpirent, neque patiantur principes ob priuata ſua inter ſe diſſidia, tum Turcam, tum Sectarios, ambos Chriſtiani nominis hoſtes longè infeſtiſſimos, rem ſuam facere, imperijque fines proferre. Intelligant Chriſtiani principes eſſe Dei Eccleſiam (cuius ſe in nobiliſſimis eſſe volunt ipſi membris) caſtrorum aciem ordinatam, in

qua

qua principem tenere locum oportet concordiam, qua desiderata numerosissimi etiam exercitus à paucis funduntur fuganturque: quemadmodum etiam ea existente pauci admodum numerosissimos quosque exercitus fundunt, fugantque, atque ad internecionem delent, quod vtrumque etiam patrum memoria (vt non sit necesse antiquitatis monumenta aduocare) perspectum est satis.

Anno 1571. in bello Turcico.

Quod si brutorum imitatione minus capiantur mortales, in promptu sunt quos æmulētur homines, ijque Ethnici, quibus cum grauibus inter se inimicitijs diffidētibus publica magistratus munia demandata essent, atque vnà commune cōtra Reipublicæ hostes ipsis bellum administrandum foret, omni mox posita inimicitia, summaque inter se ipsi conciliata beneuolentia, publicam rem fœliciter gessere, indignissimum rati si tanto Reipublicæ damno, ipsi animo suo atque iracundiæ indulgerent, simulque persuasi, nō posse se fœliciter abalienatis à se inuicē

Plutarchus in politicis de Aristide & Themistocle.

animis Rempublicam administrare.

§ 6.

QVemadmodum mulctandi publicæ concordiæ pacisque perturbatores docebunt apes verbo Furtum. De eadem Concordia vide § 2. Introductionis ex Basilio.

CONIVGES. *Vide* ADVLTERIVM.

§ 1.

OPORTET coniuges mutuos ferre mores licet difficiles, atque inuicem diligere, neque mutuam consuetudinem fugere quanquam alter alteri minus sit acceptus, idque exemplo viperæ & murenæ. Est vipera genus serpentum omnium exitiosissimum, quod cum murenæ marinæ nuptias expetit, sibilo adesse se significat; quo è gurgite vasto eam ad nuptiales complexus inuitat. Adest illia, paret & [1] cum venenato coniungitur, licet virus ipsa [2] euomuerit prius.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Cum venenato.*] Postquam Basilius hæc commemorasset, quid hæc inquit mea ratio vult, quid portēdit? 3 siue asper est cuiuspiam coniux, siue ferus moribus, perferat illum vxor necesse est, nec vllam prorsus ob causam societatem vinculumque dissoluere patiatur: feritnè, verberat, estnè percussor? At vir tamen est tuus. Temulentusne est? At tibi est natura coniunctus. Durusne, morosus & implacidus? At membrum iam tuum est, & membrorum præstantissimum. *Ho.7. in Hexam.*

2. *Euomuerit.*] Audiat & ipse vir, (ita Basilius) accommodatā seque decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit: Tu duritiam animi, tu feritatē, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non deponis? Quæ eadem fusius ex Basilio, grandi vt solet sermone, Romanaque eloquentia prosequitur Ambrosius. *l.5 Hexam.c.7*

§ 2.

VXor virum infirmum [1] adiuuet Alcedinum imitatione quæ ca-

rulos

rulos [2] maritos iam ſenes medio dorſo geſtantes circumferunt: Item & vir vxorem, imitatione ſepiarum, in quibus mas, percuſſæ tridente fœminæ [3] auxiliatur. Præterea vir vxorem nullo diſcrimine deſerat, cum mares Graculi (authore Athenæo) mortis potius ſubeant pericula quam vt coniuges ſuas derelinquant: quinimo coniugum altero mortuo, alter dolorem mortis, perpetua viduitate teſtatur.

ANNOTATIONES.

1. *Adiuuet.*] Et merito cum ſit viro data vt ei opem ferat, non eſt bonum (inquit Deus) hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, neque verò data eſt tantum in adiutoriũ corpori, verũ multò magis animo, vt vxoris etiã ope ſalutẽ conſequatur, cõtra quàm faciunt vxores illæ quæ viris ſuis ſcandalo ſunt & ruinæ, qualis fuit Eua Adamo, Iezabel Achabo regi, Salomoni tot coniuges ſuæ aliæque innumeræ, de quibus Sapiẽs: Vinũ & mulieres apoſtatare faciũt ſapiẽtes, & arguẽt ſenſatos: Apoſtatare inquam quod per eas

Gen. 19. 2.

Eccl. 2. 19.

eas nō ab officio modò, atque à virtute, etiā & à Dei cultu rectaq; fide turpiter abducūtur: vnde euenit vt etiam ij qui prudentiæ laude florebant, redarguantur, & reprehensibiles fiant.

2. *Maritos iam senes &c.*] Mulieres verò contrà (verba sunt AEliani l. 7. c. 17.) maritos ætate prouectos & præclarè contemnunt, & adolescentibus adijciunt oculos, tum etiam mariti in fœminas adolescentes, Veneris insania feruntur, & vetulas aspernantur, à ratione remotius bestijs ipsis viuentes.

3. *Auxiliatur.*] Cum fœmina icto mare fugiat, maior enim mares decet constantia & virtus: multò autem teneri magis auxiliari fœminæ virum quàm contra, patet quod vir sit caput mulieris, rector atque Dominus. Sub viri potestate eris (inquiebat Deus ad mulierem) & ipse dominabitur tui. 1. Cor. 11. 3. Gen. 3. 17. Ephes. 5. 23.

§ 3.

VIr vxori victum, cæteraque necessaria prouideat, imitatione galli gallinacei, qui vbi granum aliquod, aut aliud quid cibi na-

nactus est, certo quodam vocis sono gallinis aduocatis [1] sibi subtrahit ipse, quod cum ijs communicet.

ANNOTATIONES.

1. *Sibi subtrahit.*] Quid hic agant mariti illi qui etiam quæ vxorum sunt subtrahunt, vendunt, eorum pretio in libidines, comessationesque consumpto? Quid illi qui hebdomadarium laborem suum, quo quidem eos familiam alere oportuisset, popinis dant atque compotationibus, vxore interim totaque familia in summa egestate relictis? Quid illi demum qui cum benè saturi vinoque madidi, intempesta nocte domum redeunt, vxorem cædunt, domesticam pacem turbant, & quod grauissimis verbis vetat Sapiens; sunt sicut leo in domo sua dum domesticos euertunt, sibique subiectos opprimunt?

Eccles. 4 35.

CONSORTIVM. *Vide* AMICITIA.

§ I.


STVPIDIORIBVS atque ad ea quæ officij sui sunt minus promptis, prudentiorum atque eorum qui

qui eos ad ea ipsa stimulent quærendũ consortium; [1] exemplo spongiæ quam dirigit pusilla bestia [2] araneo similis: cum enim spõgia sensu sit quidem prædita sed eo valde [3] hebete, indiget aliquo qui eam excitet, stimuletque ad sensus vitæque opus exercendum, quod facit animalculum istud: cum enim quippiam in spongiæ foramina inciderit, ab eo admonetur atque excitatur vt se contrahat: sese autem contrahendo [4] prædam comprehendit atque exedit. Cum autem ad euellendam eam à saxis piscator accedit, ipsa ab eodem animali directore, atque conuictore suo stimulata inhorrescit, & sese contorquens [5] arctissimè contrahit, vnde piscatori plurimum laborandum vt eã à saxo euellat.

ANNOTATIONES.

1. *Exemplo spongiæ.*] Quod fit à spõgia naturæ propensione, id nos facere oportet voluntate atque electione, maximè cum de ea ipsa re à sapiente moniti simus non semel. In multitudine inquit ipse presbyterorum prudentium Eccl. 6. 35. 36.

sta

ſta & ſapientiæ illorum ex corde coniungere vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te. Et ſi videris ſenſatum euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Atque iterum: In
Eccl. 27 13. medio cogitantium, (id eſt prudētum, & qui nihil faciunt temerè, ſed de eo quod facturi ſunt diu ante multumque cogitant) aſſiduus eſto.

2. *Araneo.*] Alij dicunt cancro.

3. *Hebete.*] Cujus hebetudinis cauſa eſt organum ſenſus, raritas ſcilicet illa corporis, & mollitudo pertuſa: eſſe autem ſpongiam animal & ſenſu præditum, patet tum ex ijs quæ hic dicuntur, tum quod ſanguinis non ſit expers: in ſaxis enim, eius quoque inhærere color conſpicitur.

4. *Prædam.*] Conchas, piſciculos, limum, quibus veſcuntur omnibus, ſuntque iſta in ijs reperta frequentiſſimè.

5. *Arctiſsimè contrahit.*] Quod idem facit ſaxa fluctu pulſante, cum enim ſaxis innaſcatur, ſibi tū vehemēter timet.

§ 2.

§ .2

IMproborum vitanda conſortia docent leones, vrſi, lepores qui ne ₁ inueniri à venatoribus poſſint ſua circum cubilia, veſtigia confundunt.

ANNOTATIONES.

1. *Inueniri &c.*] Idem inquit Seneca tibi faciendum eſt, alióqui non deerũt qui perſequantur: latere igitur præſtat quam in improborum familiaritatem ſe dare: & quod faciunt ære alieno grauati, qui cum creditorem præuident ad ſe debiti repetendi cauſa venturum, ianitorem iubent negare ſe domi eſſe, idem ipſum faciendum eſt, cum ſeſe improbos ad noſtram conſuetudinem adiuncturos formidamus.

CONSTANTIA.

§ 1.



CONSTANTIAM in Dei obſequio exhibendam, neque eſſe vnquã ab eo recedendum ob aduerſa quæ-

quælibet, [1] docent canes qui licet flagellentur à dominis, ab ijs non recedunt tamen: si verò [2] alienus eos pascat, non ideo tamen eos allatrare atque sæuire desinunt.

ANNOTATIONES.

Tomo 5. 1. *Docent canes.*] Conceptus iste est Chrysostomi hom. 30. ad populum.

2. *Alienus.*] Iste alienus est dæmon, qui licet te aut pascat aut pascere promittat, multaque daturum se polliceatur, non ideo audiendus, sed fortiter repellendus est, nullaque cum eo societas ineunda.

§ 2.

1 LIcet esuriat canis, ex ouibus tamen non gustat, & licet in saturitate sit, lupis nō parcit.

ANNOTATIONES.

1. *Licet.*] Est etiam iste conceptus Chrysostomi, quamquàm aliò quam nos applicet. Instar igitur probati canis cauebit sibi Christianus de ouibus gustare licet esuriat, quando à voluptatibus sibi vetitis, etsi magno earum tenebitur desiderio, Dei amore abstinebit,

nebit, & quamquam rerum omnium ſit ſatur, diuiniſque ſolatijs abundet, atque in profunda pace, & à tẽtationibus liberam vitam ducat, ſẽper meminerit tamẽ lupis non parcere, id eſt cum dæmonibus bellũ gerere continenter, eoſque pietatis virtutumque exercitatione laceſſere, neque vnquam ab iſto bello feriari, pernicioſoque ſeſe otio dare.

§ 3.

EIuſdem conſtantiæ magiſtri ſũt 1 ſerpentes, quorum ea eſt conſtantia atque prudentia, vt cum eorum appetitur caput, totum exponãt verberibus corpus, vt caput innoxium conſeruent, quia licet percutiatur corpus, ſaluo capite atque integro vitam ſibi quoque ſaluam fore intelligant.

ANNOTATIONES.

1. *Serpentes.*] Exemplum iſtud eſt Auguſtini ad fratres in Eremo ſermone 4. Eſt autem caput tuum myſticum Chriſtus, cuius conſeruationi ita te oportet inuigilare vt potius corpus tuum in mille partes diſtrahi diſcerpique patiaris, quam vt ab eo ſepareris in quo

vno vita tua, requies tua, beatitas tua. Ita Petrus, Paulus, Bartholomæus, Laurentius & cæteri quos ibi affert.

CONTEMPLATIO. *Vide* ORATIO. VIGILIA.

COElestia contemplari, amoreq; prosequi 1 docent nos terræ animantes cõtrario quodam sensu, ne earum similes simus, quarum oculi in terram abiecti nihil præterea norunt, Deus autem

2 *Os homini sublime dedit, cælũque tueri*
Iussit, & innocuos ad sydera tollere vultus.

ANNOTATIONES.

Hom. 9. in Hexã. l. 6. in Hexam cap. 3.

1. *Docent.*] Conceptus iste est Sanctorum Basilij atque Ambrosij. Atque ille quidem sic ratiocinatur: planta cœlestis homo, quantum figura formaque corporis cæteris animantibus antecellit, tantum & dignitate animæ præstat. Qualisnam est animantium quadrupedum forma? caput illis ad humum est pronum, ad ventrem spectat, voluptatem

luptatem ventris omnibus modis perſequitur. Caput tuum ad ipſum cœlũ exurgit, oculi tui res ſupernas conſpiciunt. Quod ſi vnquam tu carnis affectionibus ſuccumbens teipſum dehoneſtaris, ventrique & ijs quæ ſunt ſub ventre ſeruieris, comparatus es iumentis inſipientibus, & illis perſimilis es effectus. Alia te cura decet, ſupernas res inquam explorare ac quærere vbi Chriſtus eſt, terrenis contemptim trãſmiſſis cœleſtia tranſcendere, vti forma te natura inſigniuit, ſic & teipſum & tuam vitam diſponere velis. In Republica cœleſti verſare, vera illa tibi patria eſt ſuperna Hieruſalem, conciues atque contribules ipſi primogeniti qui ſunt conſcripti in cœlis. Hæc Baſilius, quæ eadem neque minus diſertè latinis literis Ambroſius, quam Baſilius græcis producit, quibus poſtquam inſtar Baſilij attuliſſet locum illum de pſalmo 48. Homo cum in honore eſſet non intellexit &c. & iſtum de pſalmo 31. Nolite fieri ſicut equus & mulus, addit vehemẽtem iſtam probrique ple-

nissimam increpationem.

Aut si te inquit edacitas equi, intẽperantiaque delectat, & adhinnire ad fœminas voluptati est, delectet in fræno maxillas tuas chamoque constringi. Si crudelitate pasceris, ferarum hæc rabies est, quæ propter sæuitiam trucidantur. Vide ne in te quoque crudelitatatis tuæ vertatur immanitas.

2. *Os.*] Id est faciem. Dedisse autem Deum homini vultum cœlum versus, vt illud liberè intueri posset, atque vt animaduerso mirabili illius ordine, cõstantiaque in conuersationibus motibusque suis, eundem in omni vita sua ordinem seruare doceretur, & nihil temerè agere, docet præclarè Plutarchus ex Platone opusculo cur improbos vlcisci differat Deus. Causa porrò efficiens huiusce staturæ rectæ in homine est calor cordis, qui in homine est vehementissimus, atque à cerebro perfrigido refrigescit, ne noceat, caloris autem est semper ad superiora mouere. Causa verò instrumentalis est rectitudo spinæ dorsi.

Vide itẽ Ambr. lib. 6. Hexã c. 9.

Diuus

Diuus Thomas docet conuenientē homini ſtaturam rectam fuiſſe propter quatuor. Primo quidem quia dati ſunt homini ſenſus, non modò ad ea quæ vitæ ſunt neceſſaria procuranda, quemadmodum cæteris animantibus, ſed etiam ad cognoſcendum cuius ſignum eſt, quod cum cæteræ animantes non delectentur rebus quas percipiunt, niſi referantur eæ ad paſtum & venerea, vnus homo capitur rerum quas intuetur pulchritudine per ſe ſumpta, non referendo eam ad quidquam aliud: Ideòque homini ſenſus præcipui in facie vigent, cum animantibus cæteris verſa ſit facies deorſum, terram verſus, tanquam ad cibum ſibi aliaque vitæ accōmodata conquirenda: Homo autem faciem ſurſum erigit, vt per ſenſus, atque per oculos maximè quorum eſt vis tum acrior, tum maioris perſpicacitatis, ad plura cognoſcenda in omnia libero ferretur intuitu, tum cœleſtia tū terreſtria: atque ita ex omnibus ea colligeret quæ ad veritatis cui percipiēdæ factus eſt, intelligentiam valerent.

Atque his congruit quod ſcribit Ariſtoteles, ideò conuenire homini figuram rectam, quod hominis natura diuina prorſus ſit, intelligens & ſapiens, nec intelligere & contemplari facile poſſet, ſi vaſta corporis mole opprimeretur, atque terram verſus deijceretur, grauitate enim molis illius atque ponderis, tardior euaderet mens, & ſenſus eius communis: Hinc videmus pumiliones minus cæteris ad intelligendum aptos, quod ſuperiorem corporis partem habent nimis corpulentam nimioque pondere prægrauatam.

l. 4. de partib. animal. cap. 10.

Altera huius rectitudinis cauſa eſt, vt interiorum animi facultatum liberiores ſint exercitationes, atque operationes, quando cerebrum in quo quodammodo perficiuntur, non eſt depreſſum, verum ſupra omnes corporis partes tanquam pars princeps elatum. Cauſas reliquas duas videat apud D. Thomam qui volet.

1. part. q. 91. art. 3. ad 3.

§ 2.

IDem docent aues, quæ ſurſum feruntur, cœleſtiaque ſpectant, atque

que in ijs [2] Aquila maximè, quæ ſupra cæteras terram deſpiciens ſublimè fertur, atque [3] in excelſiſſimis rupibus nidum ædificat, denique [4] ſolem ipſum nullo ſuo damno fixè intuetur, nullaque oculos eius in eum fixos luminis quamuis ſplendidiſſimi coruſcatio reuerberat, aut nictare facit.

ANNOTATIONES.

1. *Cæleſtia ſpectant.*] Aliter tamen nobis atque auibus ſpectanda cœleſtia: Erigunt (inquit Ambroſius ſupra) aues ad cœlum oculos, ſed quid ſpectent ignorant, omnibus eſt liber aſpectus, ſed ſoli ineſt homini eorum quæ aſpicit affectus interpres. Spectat oculis ortus obituſque ſignorum, videt ornamentum cœli, miratur ſtellarum orbes, fulgores quoque diuerſos intelligit ſingulorum &c. quæ fuſius proſequitur, quæque non tantum homini ſpactanda vt auibus proponuntur, ſed vt ijs ſpectatis mens eius in eorum omnium cõditoris tum cognitionem, tum amorẽ aſſurgat.

2. *Aquila ſublimè fertur.*] Hanc item volucris facultatem agnoſcunt ſacræ li-

Iob 39. 30. 31. 32. teræ. Atque Iob quidem: Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum. In petris manet, & in præruptis ſilicibus cõmoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam & de longè oculi eius proſpiciunt.

Verſu. 4 Abdias verò ad Edom: ſi exaltatus fueris vt Aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Incolebant nimirum Idumæi montuoſa loca, quibus fidebant quaſi ijs eſſent inſuperabiles, præ-
Verſu. 3 ceſſit enim: ſuperbia extulit te habitãtem in ſciſſuris petrarum. Vide etiam
l. 19. c. 7. Hierem. 49. 16. Ita autem ſublimè volat Aquila inquit Iſidorus, vt humanis ſe ſubtrahat obtutibus, atque inde de tanta ſublimitate piſciculos natare videat, quod paulò ante dictum ferè idem
l. 14. c. 10. à Iobo. Quibus addit AElianus aues cæteras in volando diuerticulis ac flexionibus in cœlum ferri, quod rectà nõ poſſint, ſolæ Aquilæ directo volatu in ſublime ferri. Cæteræ item rectam viã flectunt cum ad terram delabuntur, A-

quila

quila verò deorsũ versus rectà defertur.

3. *In excelsissimis.*] Cuius causam Aristoteles affert duplicem, tum vt tutiores ab insidijs sint, tum quod difficulter à terra tollantur. Quæ omnia facilè est ad contemplationem amoremque cœlestium accõmodare: qui ea desiderat, consulat Gregor. in supra allatum locum Iob, quæ quia longiora sũt quamquam longè pulcherrima prætermitto.

l. 9. c. 32.

31. moral. c. 34

4. *Solem.*] Quo monemur in iustitiæ solem Deum ipsum frequenter oculos defigere, oculos inquam fidei, varias eius actiones circa varias eius perfectiones inter contemplandum exercendo, donec fidei lumen in claram transeat visionem, & quem videmus modò in ænigmate, tunc coram, & facie ad faciem contemplemur.

§ 3.

A Cœlestium cõtemplatione ad inferiora, atque ad actuosæ vitæ officia nos referre doceat Aquila, quæ nõ continẽter sole intuẽdo occupatur, at eãdem oculorũ aciem quam

quam radijs solis infixit,[1] ad cibum inclinat : & quamuis sublimior super aërem feratur, sumendis tamen tum sibi[2] tum pullis suis, carnibus terram petit.

ANNOTATIONES.

1. *Ad cibum inclinat.*] Ita & sancti viri postquam mentem cœlestibus delitijs quæ ex contemplatione hauriuntur refecerunt, cum se probè sciant duabus constare partibus, animo & corpore, atque vtriusque habendam rationem; quæ corporis sunt, quamquam ægrè, (pudet scilicet animum diuinæ consortem naturæ ad tam vilia demittere) procurant, neque eius omnem abijciunt cogitationem, quod quidem à nonnullis minus discretè factum damnat illud Apostolicum. Rationabile obsequium vestrum : Illud certè fatendum est nihil magis arduum quam in ista corporis cura modum tenere, cum enim corpus nostrum nobis & hostis sit, & ciuis, parsque nostri altera, permulti quidem dum in illo hostem insequuntur, ciuẽ trucidant. Alij verò dũ quasi ciui parcunt

çunt, ad prælium hostem nutriunt.

2. *Tum pullis suis &c.*] Quo docentur quibus aliorum commissa est salus, à contemplationis quiete atque à veri solis intuitu, ad ea quæ proximi bonum spectant animum, curamque conuertere, tum verbi Dei prædicatione, tum priuata collocutione, tum aliјs modis quibus animorum zelus exercetur, & quibus pulli, atque secundum spiritum filij, vitæ cibo pascuntur. Atque ad hæc ipsa authore Gregorio inuitatur à cœlesti sponso, sponsa carissima hisce cãticorum verbis longè suauissimis. Aperi mihi soror mea. Dum enim sponsa dormit, dilectus vt aperiatur ei, pulsat: quia dum sancta mens sibi ipsi per otiũ intendit, Christus multa peccatorum opera, in hoc mundo tolerat, quæ nisi spiritales viri ad doctrinam se accingant, nunquam per seipsos, carnales vel agnoscunt, vel corrigere curant? Vult ergo sponsus vt aliquando otium dimittatur, & ad ædificationem proximorũ, spirituales quique solicitentur. *cap. 5.*

Vtrumque igitur ei necessarium

cui

cui aliorum cura demandata eſt, & otium cœleſtis contemplationis, & negotium ſanctæ actionis, vt illius ope ſolis intuitu gaudeat, huius autem miniſterio ſibi creditorum pullorum neceſſitatibus proſpiciat. Sit rector (monitũ eſt Gregorij ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, vt & per pietatis viſcera in ſe infirmitatem cæterorum transferat, & per ſpeculationis altitudinem, ſemetipſũ quoque inuiſibilia appetendo trãſcendat, ne aut alta petens, proximorum infirma deſpiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat.] Quæ quidẽ quàm bellè, re ipſa atque actione expreſſa ſint tum à Chriſto Domino tum à beato Paulo, tũ à Moyſe, fuſè deinceps proſequitur. Additque tantum abeſſe vt vitæ actuoſæ exercitia ſicut oportet obita, contemplationi officiant, vt etiam nõ modicè eam promoueant. Quia tunc (inquit) ad alta charitas mirabiliter ſurgit cum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & cum benignè deſcendit

2. parte paſtoralis, c. 5.

dit

dit ad infima, valenter recurrit ad ſumma.]

Sed quoniam ea eſt modo ratio temporum, vt, in ijs quibus cæterorum incumbit ſalus, pauci exiſtant qui Aquilam ſole intuendo, Deoque contemplando æmulentur, eorumque multò maxima pars curas ſuas omnes cogitationeſque ad pullorum commoda, atque ad ea quæ exteriora ſunt præpoſterò nimis conuertat: audiant illi quantum ſibi damni accerſant qui contemplationis, orationiſque poſthabito ſtudio, ſeſe totos in exteriores curas occupationeſque effundunt. Quod quia nemo omnium Gregorio exprimit aut vberius, aut efficacius, pauca de multis in eam ſententiã ab eo mutua, ſubijciã. Quodam enim loco ait eas impedimẽto eſſe quo minus diuina vox percipiatur. Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum turba dum perſtrepit claudit, atque in ſecretario mentis, quãtò minùs curarum tumultuantium ſonus compeſcitur, tantò ampliùs vox præſidentis iudicis non auditur. Quid quod

23. moral. c. 20

quod magna ſit exteriorum negotiorũ ſeruitus, quibus mens vehementer atteritur, quamuis in eis ſponte deſudet? Denique cum foras mens per inſolentem curam trahitur, à timoris intimi ſoliditate vacuatur, fitque in exteriorum diſpoſitione ſolicita, & ſui ſolummodo ignara ſcit cogitare multa, ſe neſciens. Nam cum pluſquam neceſſe eſt ſe exterioribus implicat, quaſi occupata in itinere, obliuiſcitur quò tendebat, ita vt à ſtudio ſuæ inquiſitionis alienata, ne ipſa quidem quæ patitur dãna conſideret, & per quanta delinquat, ignoret: ſed nihil frequentius occurrit in Gregorio quam nimia iſta eorum quibus animorum credita eſt ſalus, ad res exteriores effuſio.

30. moral. c. 23.
1. parte paſtoralis, c. 4.

CONTVMELIA. *V.* PATIENTIA.

§ 1.

EAm contemnendam docēt leones: vide Magnanimitas, § 3.

CRV-

CRVDELITAS.

§ 1.

QVAM ea homines dedeceat docent bruta vniuersa quæ in suo genere probè degunt, congregari videmus & stare contra dissimilia: 1 leonum feritas inter se non dimicat, 2 serpentum morsus non petit serpentes, ne maris quidem beluæ ac pisces nisi in diuersa genera 3 sæuiunt: lupi naturâ immanes 4 nisi extrema cogente fame sibi inuicem parcunt, canes suorum etiam 5 cadaueribus abstinent, neque vlla vrgente fame vt 6 caninam carnem comedant, nedum etiam fallacissima condimentorum varietate temperatam adduci possunt. Vultures licet alioqui genus omne cadauerum liguriant, sui tamen generis cadaueribus parcunt.

ANNOTATIONES.

1. *Leonum feritas &c.*] Hæc eadem exempla proferuntur ab Horatio vt homines à crudelitate auocet.

Quo

In lib. Epod. Ode 7.

Quo quo, inquit, scelesti ruitis, aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis, atque Neptuno super
Fusum est latini sanguinis?
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam nisi in dispar feris.

2. *Serpentum &c.*] Quare Chrysostomus nō dubitat hominē peiorem esse serpente asserere, non ex hoc solum capite, sed etiam aliunde, nam si quidem, inquit, irritata fuerit anguis, sæuit, si autem irritata non fuerit, in silentio transit: Homo autem, & nō irritatus sæuit, & magis super illos insanit, à quibus fuerit irritatus: Neque verò hominem improbum serpente modò, sed & dæmone ipso deteriorem esse existimat, quod apud eum videre licebit pluribus confirmatum.

Hom. 24 in Mat. In proœ. lib. 7. ad finem.

3. *Sæuiunt.*] At Hercule (subdit Plinius) homini plurima ex homine sunt mala, que longè enarrare facilius fuerit quam ea corrigere, ijsque medicinam facere. Quod enim bonorum genus est quod homo homini summa improbitate

probitate iuxta ac sæuitia non eripiat? Neque enim famæ eius, aut honori parcit, dum varijs eum criminationibus, delationibus, calumnijsque impetit. Quid de bonis dicam fortunæ? in quæ sanè valet illud sapientis: Venatio leonis onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes: Quid de vita corporis, quam modò à plurimis, alteri eripere pro nihilo ducitur, de quibus verè Ecclesiasticus: Quasi nihil est ante illos sanguis, dum pro re nihili, pro cane, pro lepore, pro meretrice, pro verbulo vno humanum sanguinē effundere non reformidant. Quæ causa est quamobrem de hisce temporibus vsurpare etiam liceat illud Prophetæ. Maledictum, & homicidium inundauerunt, cuius quidem verbi notione ingēs quædam copia significatur à mari, aut à fluminibus ducta similitudine, quando à solitis egressa terminis, aquis longè latèque complent vniuersa. Aduertant quibus incumbit tanto isti malo occurrere, ne eius crebra heu nimis impunitate illud foueant, audaciam-

Eccl. 13. 23.

c. 8. 19.

Osea 4. 2.

que humani ſanguinis effundendi ijs, concilient quos legum, iudiciorumque ſeueritas, à tanta impietate reuocaret. Sed videant in primis ne quia dimiſerunt virum (vtinam ne & viros plurimos) dignum morte, ſit anima eorum pro anima illius, & luant ipſi eas pœnas, quas eos tanquam iuſtitiæ vindices de alijs ſumere oportuiſſet.

3. Reg. 20. 42.

4. *Niſi extrema &c.*] Tunc enim ſolent congregari atque primum in orbẽ circumagi, deinde excurrere, & cum ex vertigine currendi & caligine de ijs quiſpiam lapſus fuerit, in eum humi ſtratum, cæteri omnes facto impetu ipſum laniant: At hoc non fit ab ijs niſi cum venationis facultate deficiuntur: præ fame enim omnia parua æſtimant. Sed homo homini lupus: dicam, & verè dicam, lupo peior cum non inopiæ tantum tempore, ſed & abundantiæ alter alterum deuoret. Quid enim auaro bonis omnibus affluenti, cui & prædia, & villæ, & nemora, & agri, & horti, & piſcinæ, & prata, & pecunia multa, & ſupellex ampla, & domus magnifica,

ca, quid inquam isti deesse possit, quã-obrem tenuiorum bonis inhiet? neque inhiet modò, sed in ea inuolet etiam atque irruat, eaque ipsa, ingluuie summa deuoret? Numquid eorum quæ regiam decent, aut commoditatem, aut opulentiam, aut magnificentiam Achabo regi, Iezabelique reginæ deerat, quando in vineam Naboth Iesrahelitæ oculos coniecerũt, eamque ipsam eo prius per calumniam indigna morte affecto, summa rapacitate occuparunt? Nihil planè, sed homo (auarus maximè) homini lupus, quin & longè lupo deterior, quod pluribus probare non est necesse.

5. *Cadaueribus abstinent.*] Cum homo etiam hominis viui carnes depascatur. Quare persequimini me sicut Deus, inquit Iob, & carnibus meis saturamini? Quorum mens (verba sunt Gregorij) proximorum pœnas esurit, saturari proculdubio alienis carnibus quærit. At quanti existunt quibus præ inuidia, aliorum pœnæ cibi sunt & deliciæ, quibusque cæterorum afflictiones summæ sunt voluptati? Sed pergit

Iob. 19. 22.

lib. 13. Moral. c. 25.

Gregorius alium indicare modum quo homo hominis carnibus paſcitur. Sciẽdum etiam quoque eſt, quia hi etiam qui alienæ vitæ detractione paſcuntur, alienis proculdubio carnibus ſaturan-
Prou. 25 tur. Vnde per Salomonem dicitur: Noli eſſe in conuiuijs potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad veſcẽdum conferunt: carnes quippe ad veſcendum conferre, eſt, in collocutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere: pergit idem eorum ſupplicia recenſere, quæ apud ipſum videre licet. Atque hanc Gregorij interpreta-
c. 5. 15. tionem confirmat locus Apoſtoli qui Galatas ſuos ita caſtigat: Quod ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini, ſi mordetis, inquam, detractionibus, & apertis inuidiæ rixis velut inuicem comeditis, periculum eſt ne mutuis hiſce odijs cõſumpti etiam pereatis.

6. *Caninam carnem.*] Contra porcus alterius porci cadauere paſcitur, vnde
l. 7. 19. iniuſtum, inquit AElianus, improbumque habetur animal, cuius ſe ſimiles

les eſſe volunt qui vita functorum nomen denigrant, qui eos criminantur, qui bona occupant, qui eorum hæredes, vxorem, liberos, conſanguineos, amicos iniuſtè vexant, iniquiſque litibus eorum facultates exhauriunt.

CVRIOSITAS.

§ 1.

EAM fugiendam docent piſces damno ſuo, quod quidem iſta hiſtoria comprobatur. Solent Euboïci piſcatores de prora
1 piſcibus fallendis laternas quaſdam ſuſpendere, quæ etſi intra ſe ignem habeant, ſic tamen lucem tranſmittunt, vt ignis quidem obtegatur, lumen verò tranſluceat. Cum piſces vehementer ſplendorem timeant atque admirentur, propius accedunt cogniturí quid ſit id quod vident, quo animaduerſo adhuc magis timent, quare ſimul conglobantur frequentes ad ſaxum aliquod ibique manent timore ſtupefacti, aut

ad littus impulsi exiliunt, atque sic facile est eos tridente percutere. Idem docent etiam culices suo item malo, quod enim luce capiantur, ad lumen candelæ aut lucernæ propius aduolant, & dum curiosius volunt explorare quid sit id, incautè in illud irruunt atque ita comburuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Piscibus fallendis.*] Decipi etiam homines à sua curiositate, atque perire eos, æquè, & miserius multò quàm pisces docet Ecclesiasticus, dum mortalibus ista pœna proposita edicit à curiositate vt caueant. Altiora te (inquit) ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sũt videre oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius nõ eris curiosus: plurima enim super sensum hominis ostẽsa sunt tibi: Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit

c. 3. 22. 23. 24. 25. 26.

nuit ſenſus illorum : Hæc ille. Supplantauit autem illos ſeu decepit ſuſpicio illorum, dum nimia ducti curioſitate, ſuoque præfidentes ingenio exiſtimarunt ei nihil eſſe nimis arduum, poſſeque ſeſe eius viribus, vniuerſa, etiam quæ ſupra naturæ captum, & vires eſſent penetrare : ſed quid eſt ſtultam iſtam tum curioſitatem, tum perſuaſionem conſecutum? In vanitate detinuit ſenſus illorum, quando fide Catholica valere iuſſa ſeſe varijs errorum, atque hæreſum laqueis inſertos, dæmonum prædam eſſe voluerunt. Videtur item Salomon curioſitati iſti tribuere, *Eccl. 7. 30.* cur non perſtiterit homo rectus, atque Deo coniunctus: Solummodo, inquit, hoc inueni quod fecerit Deus hominē rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus : quaſi dicere videatur: cur in rectitudine non ſteterit homo, verum ad vitia flexerit, id cauſæ fuit quia nimia ductus curioſitate infinitis ſe miſcuit quæſtionibus : atque praua dæmonis imitatione ſtatim ſciſcitatus eſt, cur hoc, cur iſtud? Quomodo

hoc, quomodo iſtud? quod quidem hæreticis noſtris eſt perfamiliare, & maximè in inenarrabili illo auguſtiſſimæ Euchariſtiæ myſterio, quibus illud ſemper Capharnaitarum in ore: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Quomodo tã exigua hoſtia poteſt totus Chriſtus, quantus in cœlo eſt contineri? Quomodo poteſt eſſe vnus, & idem non à ſe diſtinctus in varijs locis atque hoſtijs? Quomodo poſſũt ſubſiſtere per ſe accidẽtia ſine ſubiecto? A quibus quæ-
Iob 38. 19. 20. ro viciſſim: In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit? vt ducant vnumquemque ad terminos ſuos, & intelligant ſemitas domus eius. Quæro item ab ijs quæcumque à Iob percuntatus eſt Deus, quæ quidem naturæ fines non excedunt; num ea norunt omnia? num eorum omnium reddere poſſunt
Iob. 39. 1. 2. rationem? Num norunt partus Ibicum in petris, vel parturientes ceruas obſeruarunt? Nunquid dinumerarunt mẽſes conceptus earum, & ſciunt tempus partus earum? Verum vt ea quæ ſunt
extra

extra ipſos miſſa faciam, quærere libet; ſciantne quemadmodum in hunc mũdum venerint, quemadmodum concepti, quemadmodũ in materno vtero formati ſint. Certè (alloquar eos Gregorij verbis) tu homo qui loqueris aliquando in matris vtero ſpuma ſanguinis fuiſti: ibi quippe ex patris ſemine & matris ſanguine paruus ac liquidus globus eras. Dic rogo ſi noſti qualiter ille humor ſeminis in oſſibus duruit, qualiter in medullis liquidus remanſit, qualiter in neruis ſolidatus eſt, qualiter in carne creuit, qualiter in cute extenſus eſt, qualiter in capillis atque vnguibus diſtinctus, ita vt capilli molliores carnibus, & vngues eſſent teneriores oſſibus, carnibus duriores. Hæc Gregorius. Quæro rurſus vt ad ea quæ animum ſpectant tranſeat ſermo: quomodo viſio, auditio, cæteræque ſenſuũ functiones perficiantur? Num id capiunt perfectè, ita vt conquieſcat mens eorum? Quomodo tum phantaſia, tum intelligentia, tum memoriæ vis, ſuas obeant actiones? Quemadmodum memoria

Hom. 10 in Ezech

moria pene infinitarum rerum, atque vocum imagines ac formas quibusque cellulis complectatur? Quemadmodũ leui subinde morbo atque pauxilli humoris in neruos deflexu formæ illæ ita obliterentur vniuersæ, vt homo ne nomen quidem suum meminerit amplius? Sed num ijs perspecta tot rerum inter se admirabilis sympathiæ causa, atque antipathiæ? Dicant cur inter se conueniant vlmus & vitis, ruta & ficus, magnes & polus? quomodo heliotropion cum sole se circumagit, etiam nubilo die? cur noctu velut sideris desiderio florem suum contrahit? Dicant cur capitalibus inter se odijs diffideãt gallus & leo, pardalis & hyena, accipiter & coruus, ciconia & vespertilio, pelecanus & coturnix. Dicant cur è magnetibus hic ferro amicus, iste hostiliter ab eo diffidet? Sed quis edicat hominum, quemadmodum à brutis ea perficiantur quæ ab ijs quotidie perfici videre licet? quomodo mellificent apes, quomodo annonam tanta diligentia,

gentia, prouidentia, ſolertia ſibi prouideant formicæ: quomodo norit gallus quantum ſit in curſu ſuo progreſſus ſol, vt poſt noctis medium tertia quaque hora canat. Explicent item quomodo ab vno grano ſeminis immenſa ſurgat arbor: atque in tanta vnius grani paruitate & nulla ſui diſſimilitudine vbi lateat ligni duritia, vbi ligno tenerior medulla, vbi aſperitas corticis, vbi viriditas radicis, ſapor fructuum, ſuauitas odorum, diuerſitas colorum, mollities foliorum. Contrectatum namque ſeminis granum non eſt validũ, vnde ergo proceſſit ligni duritia? Non eſt aſperum, vnde aſperitas corticis erupit. Non eſt ſapidum, vnde ſapor in fructibus? Olfactum nihil redolet, vnde odor in fructibus fragrat? Nihil in ſe viride oſtendit, vnde foliorum viriditas exiuit? Exponant denique (quod quidem ſibi ab Eunomio hæretico exponi poſtulat Baſilius) quæ ſit formicæ natura: an ſpiritu vel anhelitu vita ipſius contineatur, an corpus habeat oſſium deſtructione concinnatum ac diſcretũ.

Greg. l. 6 Moral. c. 6. & hom. 26. in Euangelia in fine.

Epiſt. 168.

Ner-

Neruiſne ac nodulis coniuncturarũ roborata ſit. An muſculorum & glandularum complexu neruorum natura vndequaque cõſeruetur. An è ſincipite per dorſuales nodos ad caudã vſque medulla prorogetur. Vtrum ex neruoſæ pelliculæ complexione motis membris ſit progrediendi facultas. Habeatne hepar, an ſub hepate ſit flauæ bilis folliculus. Vtrum renes habeat & cor & arterias & venas & membranas & diaphragmata. Nudane ſit vel crinita. An vnius, tantum generis aut multifarijs vtatur pedibus. Quamdiu viuat, & quæ ſit illis propagandæ poſteritatis ratio. Quotuplo fœtu dum generat fœcundetur. Et quomodo nec pedeſtres omnes ſint formicæ, nec alatæ omnes, ſed aliæ humi repant, aliæ verò per aëra volitent. Quod ſi horum eiuſque generis ſimilium, ſe eſſe dicant rationem intelligentia conſecutos, eos quidem mẽdacij conuincet Salomon, cuius de hominum cognitione quam ea claudicet, ſitque imperfecta, iſta eſt ſententia.
Eccle. 3. 11. Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo

ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.

Et quanquam in id noctes dieſque incumbat, nihil promouet eodem teſte: Et intellexi, inquit, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiūt ſub ſole, & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniat, etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire. Quod ſi iſta naturæ fines non egreſſa, nemo adhuc eſt perfectè aſſecutus, quomodo quæſo ea conſequatur quæ cum ſupra naturam omnem creatam exiſtant, longè creaturarum omnium cognitionem fugiunt. Si difficilè æſtimamus (argumentū eſt Salomonis) quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cū labore, quæ autem in cælis ſunt quis inueſtigabit? Sed quis ea tandē quæ ſupra cœlos ipſos ſunt, qualia ſunt Dei potētia, ſapiētia, bonitas quæ in iſto Sacramento eminent maximè, inueſtigabit? Si igitur

Eccle. 8 17.

Sap. 9. 16.

tur ſapis, ijs ſimpliciter credes quæ intelligentia aſſequi non poſſis, neque te ad eam amentiam ſines, atque curioſitatis exceſſum abduci, vt ea ſcire velis quæ ſui præſtantia atque dignitate, humanam intelligentiam omnem antecellunt.

2. *Ita comburuntur.*] Idem planè vſu-venire curioſis in rebus fidei docet
Prou. 25. 27. ſcriptura. Qui ſcrutator eſt (inquit) maieſtatis (cuius tanquam luminis cuiuſdam intuitus valdè hominem afficit) opprimetur à gloria. Etenim tantus eſt diuinæ maieſtatis fulgor, vt qui propius accedit, atque ſupra modum, naturæ aut humano ingenio congruẽtem, in eum oculos auſit defigere, eum ſplendore ſuo opprimat, vnde poſtmodum in amentiam grauiſſimoſque errores feratur præceps, non ſecus ac qui ſolis lumen aduerſum intuetur, eo excæcatur, quod aliàs tamen oculis ſolet prodeſſe.

DAE-

DAEMON.

§ 1.

BEllvm cum dæmone gerendum, & quemadmodum docet mustela 1 serpenti inimica, quæ quando eum aggredi parat, 2 rutæ esu ad id se comparat, tũ deinde fidenti animo ad pugnam tanquam 3 validis armis tecta prodit.

ANNOTATIONES.

1. *Serpenti.*] Esse serpentem in sacris literis hiroglyphicum dæmonis, neminem latere existimo.

2. *Rutæ.*] Ruta nostra erit fides, quẽadmodum enim illa visum acuit si cruda sumatur: sic & fides mentis oculos illuminat, qui absque ea planè cæci sũt & tenebris obsiti. Esse autem fidem arma in dæmonem longè validissima, docet scriptura his verbis : Aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Atque alibi. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere.

1. Petri 5. 9.

Ephes. 6 16.

3. *Va-*

3. *Validis armis.*] Eſt enim ſolus rutæ odor, ſerpentibus infeſtus, vnde hortulani ſolent ad oras areolarum rutam conſerere], vt eius odore in auras afflato ſerpentes arceantur. Quod & fidei tanquam ſpirituali rutæ congruit etiam, cuius ſolo odore fugatur dæmon, maximam enim habet in eum vim viua feruidaque in Deum fides.

§ 2.

TErrena teſtudo ſerpenti viperæ infeſta, antequam cum eo congrediatur [1] origanum comedit. Quod ſi eius facultatem non aſſequatur, comeſa ruta contra hoſtem armatur. Iam verò ſi vtriuſque facultate caruerit à ſerpente exeditur, planèque conficitur.

ANNOTATIONES.

1. *Origanum.*] De quo dictum ſupra, neque verò teſtudini tantum valet origani vſus contra venena, verum etiã homini, nam in vino albo, vt ait Plinius, valet etiam contra araneos, ſcorpioneſque & ſerpentum morſus.

l. 20. c. 16 & 17

§ 3.

§ 3.

MIrum eſt cerni in ſerpentem odium, quamque ille huic [1] aduerſetur, neque verò minori digna admiratione qua pollet in eo extinguendo, vis; quippe quam licet in latibulum ſe abdat ſerpens effugere non poſſit. Etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens vehementiſſimè [2] inſpirat, & [3] ſpiritu ſuo inuitum extrahit, foraſque productum deuorat.

ANNOTATIONES.

1. *Aduerſetur.*] Non ſpirans tantum, verum etiam mortuus, nam fugiunt ſerpentes eum qui aliquid cerui habet, aut eius medulla, aut ſæuo perunctos. Præterea ſi quis cerui cornua in ſcobem atterat, atque in ignem conijciat, fumus inde naſcens vndique ſerpentes ne illius quidem nidorem ſuſtinentes, fugat. Sanguine quoque ceruino certis quibuſdam additis herbis, contrahi ſerpentes dicuntur. *Plin. l. 28. c. 9.*

2. *Inſpirat.*] Inſpiratio noſtra, ſit oratio, de qua pſalmographus. Os meum *Pſal. 118.*

aperui, & attraxi ſpiritum, qua quidem oratione eductum ſæpenumero ex mortalium tum animis tum corporibus colubrum tortuoſum, teſtantur ſacri Annales. Teſtantur item diuinæ litteræ. *Marc. 9 28.* Hoc genus inquiunt dæmoniorum in nullo poteſt exire niſi in oratione & ieiunio. Atque ea re Paulus, dum Chriſtianum militem ſpirituali iſti bello aduerſus dæmonem communit, armiſque inſtruit, *Ephes. 6 18.* per omnem inquit orationem & obſeruationem orantes omni tempore in ſpiritu.

3. *Spiritu ſuo.*] Spiritus noſter ſit *Thren. 4 20.* Chriſtus, de quo Hieremias: Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, qui nobis æquè quin & magis eſt neceſſarius, quam ſpiritus quem ducimus atque attrahimus. Et quemadmodum ſine cõtinente eius attractione non conſtat vita, ſic quæ vita eſſe poteſt ſine Chriſto? in quo viuimus, mouemur & ſumus tanquam ſpiritualis vitæ noſtræ, motioniſque omnis principe, authore, atque conſeruatore. *l. 11, c. 53.* Plinius ait anima ſeu ſpiritu ceruorũ vri ſerpentes; at Chri-

ſti

ſti ſpiritu qui noſter eſt dum in nobis per gratiam ſuam ſedem figit, vehementius multo vri dæmones nemo iure diffiteri poteſt. Quod ſi id dubitat quiſpiam, meminerit illud dæmonum ad Chriſtum. Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos. *Mat. 8. 29.*

§ 4.

CVm eodem dæmone, cæteriſque animi noſtri hoſtibus acriter confligendum docent Apes, quibus cũ [1] plures ſint beſtiolæ quæ eas hoſtili more inſectentur, non ſe dedunt tamen, neque cum illis inducias vllas paciſcuntur, ſed continenter bellum gerunt, neque ideo quod ſui officij eſt, nimirum mella, ceraſque fingere, aut omittunt omnino, aut id ſegnius obeunt, quin & vbi inſtat atque imminet hoſtis, [2] ab eo diligentiores, & ſolicitiores redduntur, pluſque tunc & mellis & ceræ conficiunt.

ANNOTATIONES.

1. *Plures beſtiolæ.*] Poëta de ijs ſex numerat, ſtellionem qui fauos exedit, *lib. 4. Georg.*

blattas quæ cubilia congregant in alueis: fucos qui otiosi alienos labores populantur, vt & tineæ: crabrones qui apes pungunt: araneas quæ aluearij foribus casses tendunt vt apiculas captẽt.
lib. 8. cap. 27. Hisce sex addit Aristoteles vermiculũ quem alij clerum, alij pyraustam vocant, deinde bestiolam aliam similem
lib. 9. c. 6. & 4. hepiolo seu papilioni; tertio erucam quam vocant teredinem. Atque alibi hisce annumerat vespas, paros, hirundines, meropes, ranas lutarias, viuerram seu ictidem: Columella addit scarabæos, vt & Plinius muliones (sunt hi culices qui mulis solẽt esse infesti.) Vide mihi quot se hostibus generosa apicula opponat, vnico armata aculeo, & pudeat te cui tot tamque varij generis præstantia arma, quæ quidem tibi suggerit Apostolus in promptu sunt, turpiter hosti tamen manus toties dedisse, atque etiamnum dare.

cap. 7. lib. 9. l. c. 18. Ephes. 6

2. *Abeo.*] Non me teneo quin præstantissimos poëtæ versus quibus id exprimit hic subijciam. Ita igitur canit.

Quo magis exhaustæ fuerint, hoc acrius

crius omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foros & floribus horrea texent.

Atque huc ſpectat quod ſcribit Columella non interimendos fucos à curatoribus apum, ne hæ inertiæ ſe dedãt, cum enim fuci aliquam partem cibariorum abſumunt, ſarciendo damna, fiunt agiliores, iuuant igitur (vt ante erat ab Ariſtotele monitũ) fuci ſi pauci ſunt, cum apes inde fiant magis ſtrenuæ. Docemur vtiles eſſe tentationes atque hoſtes ne otio diffluamus, quod & olim fortè ab apiculis iſtis perſuaſũ Romanis, qui non euertendam cenſebant Carthaginem, Romani licet imperij æmulam, ne ſui ciues otio, hoſte interempto torpeſcerẽt. Docemur præterea vt quò plures patimur dæmonum vexationes, eò nos etiam fortius habeamus, & vt ſi quid ipſi quaſi mellis noſtri, meritorum ſcilicet atque virtutum depopulantur, ſedulitate omni nouoque virtutũ ſtudio, ruinas illas mox ſarcire atque reparare contendamus. *lib. 7. cap. 15.*

§ I.

EARUM fugam docent apes, quod vnguentis odoribusque delibutos 1 insectantur, præterea quod 2 oleum non ferãt, eoque si quis eas superfundat, properè 3 necantur, continuoque si quis acetum his superfundat, illicò 4 reuiuiscunt.

ANNOTATIONES.

1. *Insectantur.*] Insectatur item eos
cap. 31. 22. scriptura sacra: Vsquequo (verba sunt Hieremiæ) delicijs dissoluêris filia vaga? miro enim modo soluunt deliciæ siue victus siue cultus, vniuersam tum corporis tum mentis harmoniam, quod & paganis ipsis cognitum fuit. Et A-
1. ad. postolus eam viduam (quod de quo-
Timo. cumque alio accipe) quæ in delicijs est,
5. 6. viuentem licet, mortuam esse affirmat.

2. *Oleum.*] Est oleum ob sui nitorem, mollitiem, & quod tactui gratum sit, symbolum deliciarum, neque symbolum tantum, sed etiam earum instru-

ſtrumentum: adhibetur enim oleum, & quæ ex eo conflantur vnguenta ad delicias: quod tum Ethnicis, tum noſtris ſolemne fuit.

3. *Necantur.*] Quod vt ait Ambroſius obſtructis oleo poris, aëreum ſpiramen quo veſcuntur, illis haurire non poſſint, neque enim pulmonem aut reſpirandi vſum habere produntur. *lib. 5. Hexam. cap. 21.*

4. *Reuiuiſcunt.*] Eò quod acetum, vi qua pollet penetrandi citò poros illos, qui concretione olei obſtruuntur, feratur aperire.

DEVS.

§ 1.

DEI continenter meminiſſe, neque ab eo ſeparari vnquam doceat nos canis leporarius benè inſtitutus, qui tanto herum ſuum proſequitur affectu, vt 1 ab eo diuelli ne momento quidem poſſit, 2 quod ſi heri iuſſu famulus eum aliò transferre conetur, tum vehementer

eum allatrat, tum ſe aduerſus eum quã-tum poteſt tuetur.3 Atque obſeruatũ eſt, cum vnus de iſtis canibus Auguſto menſe ſummo æſtu, iam tria millia paſſuum ieiunus cum hero item ieiuno confeciſſet, atque is aduertiſſet exertâ lingua canem vehementer ſitire, iuſſiſſe vi abreptum transferri ad proximum fontem, quo bibit ille quidem, ſed ita vt ad hauſtus ſingulos caput atque oculos attolleret, oſque ad viam conuerteret heri videndi cauſa, neque etiam inter bibendum eſſet totus vbi corpore erat, cum animo oculis atque affectu hero ſuo præſens adeſſet: Qui vbi tandẽ non adeſſe herum ſuũ deprehendit, quanquam ſitiens adhuc neque potionis ſatur, nulla vi neque conatu prohiberi potuit, quin quã citiſſimè inde ſe proriperet, conquiſitoque hero ſeſe itineris illi ſociũ vt prius adiungeret.

ANNOTATIONES.

1. *Ab eo diuelli &c.*] Docemur iſto facto canis, obſequi præcepto illi quod non Abrahamum modò, at omnes itẽ perfectoiris vitæ cultores ſpectat: Ambula

bula coram me, & esto perfectus. Quasi dicat me semper præsentem cogita, me reuerere, & quasi coram præsente, tua omnia operare. Cui præcepto sine præcepto tamen obsecuti antè erant sanctissimi Henoch atque Noë, & post latum præceptum Dauid, cuius ista est oratio, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Quasi dicat: In omnibus quæ facerem, dicerem aut cogitarem, existimabam me Deo esse præsentem, neque ea in re fallebar, quoniam verè adest mihi opem ferens ne concidam. Obsecutus item Elias: Viuit (inquit ipse) Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto; quia scilicet nunquam eius memoriam pono: obsecuti demum Sanctissimi quique qui ista loquendi formula se indiuulsè Deo cogitatione adhærescere significabant. Atque hoc idem vt fiat (quod sanè mirum videbitur) monet etiam Seneca, sic viue inquit cum hominibus tanquã Deus videat Quicumque igitur se perfectum esse volet, is coram Deo semper

Gen. 17. 1.
Gen. 5. 22.
Gen. 6. 9.
Psal 15. 8.
1. Reg. 17. 1.
Epist. 10

per ambulet, ita vt nunquam mentis oculi aberrent aliò, neque vnquam (quoad eius in hoc exilij loco fieri possit) actu & reipsa ipsum cogitare, ipsum suspirare desinat.

2. *Quod si &c.*] Habent quod hic imitentur tum Christiani omnes, tum ij maximè qui perfectioris vitæ cultum profitentur: Illi quidem vt nunquam læthali culpa à Dei sui latere amicitiaque diuellantur; hi verò vt ea omnia oderint atque abijciant quæ ijs actualem cum Deo suo coniunctionem suffurari valeant: qualia sunt, occupationes nimiæ, non necessaria colloquia, confabulationes ad humana solatiola captanda institutæ, rerum curiosarum narratio atque auditio, atque cætera huiusmodi, quæ quantum Dei coniunctioni officiant nemo non videt.

3. *Atque obseruatū &c.*] Vehemens sanè est animo pio stimulus, canis istius amor in herum, vt quemadmodum canis, voluptate omni quam bibendo percipiebat, abdicata mox ad herum confugit, cuius desiderium amplius fer-

ferre non poterat, ſic & ipſe ſolicitudines omnes, voluptates omnes, negotia omnia, affectiones omnes, deſideria omnia, neceſſarios atque amicos omnes, res denique omnes atque homines valere iubeat quæ ſe vel minimum à continente Dei præſentia aſſiduaque eius memoria ob oculos habẽda impediant: quæ tamen ſalua ſemper maiorum ſuorum ſi quos habeat obedientia atque in proximum charitate ſunt intelligenda. Quod ſi vel obediẽtia vel charitate authore aliquod aut ſuſcipiendum eſt aut perficiendum opus, id quidem ita perficere conabitur, vt oculi eius cum pſalmographo ſint ſemper ad Dominum, neque vel momento ab eo cogitatione abſit, per quẽ viuimus omnes, mouemur & ſumus.

Atque vt ad iſta perficiẽda tum peccator qui licẽter & liberè viuit, tum is qui Dei gratia à grauius peccãdo ſe cõtinet, impellantur facilius, etiam atque etiam perpendãt rogo, quemadmodum iſta omnia quæ ſuprà cõmemorata ſunt paucula eſca allectus canis præſtiterit.

Quid

Quid igitur eos facere par ſit quos ſui imagine inſignuit Deus? Quos eoſdē admirabili ſua prouidentia conſeruat atque regit? Quos infinito ſanguinis ſui pretio abs tetra dæmonis ſeruitute æterniſque inferorum ſupplicijs liberauit? Quibus denique in cœleſtibus, ob
2. Cor. 4. 17. momētaneum & leue tribulationis eorum, ſupra modum in ſublimitate iam inde à conſtitutione mundi æternum gloriæ pondus præparauit?

DIGNITAS.

§ 1.

DIGNITATVM atque honorum quos quis in Republica adeptus eſt non oportere eſſe retinentiorem, ſed contentum eſſe viciſſim ſubeſſe, doceant nos Grues, quæ dum volandum eſt vnam ſibi præſtituunt itineris ducem quæ præcurrit cæteris certo tempore, quo expleto ad agmen redit, extremumque ſortitur locum, atque ei quæ ſe ſequebatur, ducendi agminis

minis honorem cedit, ita earum singulis id obuenit vt vicissim & 1 primæ sint & nouissimæ.

ANNOTATIONES.

1. *Primæ &c.*] Quid hoc pulchrius (neque enim ausim mea dare cum eloquentissimi Ambrosij in promptu sunt verba) & laboré omnibus & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntaria sorte præscribi? Antiquæ hoc Reipublicæ munus & instar liberæ ciuitatis est, sic ab initio acceptam à natura, exemplo auium politiam homines exercere cœperunt, vt communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, obsequia imperiaque diuidere, nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status, nec insolescebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno seruitio fungebatur, quia & sine inuidia erat ordine muneris, & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur quæ communi cadebat sorte custodia.

lib. 5. Hexam. cap. 15.

stodia. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successuri in honorem mutua forent subeunda fastidia: nemini labor grauis quem dignitas secutura releuaret. Hæc præclarè atque disertè Ambrosius, qui eadem eloquentia pergit inuehere in eos qui dominãdi libidine susceptas nolunt deponere potestates: Quem si adeat lector, facti sui spondeo non pigebit, neque enim ne longior sim ea ausim hîc afferre, cum & ea ipsa quæ dedi non nemini fortasse longiora videbuntur.

EBRIETAS. *Vide* GVLA, SOBRIETAS.

§ I.

EIVS fugiendæ magistri sunt Simius & Elephas qui si vinũ biberint, hic sui 1 roboris obliuiscitur, ille 2 versutiæ, & omnino fiunt 3 imbecilli & captu faciles. AElianus variarum historiarum libro secundo capite 40.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Roboris &c.*] Idem hominibus v- *Ecclesi.*
ſu venire tum docet experientia tum *31. 40.*
Salomon: Ebrietatis animoſitas (inquit hic) imprudentis offenſio, minorans virtutem & faciẽs vulnera, id eſt, Animoſitas atque audacia quam affert ebrietas, cauſa eſt cur ſæpe quis imprudens offendat, impingat, & in malum aliquod corruat: & quamquam videatur ipſa vires homini addere, reuera tamen ei plurimum detrahit virium, cæterorumque exponit iniurijs, à quibus facilè læditur & vulneratur, & quidem de vulneribus tritum eſt illud de pro- *Prou.*
uerbijs: cui væ? cuius patri væ? cui fo *23. 29.*
ueæ? cui ſine cauſa vulnera? Nonne *30.*
his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?

2. *Verſutiæ.*] Quod item ebrio accidit cum mentis ſit impos, à qua omnis verſutia & prudentia, quare is ſibi non cauet, neque imminentia pericula præuidet: eſtque ſicut dormiens in medio *Prou.*
mari, & quaſi ſopitus gubernator a- *23. 34.*
miſſo clauo. Sicut enim qui in alto ma-

ri ſomno indulget, varijs ſuſque deque agitatur fluctibus licet id ignoret, quare vitæ periculo in quo verſatur proſpicere nequit: Sic ebrius huc illucque inſtar fluctuum vacillans fertur, & inconſtans lubricoque greſſu, neque, quo ſit in diſcrimine ne fortè ſubita humorum vi atque concurſatione ad aliquem cerebri ventriculum aut ad cor, aut principem aliquam corporis partem, ſenſu omni motuque priuetur aduertit ſatis. Neque verò hîc ſe continet ebrietatis noxa, eſt etiam ebrius quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo. Quid periculoſius tum nauarcho, tum nautis cum ijs qui vehuntur, quam cum ille ſopore preſſus, clauoque de manibus dilapſo non poteſt nauim dirigere, ſed eam vagam atque liberam, vndis ventorumque procellis regendam committit? Num minus imminet ebrio periculum qui clauo iam, id eſt, rationis vſu ſibi nimio potu erepto, nauem ſuá, id eſt, corpus ſuum ac mentem non poteſt rectè in iſtius vitæ curſu gubernare, atque vt portum teneat efficere?

Quam

Quamobrem in summo eum vitæ tum corporis tum animi versari discrimine necesse sit.

3. *Imbecilli & captu faciles.*] Quam imbelles & captu faciles ab ebrietate fuerint tum viri priuati, tum acies integræ. Vide Congressus nostros Pomeridianos aduersus intemperantiam. *cap. 5. vbi proloquitur politicus*

§ 2.

BRutis vniuersis id commune est, vt non plus bibant quam naturæ congruat, neque vllis aut minis aut verberibus adigi possint vt eam mensuram excedant.

ANNOTATIONES.

1. *Brutis &c.*] Cum homines longè brutis deteriores non quid naturæ, vitæque sustentandæ, sed quid libidini voluptatique satis sit attendant, quæ cum nulla potionis mensura saturari possit, eò fit vt nullus ijs bibendi sit terminus. Vide de tota ista re, & quam sit indignum bruta hominibus sobrietate anteire, eosdem Congressus Pomeridianos, vbi in istam sententiam varia sanctorum patrum tum Græcorum, tum *Cap. 3. & 4. vbi proloquitur Theologus.*

latinorum teſtimonia afferuntur.

EDVCATIO. *Vide* NOBILITAS. OBEDIENTIA, CLEMENTIA § 4. Manſuetudo.

§ I.

HONESTIS atque Chriſtiano nomine dignis moribus, educandos informandoſque parentibus filios, docent animantes multæ, ac in ijs volucres potiſſimum. Feruntur enim accipitres, vbi primum aduertunt fœtus ſuos tentare volatum, eos è nidis eijcere, ac ſi morentur egredi, eos [1] pennis propulſare atque præcipitare, aliſque verberare, cogereque audere quod facere trepidant, neque ad eos vllam amplius deferre eſcam, quod [2] ideo faciunt vt à teneris annis pullos ſuos [3] inſtituant ad prædam, cum eos natura prædando victum conquirere iuſſerit.

ANNOTATIONES.

1. *Pennis propulſare.*] Neque enim ſatis

est filios suos docere quæ recta sunt,
si ea non præstent, castigandi sunt
que corripiendi, iuxta illud: Stulti- *Prou.*
colligata est in corde pueri, & vir- *22.6.*
disciplinæ fugabit eam. Noli sub- *Prou.*
here à puero disciplinam: si enim *23. 13.*
rcusseris eum virga non morietur, tu
rga percuties eum, & animam eius de
ferno liberabis.

2. *Ideò faciunt vt &c.*] Quibus addit
mbrosius, cauere accipitres isto facto *lib. 5.*
e pulli in tenera ætate pigrescant, ne *Hexam.*
oluantur delicijs, ne marcescant otio, *cap. 17.*
e discant cibum magis expectare quã
uærere, ne naturæ suæ deponant vigo-
rem. Intermittuntque studia nutriendi
vt in vsus rapiendi audere compellant.
Quæ omnia valent etiam in filiorum
educatione, debentque parentes ex se
natos laboribus exercere, cauereque ne
otio quod omnium est malorum fons
& origo diffluant.

3. *Instituant ad prædam.*] Quia præ-
da naturæ eorum congruit, cum eis ex
rapto sit viuendum. Sic decet paren-
tes filios ijs instituere disciplinis quas

 recta

recta ratio, quas Christi religio, cui sũt filij initiati, postulant, audireq; illud
Ephes. 6. 4. Apostoli: Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

§ 2.

CEruæ editos partus exercẽt cursu, & 1 fugã meditari docẽt, ad prærupta ducunt, ijsque saltum demonstrant.

2 Luscinia pullos 3 docet modulos suos, versusque quos imitẽtur ijs tradit. Audiunt pulli intentione magna & reddunt. In docente apparet quædam reprehensio, & in discipula emendatæ correctio. Docere autem id argumento est quod quicumque matris educatione è nido præproperè sublati caruere, inconcinnius canunt. Præterea ne quis dubitet arte constare eorum cantum, plures singulis sunt cantus, & non ijdẽ omnibus, sed cuique sui.

Perdices paruulos suos quantisper fugitare per ætatem non licet, assuefaciunt vt quoties venator instet, supini sternant sese 4 gleba fæceue, corpori velu-

veluti integumento ſuperingeſtis.

Aquila pullos ſuos plumeſcentes alis verberat, 5 exemploque ſuo eos ad volandum prouocat.

ANNOTATIONES.

1. *Fugam.*] Doceant parentes filios ſuos vitiorum fugam, ijſque inculcent identidem illud è ſacris litteris. Quaſi à facie colubri fuge peccatum, atque illud quod toties ingeſtum à Regina Blanca ſancto Ludouico Galliæ Regi adhuc puerulo memoria proditum eſt. Mori te iuuat potius fili mi quam peccare. Aliàs: Quam malim te fili mi mortuum quam peccantem. Dici vix poteſt quam altè ſubeant quæ teneræ iſti ætati ingeruntur, & quanto fructu bonam ſementem iaciant parentes in terram iſtam nouellam, quantique interſit, quos nati quotidie ſermones audiant domi, quibuſcum agant, denique quemadmodũ & quænam tum patres, tum pedagogi, tũ matres, tũ nutrices, tum famuli coram ijs proloquantur.

2. *Luſcinia &c.*] Id obſeruatum dicit Ariſtoteles lib. 4. de hiſt. animal. c. 9.

3. *Docet modulos suos.*] Ita matres suos doceant natos formare signum crucis, eoque (vt cum Tertulliano loquar) idẽtidem frontem terere, aut armare, doceant item orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, atque alia è Catechismo Catholicorum: difficiliora verò prout sensim ætate procedunt, atque in dies singulos fiunt ad discendum aptiores tradant. Atque ista quidem cura maximè matres tangit (quemadmodum & in auibus mares non docent pullos) viris nimirum in alia intentis. Neque verò excusationis loco afferant, esse filios suos minus dociles. Num ij minus sunt quàm bruta ipsa disciplinæ capaces? At discunt lusciniarum pulli matrum suarum cantilenas, easque non simplices, at varias & bene longas. At orationem quantumuis longam, non interrupta serie pronuntiat psittacus. *lib. 3. Antiq. lect. c. 32.* Author est Rhodiginus extitisse Romæ in ædibus Ascanij Cardinalis psittacũ, qui articulatissimè continuatis perpetuò verbis, Christianæ veritatis symbolum

lum pronuntiabat instar viri periti. Vnde id quæso, nisi præter alia à docentium cura, assiduitate, atque iterata, frequentique rei eiusdem repetitione, neque enim naturalis est aut lusciniæ tā disertus argutusque cantus, aut psittaco tā longi sermonis expressio, qui naturæ magisterio nihil sibi *perrochet* enuntiare nouit, quæ vox iam tanquam ipsis peculiaris in nomen eorum abijt. Imitentur igitur matres eorum qui bruta ista erudiunt diligentiam ac sedulitatem, neque eas eadem pigeat identidem inculcare atque ingerere: castigent etiam in filijs discendi tarditatem, idque eorū imitatione qui psittacos humanas formare voces edocent, dū enim inquit Plinius loqui discūt, ferreo verberantur radio (seu ferrea clauicula vt placet Solino) aliter ictus non sentiunt, nam capiti eadem durities quæ rostro.

4. *Gleba.*] Qua tecto pulli ventre, auceps fallitur putans esse terræ frustum, non aduertens interim latentem sub eo pullum.

5. *Exemploque prouocat.*] Quod & tra-

traditum à Sanctis literis: ſicut Aquila
Deuter. 32. (inquit de Deo Moyſes) prouocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans. Falluntur parentes qui ſuo ſe munere eſſe præclarè functos arbitrantur, ſi verbo natos ad virtutis cultum morumque honeſtatem prouocent, ipſi interim virtutis oſores, moribuſque inquinatiſſimis. In quos valet illud Apo-
Roman. 2. 21. ſtoli: Tu qui alios doces teipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris! qui dicis non mœchandum, mœcharis? Et illud tritum communi ſermone prouerbium: Medice cura teipſum. Intelligant iſti maiorem longè vim ineſſe docendi in exemplis quam in verbis, quare tales ſeipſi exhibeant quales volunt eſſe filios ſuos, quibus aures non ad parentum verba, ſed oculi ad facta patere ſolent, fruſtraque ijs à parente caſtimonia, ſobrietas, modeſtia, cæteraque digna Chriſtiano virtutum ornamenta inculcantur, ſi ab ijs ipſe prior ſit deſertus. Cæterum ex
D. Tho. 1. parte iſtis omnibus brutorum magiſterijs, colligit diuus Thomas, bruta non habere

bere in omnibus ſtatim à principio, perfectum vſu naturalis ſuæ induſtriæ, cum doctre egeant, licet in aliquibus eum habeant: Agnus enim ſtatim agnoſcit matrem, & fugit lupum. q. 101. art. 2, ad 2.

§ 3.

VRſa licet plena fraudis fera, fertur tamen cum informes partus edat, eos [1] lingua fingere, atque in ſpeciem ſui ſimilitudinemque formare.

ANNOTATIONES.

1. *Lingua fingere &c.*] Non miraris (interrogatio eſt iſta Ambroſij) in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrſa igitur partus ſuos ad ſui effingit ſimilitudinem, tu filios tuos inſtituere ſimiles tui non potes? Linguæ igitur officium quod exhibet vrſa fœtui ſuo, æmulabitur parens ex mente Ambroſij, ſi filium ſuum inſtituat, pareatque iſti ſapientis præceptioni: Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Cur ſtatim à pueritia? Quia quemadmodum vrſa fœtus ſuos cum primum ex vtero progreſſi lib. 6. Hexam. ca. 4.

greſſi ſunt lingua lambit, effingitque eorum membra, cum enim tempore obduruerunt, alienam formam non admittunt; ſic & natos niſi mox vbi primum vel tenuis rationis affulſerit radius erudiat parens, at ſinat eos ſuis legibus appetitionibuſque viuere, nihil promouebit, aſſuefacta enim certis moribus pueritia, eos aut nunquam aut ſerò, ægrèque admodum deponit.

Sed velim hic progenitores occaſione ſumpta eorum quæ allata ſunt hactenus, ita ſecum ratiocinari: Erudit fœtus ſuos accipiter, atque ad prædam exercet, cerua item ſuos fugam, Aquilarum genus volatum, Luſcinia muſicum concentum, perdix dolos in hoſtem edocent: ego ex me genitos ab omni inſtitutione deſertos negligam? Meque hominem rationis compotem, brutis eius expertibus inferiorem eſſe patiar? Quid hoc indignius? Si bruta ſola naturæ quaſi manuductione paruulos ſuos inſtituunt, vt cuiuſque eorum natura poſtulat: cur in me non valeat tum illius ipſius naturæ ius, quæ nō ſegniter

niter me ad id vrget, tum diuinæ tot præceptiones quibus si minus pareo, natorumque educationem negligo, multa me manent tum in ista tum in futura vita supplicia? Et sanè nihil infœlicius eo parente qui filios suæ ineruditos atque incultos dimittit libidini. Hic enim pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera eius: nempè in summa solicitudine, atque animi perturbatione versabitur, ita vt ad omnem clamorem tumultumque qui in ciuitate excitabitur, timeat vehementer ne clamor ille ad filium suum pertineat, & sit contra eum excitatus. *Ecclesi. 30. 7.*

Præterea quem à pueritia recta educatio deficit, is mirabili impetu fertur ad omnia vitia, quemadmodum enim equus indomitus euadit durus, sic & filius remissus euadit præceps. Equum quidem nisi à primis annis frænis & calcaribus domare instituas, naturalē ferociam suam atque petulantiam retinebit semper. Nihilò minus qui puer prima ætate sua, disciplina omni & castiga- *Ecclesi. 30. 8.*

ſtigatione ſolutus, naturali ſuæ petulantiæ dimittitur, euadit præceps, temerarius atque in omnia vitia incredibili fertur audacia, ita vt ab ijs poſtea vix ac ne vix quidem reuocari poſſit.
Eccleſ. 30. 9. Ad hæc, qui lactat filium, blandèque illum tractat, & quæcumque ei grata ſunt & iucunda indulget, is pauentem eum faciet, tantumque abeſt vt eum timeat (quod filij probi eſt officium) vt etiam parenti timorem incutiat, dũ moribus ſuis improbis vitaq; profligata id efficiet, vt & illi & ſibi malè metuat.
Eccleſ. 30. 10. Denique ſi diſciplina omni valere iuſſa ludas cum illo, indulgenterque habeas filium contriſtabit te: ſi corrideas illi cum ſeriò eſſet agendum, riſuſque eius comprimendus, dolebis, verteturque in fletum riſus tuus, atque in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui: quo quidem ſignificatur doloris acerbitas qua id fiet vt tibi nihil ſit gratum in iſta vita futurum, nihilque ſapidum, quemadmodum ijs quibus dentes obſtupeſcunt moleſtum eſt edere. Quod quidem accidet quando indulgẽtia tua vide-

videbis auctam filij petulantiam, præuidebisque malorum iliadem in quæ olim vitio suo incidet, quin & te etiã viuo, vidente, inque oculis tuis experiri cogetur.

Omitto prudens quæ te post istam vitam expectant supplicia, vt tibi sapientis verbis iterum rectam filij educationem inculcem: Curua itaque ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Eccles. 30. 12. 13.

§ 4.

QVantum prosit, viriumque habeat recta à teneris educatio, docet animaliũ quãquam maximè agrestium & ferorum vt leonum, pardorum, tigridum, elephantorum, & cæterorum [1] cicuratio tam visitata [2] priscis temporibus.

ANNOTATIONES.

1. *Cicuratio.*] De ea cicuratisque animalibus, habes exempla, totius istius opus-

opuſculi inſperſa corpori, & maximè verbo Obedientia: vnde conſtabit quẽadmodum ea ſenſim à teneris vnguiculis didicerint homini parere. Quanta autem ſit educationis vis in equis atque leonibus ſic explicat Ambroſius. Equos videmus popularibus incitari ſtudijs, gaudere plauſibus, blandimentis delectari magiſtri. Toruos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare manſuetudine, ſuam rabiem deponere, noſtros mores ſumere, & cum ſint ipſi terribiles, diſcere timere atque obedire, iuxta illud,

De Cain & Abel. l. 2. cap. 1.

Longa dies homini docuit parere leones.

2. *Priſcis.*] Neque priſcis modò, at de ſuperiore item ſeculo memoria proditur magnum Regem Mogor nomine Echebar anno poſt Chriſtum natum quingenteſimo octuageſimo ſecundo ſupra milleſimum aluiſſe Elephantes qui egregiè ad numerum ſaltarẽt. Quod ſi de minus feris & agreſtibus ſermo ſit, deque ijs quæ noſtræ conſuetudinis amantiores ſunt, viſuntur in inſulis Molucis pſittaci, quorum pennæ multo tri-

P. du Iarric T. 2. hiſt. orient.

Idem T. 1. lib. 2. cap. 27.

triuialibus istis, qui ad nos perferuntur speciosiores existunt, qui eò exercitatione atque vsu adducuntur, vt summa cum gratia atque dexteritate extricent, atque intricatam euoluant rostro, herorum suorum barbam, suauiterque pectant, cui beneuolentiæ officio, alios item mille varij generis lepores addãt. Et ne longinqua tantum consectemur, visi sunt anno 1615. sub dies hilariorũ Florentiæ certi equi docti ita concinnè ad numerum saltare atque si ratione præditi essent, cuius rei tot sunt testes quot pene alicuius nominis ciues alit Florẽtia, qui se omnes aurei prius persoluto pretio ad tantæ rei tamque inusitatæ spectaculum effundebant. Vtinam tam essent mortales auidi ea adire loca, quibus ea audirent atque spectarent gratis, quæ non animo otiosam, inanem, momentaneamque, verum vtilem, solidam, æternumque duraturam parerent oblectationem. Vtinam & (optet aliquis) tam essent homines in pauperes benefici, ac liberales, quã sunt in suis consectandis voluptatibus pro-

prodigi atque profusi.

Cæterum inueniet modò spero apud incredulos (qui nisi oculis suis credunt nemini) fidem, quod de Sybaritis tradit antiquitas, eos scilicet in tantum deliciarum studium deuenisse vt equos etiam ad tibiam in symposijs tripudiare assuefecerint. Quod cum Crotoniatæ cognouissent, vbi cum his pugnarunt, saltandi concinnitatem illis pararunt, vt asserit Aristoteles in eorum Republica. Aderant enim ijs tibicines in acie militari, quorum cum tibiarum sonum equi audiuissent, non exilierunt solum verum etiam sessores habentes ad Crotoniatas trāsfugerunt. Idem Bisaltas contra Cardianos designasse fertur, Onaris enim Bisaltarum dux tibicinā Cardianam Bisaltas suos ea arte erudire fecit. Vbi igitur pugna fuit cœpta, tibias inflare, modulosque emittere iussit solitos. Eos vbi equi audiuerunt super postremis pedibus se firmarunt, atque in tripudium sunt conuersi. Cardianorum vis omnis in equitatu posita erat, atque idcirco victi superatique fuerunt. Athenæus l. 12. cap. 6.

Plin. l 8 cap. 43.

ELEEMOSYNA.

§ 1.

PEDVNCVLVS piſcis ſequi ſolet delphinum qui eo tantopere delectatur vt cum ipſo libẽter prædam ſuam 1 communicet, victitat itaque ipſe ex ijs quæ delphino 2 ſuperfluunt, atque intercidunt, quibus tanquam locupleti menſa exceptus, pingueſcit. AElianus l. 9. cap. 7.

ANNOTATIONES.

1. *Communicet.*] Qua re docet homines, ſua vt cum egenis communicent, atque digni ſint qui dicant cum Iob. *Cap. 35.* Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, feram & alius comedat &c.

2. *Superfluunt.*] Vtinam ſuperflua ſaltem largirentur pauperibus diuites, obſequerenturque iſti Chriſti præcepto. Quod ſupereſt date eleemoſynam, id *Lucæ* eſt, de ijs quæ adſunt ſeu ſuperſunt. V- *11. 41.* tinam ſaltem Baſiliſcum imitentur, de *lib. 2.* quo *cap. 7.*

quo ista AElianus: cum in Africa muli permulti vel cæsi, vel siti confecti iaceant, magna serpentum vis eò confluit ad eorum cadauera depascenda: at vbi Basilisci tanquam eorum regis sibilum inaudiere, diffugiunt omnes, ille verò tranquillè neque ab vllo interpellatus prandet: A suo prandio, repetito rursus sibilo latitantibus serpētibus significat se iam pransum esse, & quod superest cibi ipsis relinquere. At plerique auarorum, similes sunt illius bestiæ apud Danielem valde cæterarum dissi-
c. 7. 19. milis, cuius dētes & vngues ferrei, quæ quidem comedebat & comminuebat, at reliqua ne quos haberet prādij sui socios pedibus suis conculcabat. Quot enim malint de istis auaris opes suas perire, frumētumque putrescere, quā vt eo vitam pauperis sustentent. Quod vtinam ne hisce nostris temporibus accidisset, quando magna tritici vis summa improbitate atque crudelitate pauperibus subtracta, atque in horreum condita, ob corruptionem fuit aquis, tam atrocis facinoris impietati occulē-
dæ

dæ, noctu immergenda. Itanè miseri Dei optimi maximi atque in vos munificentissimi dona pessumdatis? Num vobis Deum frumentum suum alendis piscibus, & non hominibus potius, quos fame necatis, largitum esse existimatis. Si maledictus qui frumenta abscondit in populis, cui erit tandem maledicto obnoxius qui ea absconsa miserè perire sinit? Mittat Dominus (neque enim minori digna est fera hæc supplicio) super eam famem & esuriem donec cóterat & perdat velociter. Adiungat pestilentiam donec consumat eam de terra, percutiat eam Dominus ægestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereat, sit cœlum quod supra illam est æneum, & terra quam calcat ferrea. Det Dominus imbrem terræ eius puluerem, & de cœlo descendat super eam cinis donec conteratur. Hæc sit pars hominis impij à Deo atque eius qui sibi malit superflua male perire, quam ijs Christi pauperes, germanosque suos educatos in vita conseruare.

Deuter. 28. 20. 22. 23. 24.

§ 2.

1 AQuila nunquam prædã ſuã (niſi admodum famelica ſit) totam ſola deuorat, ſed cæteris volucribus ſe vt eius participes fiant conſectantibus, eam communiter, tanquam menſæ ſocijs exponit, ſua tamen prius recepta portione.

Narrat Albertus magnus aucupes quoſdam in ſuperiori Germania caſu in canum cœcumque arbori inſidentem falconem incidiſſe, cumque admirarentur quî ſibi victum pararet, ſeſe in ſylua abdidiſſe, atque ex lateribus conſpexiſſe duos falcones alios, qui cum eo prædæ prandijque ſui partem communicabant.

Tract. 2. lib. 8. de animal. cap. 6.

ANNOTATIO.

1. *Aquila &c.*] De Tobia prædicant ſacræ litteræ eum omnia quæcumque habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus qui erant ex ſuo genere impertijſſe, quotidieq; perrexiſſe per omnem cognationem ſuam, diuiſiſſeque vnicuique prout poterat de facultatibus ſuis, eſuriẽteſque aluiſſe &c. Quod ſi

Tobiæ c. 1. 3. & 9.

ſi tantum virum imitari non vales, ne te ſaltem brutis iſtis inferiorem eſſe velis, annonamque tuam, cæteraſque opes tuas inter egenos diuidas.

FIDES SEV FIDELITAS. *Vide* verbo Amicitia & Gratitudo.

FILII.

§ 1.

1 QVANTA debeant filij pietate parentes colere, docent ciconiæ, quæ genitores ſuos per ſenium defluxu pennarũ laborantes, ſuiſmet plumis circumdatos fouent, ijs abundè lautèque 2 victũ ſubminiſtrant, ſubſidium eis quoad eius fieri poteſt in volatu ipſo præſtant, 3 eos ſenſim ſuis vtrimque ſubleuantes alis: 4 Eadem ferè exhiberi ab Vpupis, parentibus ſuis tradunt authores fide digni, vt & ab Aquilis.

ANNOTATIONES.

1. *Quanta &c.*] Nemo enim eſt inquit Baſilius qui naturæ ſenſu pruden-

Hom. 8. in Hexam. tiaue sic destituatur, vt non mediocri pudore eum existimet dignum, quisquis quod ad virtutem attinet, sinit se alitibus istis, nulla rectæ rationis vi præditis deprehendi inferiorem.

2. *Victum subministrant.*] In quod intuens Ambrosius, non recusant inquit lib. 5. Hexam. cap. 16. aues pascere patrem, quod etiam præscripta necessitate sub terrore pœnarũ plerique hominum recusarunt (Alludit Ambrosius ad ea præcepta quibus parentum amor, atque subuentio pœnis sancita est in sacris literis.) Aues non scripta, sed nata lex stringit: Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio.

3. *Eos alis subleuantes.*] Quod accõmodans Ambrosius ad ingratos filios sic eorum ingratitudinẽ castigat: Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur. Alludit Ambrosius ad id quod de AEneæ in patrem Anchisen pietate fertur, quem ex Troiano incendio humeris suis impositum eripuisse,

puiſſe, memoriæ proditum eſt. Sed pergit idem. Quis vt pius ſit non hoc ſeruulis mandat obſequium? At verò auibus non eſt graue quod pietatis eſt plenum, non eſt oneroſum quod ſoluitur naturæ debito. Aues non erubeſcunt reuerendi ſenis membra portare, eſt enim vectura pietatis, vectura autem iſta volucri iſti pietatis nomen atque famam confecit, vocatur enim pia auis, & quod vix vni Imperatori (Antonino qui ob inſignem pietatem cognominatus eſt pius) conſulto ſenatus delatum dicitur, hoc iſtæ aues in commune meruerunt. Hac itaque ciconiarum pietate docentur filij eandem ſaltem quam ipſæ exhibere parentibus pietatem, dictoque audientes eſſe tot ſcripturarum præceptionibus, quæ hanc illis pietatem inculcant, quam quidem ipſæ ſola duce natura exhibent. Quod ſi alis ſubleuat ciconia parentes ſenes, eoſque nutrit, ad idem te cohortatur Dei ſpiritus: fili ſuſcipe (inquit) ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius. Et ſi defecerit ſenſu veniam

Eccleſ. 3 14. 15.

niam da, & ne ſpernas eum in virtute tua. Quid ſibi vult illud ſuſcipe ἀντιλάβου niſi ſubleua (quod & faciunt ciconiæ) ne concidat pater tuus præ ſenio, ſubleua inquam ſuccurrendo inopiæ eius, ſubleua item & ſuſcipe conſolatione eum erigendo, cum ſibi ferè ſenes ſufficere non valeant. Et quoniã non ſolum ſenio, bonorum victuſque, verum etiam ſapientiæ atque prudentiæ (quod quidem in volucribus locum nõ habet) inopia ſolet obtingere, ideo monet vt ſi parentem vetulum ſenſus atque prudentia defecerit, ipſi des veniã, neque illum præ te contemnas, quod tum corporis tũ animi viribus ei præſtes. Præterea ſi parentibus ſuis imbecillibus ſeruit ciconia, ad ipſum te intelligas velim diuinis legibus teneri.
Eccleſ. 3. 8. Qui enim timet Dominũ honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his qui ſe genuerunt. In opere & ſermone & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat.

Quoniam enim eſt plurimis perſuaſum

ſum ſatis eſſe ſi exteriorem honorem parentibus deferant, docet ſcriptura non id quidem ſufficere, niſi & pro beneficio generationis (quod niſi per eos nati non eſſent) ijs etiam ſeruiant & famulentur quaſi dominis ſuis, neque ſe erga eos tanquam pares, ſed tanquã ſibi ſuperiores quorum iuſſis ſit parendum, quorum commodis ſit ſtudendũ, gerant. Atque iſtud demum eſt quod poſtea præcipit. In opere & ſermone honorare patrem, promptè videlicet obtemperando, ſeruiendo, ſubueniendo, ac benignè modeſtèque cum eo loquendo. Quod autem ſubijcit de patientia, eam habet ſententiam, vt præcipiat filijs toleranda ſi quæ ſint parentum vitia, ſenileſque mores minus fortè adoleſcentiæ congruentes, atque vt eadem patientia præcepta parentum difficiliora ne detrectent.

Atque hæc omnia ſuo quodam, ſed efficaci modo præſtare ciconiam demonſtratum eſt paulò ante, quanquam nullis ad id nec præceptionibus neque promiſſis, neque minis adducta: non vere-

veretur ipsa maledictionem genitoris, neque eius benedictionis spe, si se verum exhibuerit filium, tenetur. Non reformidat si patrem deserat suum, ne
Eccles. 3.18. in illud Sapientis incurrat. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo qui exasperat matrem. Quam igitur bruto isto deterior homo, quem neque summi Dei præcepta, neque eius promissa, neque minæ, ad ea quæ genitoribus suis debet exhibenda, possunt permouere?

4. *Eadem &c.*] Atque isto nomine, tum ciconiæ, tum vpupæ apud AEgyptios magno sunt in honore. Vide AElianum l. 10. c. 16.

§ 2.

MErops pietate in parentes etiã ciconijs antecellit, quod non eos demum 1 senectute affectos alat vt ciconia, sed vbi primum ei maiores alarum pennæ natæ fuerint, eo pietatis officio fungitur. Quare inter aues, iustissima omnium habetur & pijssima.

An-

ANNOTATIONES.

1. *Senectute affectos.*] Qua re instituuntur filij omni tempore licet nondum effœta affectaque ætate sint parentes, omnibus eos pietatis, humanitatis atque beneuolentiæ signis prosequi, memores quoniam nisi per illos nati non fuissent, quamobrem retribuant illis sicut & illi sibi. Maximè autem meminisse eos oportet matris, quemadmodum eos mensibus nouem in vtero gestarit, lac dederit & aluerit, atque in istam ætatem perduxerit. Meminisse item gemituum eius & laborum quos & ante partum in vteri gestatione, & in partu, & reliquo tempore in educatione sustinuit. Quorum recordatione eam tum honorent, tum ei opitulentur, tum caueant in primis ne qua re eam offendant, atque ita eius gemitus augeantur, nouique prioribus addantur: Honorem habebis (monitum erat Tobiæ parentis ad filium, quod ad se spectare existiment omnes) matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. §. 3.

Eccles. 7. 30. *2. Mach 7. 27.* *Eccles. 7. 29.* *Tobiæ 4.*

§ 3.

CVm iam leo ætate processit, quia ad venandum infirmus, in specubus aut nemorosis locis solitus est quiescere, neque tum audet vel cum infirmissimis animalibus, ætatis suæ imbecillitati diffisus consuetudinẽ habere. Verùm ex illo geniti leones, huic parentis necessitati ne fame intereat, ita soliti sunt occurrere. Longè procedunt ad venandum, ac patrem iam senem secum adducunt, deinde in media via quam ingressi fuerint illum relinquẽtes, gnauiter ipsi in prædæ curam incũbunt, ac tantũdem prædæ cõsecuti quantũ & sibi & parenti ad prãdium satis sit, generoso quodam & contentissimo rugitu edito [1] eum ad secum conuiuãdum inuitant. Senex tũ sensim & pedetentim velut reptãs eò accedẽs, primũ filios veluti amplexatur, deinde lingua eis suauiter tanquam fœlicem laudans eorũ venationem adblãditur, postea cum ijs prandet & epulatur.

ANNOTATIO I.

1. *Eum inuitant.*] Quamquam inquit

AElia

AElianus; Solon qui lege ſanciuit filijs parentes alendos eſſe, iſta eos facere non iuſſerit, ſed natura, humanæ legis nihil egens, ipſa immobilis atque æterna lex, hoc eos officij munus docuit. l. 9. c. 1.

ANNOTATIO 2.

Atque hac inſolenti leonis in parentem ſenem pietate, videtur item ſolui poſſe Samſonis problema, ab eo 30. ſodalibus ſuis propoſitum: de comedēte exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt, dulcedo: atque eodem quo illi modo reſponderi: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? mel autem de leone egredi cum patrem paſcit ſuum, iſto ſenſu dici poteſt, quo dicitur à Dauide Deum de petra populum ſuum melle ſaturaſſe, quod nimirum illi ſiti enecto, aqua illa quam fundebat petra tam erat dulcis quam mel ipſum: ita cibus qui à filijs leoni parenti fame confecto ſuggeritur, ei melle ipſo ſapit dulcius. Itaque de comedente, id eſt, de leone cuius proprium eſt alias animantes comedere, eaque præda viuere, exiuit cibus quo patrem ſenem aluit. Et de forti Iudic. 14. 14.

ti

ti (omnibus enim fortitudine leo præstat) egressa est dulcedo, id est, cibus omni dulcedine dulcior, atque acceptior.

ANNOTATIO 3.

Verum quoniam non omnibus natis (quod sine pudore ne cogitari quidem potest) ea est in parentes pietas, quæ leonibus, si senectuti suæ canisque cõsultum velint ipsi, cauebunt diligenter ne filiorum amore, aut vt filias collocent, aut occasione opimi matrimonij tam his quam illis procurandi, aut quacumque alia ratione humana, se bonis suis spolient: Neque verò meum est consilium istud, sed Spiritus Sancti, quod tot inculcatum voluit tum verborum tum sententiarum pondere, attentione prius conciliata atque ad audiendum vocatis etiam magnatibus atque Ecclesiæ rectoribus, vt mirum sit Deum, re ista quæ in speciem parua est commendanda, tantum momenti posuisse. Audite me, inquit, magnates &
Ecclef. 33. 19. 20. 21. 22. omnes populi & rectores Ecclesiæ auribus percipite: Filio & mulieri, fratri, &

& amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & non dederis alij poſſeſſionem tuam, ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis, dum adhuc ſuperes & aſpiras, non immutabit te omnis caro; Melius eſt enim vt filij tui te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum.

ANNOTATIO 4.

Cum tam ſit illuſtris leonum quibus nihil efferatius in genitores ſuos amor, nemo mirabitur (quanquam & admirationem mereatur ſi res per ſe, & ſine comparatione expendetur) quod ab authoribus fide dignis commemoratur, puerperam quandam de plebe, cuius mater ſupplicij cauſa, atque vt fame occideret, carcere erat incluſa, cum impetraſſet aditum, à ianitore ſemper excuſſam ne quid inferret cibi, tandem admirantibus cunctis tamdiu ſine cibo, vt putabatur ſupereſſe matrem, deprehenſam vberibus ſuis eam alere, eique lac quod ab illa infans ſuxerat, ſũma grati animi ſignificatione reddere. Quo miraculo matri ſalus donata, filiæ *Plinius lib. 7. cap. 36.*

liæ pietate eſt, ambæque perpetuis alimentis. Si iſtud eſt miraculum, eo ſanè maius meo quidem ſenſu, erit leonis in parentes beneficentia, quo maius eſt feram eamque longè ſæuiſſimam, pietatis in parentes ſenſu, quam fœminam cui naturalis pietas ac miſerorum commiſeratio, commoueri.

FVRTVM. *Vide* AVARITIA.

§ 1.

FVRTI odium, eſſeque 1 fures ad iuſtitiæ adminiſtros vt plectantur deferendos docuit quondam Elephas in Syria, quem ferunt cum in ædibus cuiuſdam aleretur, ac ſeruus qui additus curator eſſet, dimidia hordei menſura quæ ei ab hero aſſignata erat, eum fraudaret, quã tamen aliquando eo præſente totam exhibuiſſet, in eum toruè intuitum, ac promuſcida contrahentem hordei partem additam faſtidioſum repuliſſe, ac quam exactiſſimè ſeparauiſſe atque ſerui

ui iniuriam isto quo valuit modò ad herum detulisse. Plutarchus de industria animalium. AElianus l. 6. de animalibus cap. 52. Canum fides in seruãdis rebus dominorum suorum, in custodia domus, & quemadmodum fures prodant eos allatrando, quantoque in eos odio ferantur id notius est, quàm vt pluribus comprobetur. Sacrarum rerum furem olim Delphis, cum in eũ incurrisset Accipiter, eius caput conuellens indicauit.

ANNOTATIONES.

1. *Fures deferendos.*] Neque eos modò, qui furantur res nostras, quod hîc factum ab Elephanto, sed etiam qui alienas, quod quotidie fieri videmus à canibus, cum homines alieni raptores non modo non accusent, verum etiam in ædes suas receptos occultent, foueãt, atque supplicio ijs digno ad quod sæpe conquiruntur subtrahant: quibus quidem malis officijs, se furti reos esse volunt, cum non sit minus fur dicendus, is qui furem iuuat, eumque occulit, quã qui manu sua furatur: Et qui cum fu-

re participat (quoquo modo eius furto cooperando) is odit animam ſuam, vel ipſa teſte ſacra ſcriptura: adiurantem e-
Prou. 29. 24. nim audit & non indicat, quorum verborum iſte eſt ſenſus. Qui eſt alieni furti particeps, quamquam audiat eum qui adiurat, & qui pro officio exigit, iureiurando vt furtum prodatur, non tamen indicat ne cogatur reſtituere. Quibus ſignificatur iſtum, ſilentio iſto ſuo non peccare modò in proximum, cuius rē detinet, verum etiam in Deū, cui adiuratus ab eo, qui ex officio adiurare poteſt, non dat gloriam: tenetur enim qui adiuratus eſt, id eſt, metu religionis & pietatis violandæ, aut vltionis & maledictionis diuinæ incurrendæ adactus ad aliquid faciendum aut indicandum, idipſum facere vel indicare: Quod ſi ſic adiuratus ab eo qui id legitimè præſtare poteſt, non faciat quod iubetur, grauiſſimo ſe taciturnitate ſua ſcelere obſtringit, peccatque tum in Deum, tum in proximum, tum in animam ſuam.

§. 2.

§ 2.

ESse fures puniendos etiam morte docent quæ ſequuntur brutorum actiones. Elephantem memoriæ proditum eſt, cum eius curator lapides & terram ad explendam menſuram pabulo miſcuiſſet, ipſum ex foco correptum cinerem in ollam magiſtri elixis iam carnibus inieciſſe. Neque abſurdè faciam ſi elephantis, apes ſubiungam, quo vitij iſtius ſenſum, odiũ, illudque vindicandi zelum, minimis æquè ac maximis animantibus ineſſe intelligatur. [1] Qui fures inter eas vocantur, ſuos inuicem fauos offendunt, & alienos ſi latuerint ſubeunt, ſed ſi capiantur, [2] capite puniuntur, nec facilè aut latere aut aufugere poſſunt, ſunt enim in quoque aditu cuſtodes, & fur ipſe ſi quando ſurripere ingreſſum potuerit, adeò in ſatietatem repletur vt nequeat euolare, ſed ante alueum volutetur, itaque fuga ijs perquam difficilis eſt.

Eupolidi comico canis erat qui impenſè herum amabat ſuum, cuius cum

ſeruus Ephialtes nomine quædam ſurripuiſſet, non latuit canem furax ſeruus, in quem & ipſe deprehenſum acerrimo impetu crudelique irruit, mordicuſque comprehenſum interfecit.

ANNOTATIONES.

1. *Qui fures.*] Id narrat Ariſt. de hiſtor. animal. l. 9. c. 4. quos autem fures hic vocat, AElianus l. 1. c. 9. fucos appellat: ſunt autem fuci inquit Plinius l. 11. c. 11. ſine aculeo velut imperfectæ apes, nouiſſimæque, à feſſis & iam emeritis inchoatæ, ſerotinus fœtus, & quaſi ſeruitia verarum apum.

2. *Capite puniuntur*] .i. trucidantur ab apibus, quæ fures aſperè aculeis inuadunt. Quibus addit AElianus, primo furto non ſtatim ab ijs occidi, ſed modicè verberari, expellique alis, ac tanquam in exilium eijci. Quod ſi iterum deprehendantur, extremo tandem affici ſupplicio.

Porrò tum apes iſtæ, tum qui ſequitur canis Eupolidis, id explent quod hominibus, quod pleriſque iudicibus deeſſe lugent boni omnes: Fures plectunt

ctunt animantes istæ quibus iudices ipsi parcunt; Quanta enim hodie furandi licentia, quanta libertas! sed quanta furum impunitas, non de minoribus illis loquor, quos cum vidisset Socrates duci ad supplicium effusè dicitur risisse, quod ij tanquam minores muscæ aranearum cassibus irretiti pœnas darent, sed de maioribus sermo est (qui veluti vespæ atque crabrones aranearum telas impunè lacerant, sic isti leges violant) quos & vestium splendor & magnifica palatia, & munera, prædia atque possessiones & vulgi plausus, & multorum assentationes: adde & furandi artem atque solertiam, ab infami ista furis nota, nomine, atque pœna vindicant; quibus tamen eò sunt quam minores illi digniores, quò plura sunt ea quæ per summam iniustitiam ab alijs direpta in vsus suos eosque superfluos conuertunt: Isti sunt qui Principum bona, qui vectigalia, quæ à populo ad communis boni procuratione̅ colliguntur non tam administrant qua̅ fraudant, & deprædantur. Isti qui ijsdem

dem Principibus ad necessarios belli vsus pecuniam dant fœnori, tam iniusto, tam impio, vt eosdem Principes cogant postea, vt sint ijs soluendo, noua ab afflicto populo subsidia exigere, suumque patrimonium aut diuendere aut oppignerare. Isti inquam sunt qui si minimum aut Principum aut Reipublicæ bono laborent, seque vel loco solum moueant, quatuorq; passus faciãt, maiora sibi multò assignant stipendia quam meruerint. Isti sunt, qui cum sint iudices ad cuique quod suum est reddendum constituti, illi qui dat amplius, causam per summam iniquitatem adiudicant. Verbo dicam cum I-
Cap. 1. saia: Sunt infideles (Principi scilicet & Reipublicæ quam expilant) socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos: quod si ea ingreditur eamque suscipiũt, nihil nisi largitionibus ab ijs impetratur, in tantum vt plus apud eos valeat, qui plus largiatur. In istos vero atque eius generis publicos fures quis animaduer-

maduertit? ſed maiore quapiam dicẽdi vi atque facultate opus habet malũ iſtud, quam ſit iſta mea, & quam locus iſte patiatur.

GEMITVS.

§ 1.

GEMERE nos doceant 1 columbæ & turtures quibus gemitus eſt pro cantu; ideoque ijs gemitus familiaris eſt, imo perpetuus.

ANNOTATIONES.

1. *Columbæ.*] Etiam ſacris literis notus atque vſurpatus eſt hic columbæ gemitus: dum enim explicat Ezechias Rex quem conceperat dolorem ex infirmitate, eum columbæ gemitui comparat: Meditabor inquit vt columba. Et Iudæi vniuerſi quem animo concepturi erant mærorem dum exprimunt: *Iſa.* 38. 14.
Rugiemus inquiunt quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditãtes gememus. Dicitur autem gemitus columbæ, meditatio, quia quemadmodum ea, non *Iſa.* 59. 11.

ore ſummiſque labris at imo corde viſceribuſque perficitur, ſic etiam columbæ gemitus non à gutture, ſed ab imo pectore fundi videtur.

2. *Turtures*] Hanc item turturum gemebundam vocem agnoſcit Salomon, dum ait, vocem turturis auditam
Cant. 2. 11. in terra ſponſi, qua quidem ſignificari vocem pœnitentium, atque tum ob ſua peccata tum ob huius vitæ exilium gementium traditur ab interpretibus. Huius generis ſeu columbas ſeu turtures ſi requires, multas ſuppeditabit ſcriptura.
Pſal. 6. 7. Dauid quidem laborabat in gemitu ſuo, lauabat per ſingulas noctes lectum ſuum, lachrymis ſuis ſtratum ſuū
Pſal. 30 11. rigabat, tamque erant eius gemitus vehementes vt deficeret in dolore vita eius & anni eius in gemitibus, afflictuſ-
Pſal. 37 9. que eſſet & humiliatus nimis, rugiretque à gemitu cordis ſui, vocemque præ dolore non humanam; ſed rugitum potius leoninum ederet. Occurrent item paſſim alij eis qui vel minimum ſacras literas delibauerunt, qui Dauidis imitatione vel ſuas vel aliorum noxas, vel

vitæ

vitæ iſtius moleſtias, triſteque exilium ſunt gemitu, lachrymiſque proſecuti.

GRATIA SEV GRATITVDO.

GRATITVDINE nihil occurrit frequentius in animantium actionibus, ſeligam quæ illuſtriora in iſto genere ediderunt exempla, quæ quidem homines niſi depuduerint omnino, pudore ſuffundant, ac de terreſtribus primum, tum de volatilibus, denique de ijs quæ in aquis degunt, ordine diſſerendum.

CAPVT I. § 1.

CVm Elephanti Indus quidam offendiſſet pullum, atque aluiſſet, & paulatim manſuefeciſſet eoque deinde veheretur & vehementer belluam amaret, cumque ab ea viciſſim redamaretur ipſe, ac maxima pro educatione, amicitiæ, gratique animi ſigna reciperet, Indorum Rex id intelligens, muneri ſibi popoſcit Elephantum

tum mitti. Indus vt impenſè Elephantũ diligebat, negauit ſe daturum, atque vnâ cum eo in ſolitudinem perfugit, quò cum Rex certos homines miſiſſet qui tum belluam tum hominem plectendum reducerent, ambo ſeſe gnauiter tutati ſunt, nam ex ſuperiori loco eos Indus lapidibus pariterque elephas appetebat. Vbi autem Indus ab hoſtibus præceps deiectus fuiſſet, non ideo animum deſpondit bellua, ſed [1] pro ſuo nutricio (quem & corporis mole tegebat) ita acriter pugnauit, vt ex inuadẽtibus nonnullos partim occideret partim in fugam verteret: tum altorem ſuum promuſcide complexus [2] ad ſtabula inuexit, ac tanquam amicus permanſit fidelis amico, in omnibus oſtẽdens quanta eum qui ſe educarat beneuolentia proſequeretur.

ANNOTATIONES.

1. *Pro nutricio pugnauit.*] Cum multi iã eos qui ſibi benefecerunt calamitate aliqua preſſos turpiter deſerant, ſintque vt loquitur ille, ſocij mẽſæ non abſtinẽtiæ, addo ego conſortes cõmodorum

Thomas à Campis

ex-

exortes periculorũ. Ac talis quidem extitit Pincerna Pharaonis, cui cũ multa præstitisset Ioseph, atque illi diuino afflatus spiritu libertatem è vinculis præsagisset, inde eductus oblitus est interpretis sui. Atque istius similium plenus est mundus, qui vt loquitur AElianus, mensas, culinas, & sartaginum stridores sequuntur, & prandia quærunt, ijsque adhærent à quibus sperare quidpiam licet: in periculis autem omni amicitiæ gratitudinisque iure violato, amicos atque erga se beneficos fœdè deserunt. Atque vtinam desererent tantũ, & non eosdem à se desertos, summo perfidiæ exemplo opprimerent, atque vexarent. Quam enim perfidus atque ingratus fuit in Dauidem Parentem Absalon, à quo cũ homicidij quo Ammonem fratrem suum impiè trucidarat veniam impetrasset, nihilominus tamen flagitiosè in illum arma mouit, atque è regia ciuitate, pedibus confugero compulit. Eandem item perfidiæ atque ingrati animi notam inurunt Demetrio Regi sacræ literæ, qui cum ope Io-

Gen. 40. 23.

lib. 3. cap. 46.

2. Reg. 12. & 15.

1. Mac. 11.

Ionathæ Hebræorum ducis eſſet, de Antiochenorum poteſtate liberatus, ta-
1. Mac. men vt loquitur ſacer textus: Menti-
11. 53. tus eſt omnia quæcumque dixit, & abalienauit ſe à Ionatha & non retribuit ei ſecundum beneficia quæ ſibi tribuerat, & vexabat eum valde.

Sed huiuſmodi exemplorum plena ſunt omnia; tam ſunt mortales in agnoſcendis beneficijs, ijſque grati animi ſignificatione proſequendis, multis partibus, brutis ipſis inferiores.

2. *Ad ſtabula.*] Non minus itaque præſtitum homini ab Elephanto, quam ab homine homini alteri; à Samaritano inquam illo Euangelico, qui quemdã
Lucæ 10 abs Hieruſalem in Hiericho deſcendẽ-
38. tem, à latronibus plagis impoſitis ſemiuiuum relictum, impoſuit in iumentum ſuum, duxitque in ſtabulum, cum eumdem & Sacerdos & Leuita, qui illa eadem via tranſierant, neglectum præterijſſent. Sed & plus etiam ab Elephanto præſtitum, quam ab iſto quamquam pio Samaritano dicat quiſpiam, cum hic alienis humeris crediderit miſerum

ſerum illum viatorem, tergoque iumenti impoſuerit, ille autem nutriciũ ſuum proboſcide ſua tanquam manu propria correptum in ſtabulũ vexerit. Quid quod hic, hominem ſtabularij curæ commendatum reliquerit, dùm negotiorum cauſa aliò proficiſcitur; ille verò conſtans illi adſtet, nec ſe ab eius latere auelli patiatur? pro Samaritano tamen facit quod ipſe ſola ductus charitate, cum Elephas etiam acceptorum beneficiorum gratitudiniſque ſtimulo, qui quidem vehementior eſt impulſus, ea præſtiterit quæ commemorata ſunt. Eò tamen ſuperior videtur in iſta cauſa Elephas quod brutum ſit atque rationis expers, cum ſit homo illius particeps.

§ 2.

CVm ſeruus quidam Romæ nomine Androclus ob dominum ſibi infenſum inde in Aphricæ ſolitudines receſſiſſet, atque ſpeluncã ob æſtum nimium ingreſſus eſſet, ignarus eſſe eam leonis cubile: ecce tibi ex venatu rediens [1] leo ſummo cum dolore ex pede ſpina transfixo, in iuuenẽ in-

incidit, quem postquam blandè intuitus esset, atque adblanditus, ei pedem porrexit, & quibus poterat signis vt spinã extraheret rogabat supplex. Quod vbi licet timidè admodum perfecisset seruus, atque leonem dolore omni leuasset, [2] illicò se is ad solitas prædæ exercitationes è spelunca proripit, prædæque parte chirurgo suo impertita illum triennio toto nutrit. Verum huiusmodi tum victus, tum consuetudinis, tum domicilij impatiens seruus, inde digreditur, & postquam huc atque illuc errans vagatus esset annos plurimos, comprehensus est tandem, Romamque vt in potestate esset heri sui remissus, à quo cum ad bestias dãnatus esset, leo ille serui quondam hospes & conuictor, qui dum hic vagaretur etiam captus erat, in theatrum immissus est vt eum discerperet, discerptumque deuoraret. At vbi leo tum cõtubernalem suum, tum chirurgum agnouisset, suauiter ei blanditus est, & totius corporis inclinatione [3] ad eius pedes se abiecit, [4] cauens summoperè ne

ne ei noceret, cui incolumitatem suam deberet. Androcilus (id enim erat seruo nomen) & ipse tandem suum hospitem, & nutritorem cognouit, & leonem tanquam peregrè venientem amplexatus est. Verum cum ista arte magica fieri existimaretur, immissa est in Androcilum pardalis, quæ cum inuadere illum aggrederetur; leo idem, seruatorem suum ab huius laniatu seruauit, illamque lacerauit. Huic porrò nō absimilem alterius leonis aduersus Gerasimum Abbatem gratiam, ab eâdem item causâ profectam vide omnino in Prato Spirituali, auctore Ioanne Moscho, est enim lectu dignissima historia. *Cap. 107*

ANNOTATIONES.

1. *Leo &c.*] De hoc leone ita Seneca: leonem in amphitheatro spectauimus, qui vnū è bestiarijs agnitum, cū quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum. Eundem enim fuisse leonem istum cum illo qui Androcilum seruauit docet Lipsius ad locum istum Senecæ. En tibi itaque eiusdem leonis exemplum grati animi duplex, *l. de beneficijs, cap. 19.*

in

in bestiarium cuius spectator fuit Seneca, & in Androclum quod se vidisse apud Aulum Gellium narrat Appion Plistonices.
lib 5. cap. 14.

2. *Illico se &c.*] Vide mihi quemadmodum parcit iuueni seruatori suo quē quotidie in conspectu habuerat, quoque pasci potuisset nisi eū grati animi virtus inhibuisset, qua etsi famelicus vetatur erga se benefico nocere.

3. *Ad eius pedes &c.*] Obserua tum elephantum quem supra diximus, tum leonem istum plura reddere quam accepissent: ille quidem cibi atque educationis, hic verò leniti doloris erant debitores, at heris suis ambo isti vitam & salutem impertiunt, eosque morte liberant.

4. *Cauens summoperè &c.*] Atque hominibus facem præferens erudiensque quam ijs sit fugiēda ingratitudinis nota, quamque sit ea turpis. Erunt homicidæ (inquit Seneca) tyranni, fures adulteri, raptores, sacrilegi, proditores, infra ista omnia ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine
lib. de beneficijs c.10

quo

quo vix vllum magnum facinus accreuit, hoc tu caue, tanquam maximũ crimen ne admittas. Quam velim hic cum facto iſto leonis, ingratum animum noſtrum aduerſus Deum conferri: Ille à famulo quod ei perfacile fuit ſpinæ extractione dolore leuatus: nos ab ipſo Deo à mortis æternæ ſupplicijs vindicati atque fuſo eius ſãguine morteque crudeliſſima obita in libertatem aſſerti. Ille tanto tẽpore, viuam vigentemque tam exilis beneficij memoriam conſeruauit, quo toto tempore, nihil ab iſto ſeruo gratiæ receperat, vt qui abs ſe lõgo eſſet locorum interuallo ſeparatus. Nos qui in momenta ſingula Dei beneficentia viuimus, vegetamur, atque nutrimur, ſine quo nec momento quidem ſubſiſtere poſſumus, eius tamen (indignum planè) obliuiſcimur tãquam à nobis alieni, cuiuſque nulla in nos extarent beneficia. Ille fame licet preſſus à ſibi benefico abſtinet, faméque cogit in alia ſæuire, ſibi vt faciat ſatis: Nos fame frequenter deſiderioq; voluptatum minus licet ſollicitati, in

eum à quo summa omnia accepimus impiè sæuimus, peccandoque vincîmus rursum, flagellis cædimus, corona
Hebræorum 6. 8 spinea redimimus atque crucifigimus filium Dei eumque ostentui habemus. Verùm hæc præstat, apud se quemque silentio commentari, animoque voluere, cum præsertim tanta sit nostra in isto genere aduersus vitæ nostræ parentem, conseruatorem, restitutoremque ingratitudo, vt ei exprimendæ nulla oratio sit satis.

§ 3.

EXcellit canis in referenda pro acceptis beneficijs gratia, isti rei fidem faciant vnum & alterum exemplum, quamquam ad id longè plura afferre liceret. Cum Pyrrhus Rex cum exercitu iter faciens incidisset in canem, occisi hominis cadauer seruantem diligentissimè, intelligeretque tertium isthic diem nullo sumpto cibo exegisse, nec præ amore & grato in vita functum herum animo illum deseruisse, ipsum quidem cadauer sepeliri, canem verò secum vnà duci atque cibo

bo refici iussit: paucis autem post diebus cum exercitum lustraret Pyrrhus, militesque recenseret, atque ordine coram Rege sedente transirent, aderat canis ipse quoque tacitus & tristis; verũ vbi milites heri interfectores transire sensit, tum non se tenuit, quin vasto latratu in eos erumperet, atque vnguibus laniaret, simul & se ad Pyrrhum conuerteret, quoad poterat ei se homicidas tenere indicans. Ita non Regi modo, sed & omnibus qui rem tacitè considerabant, iniecta suspicio est milites illos commissi homicidij reos esse: statim igitur comprehensi, rogatique, cum leues quædam coniecturæ concurrissent, confessa cæde pœnas dedere. Plutarchus: AElianus l. 7. cap. 10.

Author est Basilius canes non modo à dominorum suorum cadaueribus, ijs in solitudine necatis [1] non recessisse, sed [2] ibidem etiam expirasse. Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuisse qui latrones inquirerent, & ad pœnam maleficos rapi fecisse. *In Hexam. hom. 9.*

Longè autem pulcherrimũ est quod

lib. 6. Hexam. cap 4.

in hanc ſententiam narrat Ambroſius, Antiochiæ ſub auroram necatum virũ in remotiori vrbis parte qui canẽ ſibi comitem haberet, cumque clara iã die multi, vt fit, ad cadaueris ſpectaculum confluxiſſent, caniſque queſtu miſerabili, domini 3 ærumnam lugeret, fortè militem illum qui necem intulerat (vt ſe habet humani verſutia ingenij) quò omnem à ſe commiſſæ cædis ſuſpicionem amoliretur, ad illam circumſpectantis populi turbam velut funus miſerantem ſeſe adiunxiſſe. Tum canem queſtu ac lachrymoſa voce valere iuſſa, ad arma atque vltionẽ ſe conuertiſſe militemque apprehenſum tenuiſſe; atque tanto amoris ac gratitudinis teſtimonio 4 lachrymas omnibus excuſſiſſe, ijſque perſuaſiſſe illum quem præ cæteris teneret neque dimitteret vnquam cædis illius authorem extitiſſe. Quod & faſſus eſt ipſe, cum contra tam manifeſtum facinoris iſtius iudicem non poſſet neque odij, neque inimicitiarũ, neque inuidiæ aut iniuriæ alicuius exceptionem afferre. Itaque meritas impieta-

pietatis pœnas dedit, eius vltionem (quod erat tamen difficilius) perſequẽte cane, quia defenſionem hero præſtare non potuit.

ANNOTATIONES.

1. *Non receſsiſſe.*] Quod confirmat AElianus allato facto canis Darij Regis qui extremus regnauit apud Perſas, quem cum multis confoſſum vulneribus, humique ſtratum deſererent omnes, canis ab eo educatus ſolus permãſit fidelis. Canis item Silanionis tyrañni neque vi potuit, neque blanditijs vllis à domini ſui ſepulchro diuelli. *lib. 6. cap. 25*

2. *Ibidem expiraſſe.*] Teſtis Lyſimachi canis qui cum hero mortuo ſe ſeruare poſſet, lubens ac volens eâdem qua ille morte defungi voluit. Teſtis item Calui Romani, cuius iam bello quodã ciuili necati caput, ſumma contentione cum certarent plurimi à ceruicibus abſcindere, nunquam id perficere potuerunt, priuſquam canem quem is aluiſſet ei aſſidentem corpuſque ſeruantem interfeciſſent. Author AElianus & Plutarchus. *lib. 7. cap. 10.*

3. *Ærumnam lugeret &c.*] Quid nos (inquit Ambrosius animum attendens ad canis istius factum) dignum nostro referimus Creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulamus iniurias, & sæpè inimicis Dei eas, quas à Deo accepimus epulas exhibemus. Quasi dicat illam grati animi testificationem exhibuit hero suo canis, quod eius cibo vesceretur. Nos verò quid Deo nostro rependimus, quoue grati animi officio testatum facimus nos ab eo cibum sumere? ille heri iniuriam vltus est, nos ad eas conniuemus, vtinam & nè in ijs inferendis primas teneamus.

4. *Lachrymas excussit.*] Dum perspicerent plus esse in bruto tum amoris, tum gratitudinis erga homines, quã hominum ipsorum inter se, quibus plurimùm vitæ terminus idem est atque amicitiæ, neque post fata inueniuntur amici, nedum qui iniurias vlciscantur amicorum. Habet hanc vim illustris omnis beneuolentiæ significatio, vt mirificè afficiat, emolliatque, & tanquã liquefaciat eius animum qui eam conspicit,

ſpicit, efficiatque vt cõmotus, lachrymas non teneat: potuerunt etiam eſſe hæ lachrymæ pudoris fructus: quem enim (verba ſunt Baſilij) ingratum, beneficiorumque immemorem, memoria beneficiorum huiuſce animantis, gratiæque reddendæ non pudore atque dedecore aſperſerit? *Hom. 9. in Hexā*

§ 4.

1 ADdam iſtud extremum de cane quod nulla ſui parte cedit prioribus, quin & 2 multum præſtat vt patebit qui vtraque expenderit. Vir quidam Colophonius ad nundinas Teon profecturus, benè nũmatus diſcedit cum famulo & cane comitibus, ac ſeruus quidem qui pecuniã deferebat, ventris purgandi cauſa ex itinere diuertit, quem ſecutus eſt canis, cumque aluo purgata recederet, oblitus eſt marſupium ſuum è terra tollere: canis autem ibi remanſit marſupio incubans. Cum autem ad emporium perueniſſent dominus & ſeruus re infecta, cum eis deeſſent nummi, eandem viã quam venerant remenſi ſunt, cumque

eò venissent, vnde prius famulus diuerterat de recta via, ab itinere suscepto deflexerunt eòdem vbi nummos seruus reliquerat. Quo loco (mirandum sanè) canem marsupio incubantem, & præ fame vix spirantem offendunt, qui vbi eos adesse deprehendisset tanquam pecunia in tuto collocata, à marsupio se remouens, vno eodemque tempore & custodire desijt & viuere.

ANNOTATIONES.

lib. 7. cap. 29. 1. *Addam.*] Huius author AElianus.

2. *Multum præstat.*] Quod hic quidē, pecunia quæ minoris est æstimationis, ibi verò aut vita, qua carius nihil seruata sit, aut certè dominorum corpora ab iniuria vindicata, aut qui ijs iniuriam intulerant detecti atque canum præsidio mulctati; sed omnem admirationem excedit, estque summæ gratitudinis significatio, quod pro re pecuniaque domini sui seruanda, tamdiu inediam sustinuerit, eâque occubuerit tādem. Neque verò minus videtur admirandum vndenam sciuerit esse illam pecuniam domini sui, & non alieni cuius-

iuſpiam, & vnde intellexerit illam ſibi cuſtodiendam etiam fame vrgente, vitæque diſpendio. Dominum quidem ſuum, eiuſque famulum frequenti norat conſuetudine, atque amborum ſpeciebus ſignatam habebat phantaſiam, eorumque tenebatur benefactis deuinctus; at marſupium iſtud quod nunquã fortè viderat quomodo ſcire potuit eſſe rem domini ſui? Atque vt id ſciuerit, cur eius potius cuſtodiæ inuigilarit quã vt famulum (quem etiam antea à via deflectentem non ſibi deſerendum iudicarat) porrò progredientem ſequeretur, quod quidem ei faciendum potius videbatur. Malim ſanè ego ad hæc omnia alium quempiam reſpondẽtem audire quam ipſe reſpondere. Id vnum modo aio in præſentiarum, planè admirabilem ineſſe brutis atque adeo canibus grati animi affectum atque ſenſum, eaque ei teſtificando ab ijs præſtari, quorum difficile ſit admodum, afferre rationem in qua animus planè conquieſcat: quorum quidem efficiendorum ideo ab authore naturæ eis data
eſt

eſt facultas, vt ijs eſſent, mortalibus gratitudinis quam eos & Deo, & inter ſe ipſos exhibere oporteret tum magiſtri tum incentores. Quis enim (vt præclarè Ambroſius) non erubeſcat gratiā bene de ſe merentibus non referre; cum videat etiam beſtias refugere crimen ingrati? & illæ impertitæ alimoniæ ſeruant memoriam, tu non ſeruas ſalutis acceptæ?

lib. 6. Hexam cap. 4.

§ 5.

1 CVm Pindum Macedonis Regis filium fratres ſui ſtrictis gladijs ad mortem conquirerent, atque hunc exclamantem Draco (quem in ſolitudine venatione ſua iam aluerat diu ſatis) inaudijſſet, ſuo ex cubili prodijt, & ſimul impios 2 circumplicans ſpiris ſuis, ſuffocauit; nutritorem verò ſuum cæſum ſumma diligentia cuſtodire non deſtitit, dum cognati humatum eum veniſſent. Qui vbi aduenïſſent, cuſtodis metu neque propius accedere, neque terræ cadauer mādare audebant. Tum hic recondita quadam & mirabili natura intelligens ſe

se illos arcere; de præsidio stationeque cadaueris tranquillè discessit, quò ei commodius propinqui iusta persoluerent. De Hyenæ gratitudine erga Macarium Alexandrinum, quòd eius catulo cæco visum restituisset, & quemadmodum ad eum, grati animi argumentum attulerit 3 pellem ouinam: vide Palladij Lausiaca. *Cap.20. in fine.*

ANNOTATIONES.

1. *Cum Pindum.*] Author AElianus l.10.cap.48. qui & plurima alia de isto Pindo, sed parum ad rem nostram.

2. *Circumplicans.*] Eadem vtuntur circumplicatione quando ijs cum elephãtis certamen, quos inquit Plinius circumflexu facili ambiunt nexuque nodi præstringunt.

3. *Pellem ouinam.*] Hanc pellem afferebat Melania sese accepisse ab eodem Macario, quæ & appellata est munus Hyenæ.

§ 6.

BOs item & Asinus licet animalium stolidissimi magistri sunt hominibus gratiæ referédæ: iuxta

ta illud 1 filios enutriui & exaltaui, ipſi
Iſa, 1. autem ſpreuerunt me, 2 cognouit bos
poſſeſſorem ſuum, & 3 aſinus præſepe
Domini ſui: Iſrael autem me 4 non
cognouit, & populus 5 non intellexit.

ANNOTATIONES.

1. *Filios enutriui.*] Vide Oſeæ cap. 11. quaſi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis. Quemadmodum autem nos Deus nutriat tum cibo corporeo, tum ſpirituali; quemadmodum item nos exaltet cum per gratiam ipſius diuinæ efficimur conſortes naturæ, ex ſe patet ſatis.

2. *Cognouit bos.*] Quia dum hero ſuo ſeruit, ſeu agros eius ſubigendo, ſeu quouis alio modo, agnoſcit præſtiti ſibi pabuli beneficium: Authores ſunt Plutarchus & AElianus poſt Cteſiam, Suſis Regi, boues ſingulos quotidie centum cados aquæ regiorum hortorum irrigationi haurire idque promptiſſimè: quem vbi explerunt numerum, nullis nec verberibus neque blanditijs, vt vel vnum tantum addant induci poſſunt: eos dicas Arithmeticæ peritos eſſe: ſin minus

De induſtr. animal. l. 7. cap. 1. hiſtor.

minus norunt vtique quid in se beneficis debeant.

3. *Asinus præsepe.*] Est Enallage .i. Dominum præsepis, agnoscit autem illum eò quod pro cibo qui ei in præsepi exhibetur à Domino suo, ei famulatur in vehendis oneribus.

4. *Non cognouit.*] Mihi seruiendo pro tot tantisque ei impensis beneficijs.

5. *Non intellexit.*] Mea beneficia apud se memori gratoque animo recolēdo. Ita Lyranus. Obseruanda est autē comparatio ista hominis beneficiorum immemoris, ita enim est illustris, eaque ita tum stupor & vecordia, tum hominum ingratitudo significantur, vt nullò modo videantur posse significantius exprimi, quando neque illud Deo reddunt quod omnium animātium stolidissimi atque stupidissimi (quid enim boue stupidius? quid asino stolidius?) reddere sunt soliti possessori suo. Ad hanc autem (vt præclarè animaduersū à Basilio est) similitudinem exprimendam, ea sumpsit animalia quæ nobiscū educantur & vernacula consuetudi- *In c. 1. Isa.*
ne

ne notiora ſunt, vt vel ſuppudeſcamus iſtis deprehendi inſipientiores, & nos ad ea collatos minus obtinere beneuolentiæ quam refundamus in poſſeſſorē noſtrū. Vide aliud verbo Parentes §. 10.

CAPVT II. DE VOLVCRVM GRATITVDINE.

§ I.

QVANTA ſit ciconiarum in effœtos parentes gratitudo: Vide 1 Verbo Filius.

Aquilas in nutritores ſuos ac beneficos, eſſe admodum gratas, docebunt conſequentia. Aquilam Regis Pyrrhi, mortuo domino 2 commori voluiſſe, atque ea re ab omni cibo ſe prorſus abſtinuiſſe memoriæ proditum eſt. Quod idem alia aquila, alumna viri priuati feciſſe dicitur, atque ſeſe in medios rogos dum herus cremaretur immiſiſſe.

lib. 6. cap. 29. Sed permirum videbitur quod poſt Philarchum narrat AElianus, de puero

quo-

quodam, à quo Aquilæ pullus ſtudio curaque maxima tãquam ſi germanus eius fuiſſet alebatur, cumque mutuis officijs progreſſu ætatis in mutuam amicitiam vehementer exarſiſſent, accidit vt puer ægrotaret, tum ei 3 Aquila aſſiduitate officij aſſidebat: cum enim is quietem caperet, 4 ipſa quoque quieti ſe dabat, cum vigilaret, eadem vigilabat, ipſo cibum non capiente, abſtinebat & ipſa, poſtea verò quam è vita exceſſiſſet, atque efferretur humandus, eum & ipſa eſt proſecuta, atque vbi cremaretur in medios rogos ſe immiſit. Verũ præterire non licet præclaram in hoc genere, quamquam longiorem hiſtoriam. Decem (verba dabo AEliani) *lib. 17. cap. 37.* & ſex viri frumentum in area perticis excutientes, vaſtiſſimis ſolis ardoribus cum ardentiſſimè ſitirent, vnum ex ſuis vt aquam de proximo haurirent fonte miſerunt. Is meſſoriam falcem in manibus habebat: Vbi verò ad fontem venit, Aquilam ſtrictiſſimè offendit ſerpente circumplicatam; quem falce diſſecuit, & vinculis exoluit. Cumque re-

reuertisset, atque hausta aqua vinum temperatum ministrasset cæteris, & ipse post illos bibiturus erat. Ad labra igitur poculum cum admouisset, seruata Aquila, circa locum illum etiam nũ versans vt hanc mercedem suæ salutis persolueret sic in poculum inuolauit vt scyphum frangeret, potioque omnis effunderetur: Ille quod vehementer sitiret, grauiter indignatus, hancne gratiam inquit seruatori tuo refers. Quæ cum dixisset sese ad alios conuertens, videt ex venenata potione palpitantes extremum spiritum afflare. Serpens enim vt conijcere licebat, suo veneno fontem infecerat. Itaque redemptionis præmium ei qui se conseruasset, Aquila cum pari salute compensauit.

ANNOTATIONES.

Lib. 5. Hexam. cap. 16.

1. *Verbo Filius.*] His quæ ibi dicta sũt addẽda videntut ex Ambrosio ista, tãtam esse tamque notam omnibus ciconiarum gratitudinem vt retributio beneficiorũ ἀντιπελαργωσις nominetur, & virtus ab his nomẽ accipiat, πελαργὸς enim ciconia dicitur.

2. *Com-*

2. *Commori voluisse.*] Vide quæ dicta sunt supra Verbo Charitas.

3. *Aquila assistebat.*] Probatur his & similibus non tantùm brutorum gratitudo, sed eorum item charitas atque amicitia, quæ quidem à gratitudine, acceptisque beneficijs proficiscebatur.

4. *Ipsa quoque &c.*] Quasi vna eademque esset anima in duobus corporibus quæ earumdem actionum causa esset, & principium: Eadem ab Aquila præstita cuidã Virgini altrici suæ. Vide apud Plinium l. 10. cap. 5.

§ 2.

QVanta sit Accipitris in passerẽ gratia dabit sequens historia. Solitus est accipiter brumæ tẽpore cum noctes sunt longiores & frigidiores, passerem comprehendere viuum quem sibi vnguibus applicat vt eius calore concalescat; vbi autem manè soluto somno euigilauit Accipiter, quamquam dira pressus fame (tum ob noctis longitudinem, tum 1 ob vehementem stomachi calorem) prædæ tamen quam vnguibus tenet, 2 parcit,

passeremque pristinæ reddit libertati; & quod permirum est attentè obseruat quònam ipse volatu tendat, ne eandē fortè plagam versus auolans & ipse, in eum incurrat, atque non agnitum cogente fame eum rapiat atque deuoret, cuius calore fotus est. Ludouicus Granatensis in catechismo 1. par. c. 17. § 1.

Annotationes.

1. *Ob vehementem calorem.*] Quem in eo voluit inesse naturæ author, tum vt eo ad sibi victum conquirendum stimularetur, tum vt eum ipsum qui carnibus constat crudis, concoqueret facilius.

2. *Parcit.*] Vide mihi tum in facto isto, tum in eo quod sequitur, quid in isto grati animi genere plus præstari possit ab eo qui se maximè beneficij memorem esse velit: & num à bruto isto vel huiusce gratitudinis vmbra expectanda foret, nisi eam ipsi naturæ author indidisset, vt ipsum virtutis huius tam mortalibus neglectæ Doctorem ijs statueret, quos sanè pudere oporteret se nondum tot annis (ab orbe enim con-

condito ex quo est Accipiter doctrinā istam continenter planèque, vt nemo obscuritatem prætexat docentis tradit) vllos in virtutis istius studio cultuque progressus fecisse.

CAPVT III. DE AQVATILIVM GRATITVDINE.

§ I.

NARRAT Leonides Bizantius vidisse se in vrbis Pleroselenū dictæ portu, habitantem Delphinum qui de manu aniculæ cuiusdam, eiusque viri educari solitus erat simul cum puerulo eorum filio, ex qua communi educatione Delphinus atque puer mutuum inter se amorem eumque vehementissimum conciliarunt, ita vt à puero compellatus Delphis, licet in medio esset mari cum suis gregalibus ludens, aut cursus velocitate cum naui aliqua contendens, aut multa fame pressus venaretur, ad puerum tamen I tanta celeritate redibat,

vt vehementi impetu more nauis plenissimis velis impulsæ ferretur. Sed quod ad rem nostram plus facit: cum hic Delphis paullò ætate processisset, nutricijs suis gratiam educationis sic persoluit vt de præda quam venatus esset, parte sibi ad pastum reseruata, reliquum ad eos deferret, quod vbi ab ijs animaduersum est, hoc ceu vectigal lubentes expectabant atque admittebant. Aliud affertur ab AEliano de ijsdem delphinis, quos cum Ceranus quidam natione Parius à piscatoribus ad Byzantium captos argento redemisset, libertatique restituisset, ex isto beneficio hanc collegit gratiam, vt naue actuaria quinquaginta remorum Milesijs vectoribus plena, in qua & ipse vehebatur in freto Parij maris funditus euersa, & vectoribus naufragio perditis, illum ipsum delphini, ex hoc periculo seruarint, eumque saluum & incolumem tergis suis impositum ad promotorium ex eius nomine nuncupatũ postea Ceranium exposuerint. Quem vita functum cum cognati eius secundum

lib. 8. cap. 3.

dum mare inhumassent atque id sensissent delphini, 3 frequentes tanquam ad extrema liberatori suo persoluenda ad littus conuenerunt, & quoad pyra arderet, tamdiu permanserunt, qua & restincta recesserunt.

Annotationes.

1. *Tanta celeritate.*] Hinc patet etiã brutorum in homines obedientia, qua quidem damnantur ij qui sese tum Deo tum hominibus Dei vices gerentibus minus obsequentes præstant. Celerem verò, solutam atque expeditam esse oportet obedientiam, ita vt etiam imperfecta littera relicta nec completa, ad id quisque conuolet ad quod vocatur.

2. *Ex hoc periculo.*] Queritur hic AElianus delphinos ad referendam gratiã esse hominibus ipsis iustiores, cum tamen Persarum legibus (dicamus nos Christiani lege diuina) minime ad id teneantur. lib. 8. cap. 3.

3. *Frequentes &c.*] Homines autem (inquit AElianus) viuos colunt, & eos quidem non omnes, sed diuitijs affluen-

tes atque opibus : Contra verò ab ijs defunctis vel aliquo infortunio pressis se totos auertunt, vt ne gratiam pro beneficijs quibus ab ijs dum viuerent aut essent fœlices affecti fuerant persoluãt.

ANNOTATIO GENERALIS ad vniuersa quæ hactenus dicta sunt de animalium gratia.

QVid causæ sit cur tanta animantibus istis gratitudo, nemo non intelligit, eam enim à beneficijs in se collatis proficisci constat. Sed quæro num ijs nos aut minora aut pauciora mortales accepimus? Si id dubitas, considera quanta tibi largitus est Deus ad sustentationem, quãta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ad correptionem, quãta etiam ad delectationem. Vnde enim hæc innumerabilia quærit quidam, oculos, aures & animum mulcentia? Vnde illa Luxuriã quoque instruẽs copia? neque enim necessitatibus tantum nostris prouisum est, vsque in delicias amamur,

Bernar. in psal. Qui habitat. serm. 14.

Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 5. & 6.

mamur. Quod si id dubitas, animum reuoca ad spiritualia gratiæ beneficia, ad Dei amicitiam qua Dei filius atque hæres efficeris: ad virtutes, ad dona & fructus Sancti Spiritus, quibus animam tuam complet exornatque Deus. Verũ me deficit tempus si singula commemorare aggredior, diuinam prædestinationem, vocationem ad fidem, iustificationem, Ecclesiæ Sacramenta, sacrosanctum Missæ sacrificium, longè laboriosissimam Christi Domini vitã, acerbissimamque mortem pro te in cruce sũma amoris atque patientiæ significatione toleratam. Quid commemorem cœlestem gloriam atque beatorum consortium, quo te, tibi nisi desis, peruenturum certò certius sperare licet? Quid cætera quæ à primo tui ortu, quin & à prima mundi conditione, quin & vt porrò progrediar ex ipsa Dei æternitate percepisti beneficia, atque in omnem æternitatem percipies, quæque singula, Dei vnius est, non humanarum virium recensere? Cur igitur tot, tanta, tamq; præstabilia benefacta nec dũ

 à

à te immemoris animi notam excusſere, cũ multò inferioribus delinita bruta, tantum ijs à quibus affecta ſunt, gratiæ rependant? Atque id faciunt illa duce natura nulla ad id ratione aut docta aut compulſa: Tu verò quot rationibus ad id tum erudiris tum compelleris. Tenes, nihil Deo poſſe gratius gratiarum actione accidere, eſſeque illam maximum ſummique pretij ſacrificium: Tenes, eſſe eandem idioma paradiſi, continenterque beatos ſpiritus illos materiæ expertes, illud imprimis agere, vt Deo pro acceptis ab eo donis gratiam referant, gaudium quippe & lætitia inuenientur in ea (cœleſti Sion) gratiarum actio & vox laudis, per vicos eius Alleluia cantabitur. Scis quãquam te Deus innumeris proſequatur beneficijs, aliud nihil à te exigere præter gratiam, non quod eius ſit egẽs, ſed vt ea ipſa, eius munificentiam largitatemque ad ampliora etiam in dies danda prouoces. Quid quod probè intelligas eam eſſe à pio quoque frequenter, imo continenter in omni vita v-
ſur-

Bernar. ſerm. 10 in cantica pſal. 49.

Iſa. 5. 3.

Chryſoſt ad cap. 18. Gen.

ſurpatam iuxta illud prophetæ: Bene- *Pſal. 33*
dicam Dominum in omni tempore, *3.*
ſemper laus eius in ore meo. Quid quod eſſe gratiarum actionem, religionis nobiliſſimæ omnium inter virtutes quæ mores ornant, partem fœtumque non ignoras? Quid verò horum omnium cōceſſum eſt brutis, quibus neque Dei, neque virtutis vlla data eſt notitia, quā quidem tibi ſumma beneficentia impertitus eſt Deus? Vnico naturæ ſtimulo incitatum brutū, prodigioſa portentique ſimilia edit gratiæ exempla: Tu tot tamque acutis punctus calcaribus quot exiſtūt rationes quæ te ad gratitudinem vocant, adhuc nihilominus ſtertis iners ſegniſque & tanquam ſenſus omnis expers, nullis tot beneficiorum aculeis commoueris. Pudeat ſanè, pudeat ſi vnquam tibi pudendum eſt, te tot nominibus in referenda tibi beneficis gratia obſtrictum, in ea tamen animantibus ipſis inferiorem inueniri.

GVLA

GVLA. *Vide* EBRIETAS SOBRIETAS, ET PATIENTIA, § 2.

§ 1.



VANTA ſint gulæ damna atque intemperãtiæ, eamque fugiendam ſi ſaluti noſtræ conſultum velimus, docet 1 purpura quæ vehementer eſt guloſa, longamque habet linguam, qua penetrat quocumque poteſt, atque attrahit quæ comedat, qua eadem etiam capitur: capiẽdi verò modus eiuſmodi eſt ex AE-
lib. 7. *cap.* 34. liano. Paruam naſſam opere denſo, exiguis maculis purpurarij piſcatores cõtexunt: intus in media naſſa ſtrombus piſcis illecebra appenditur ei alliciendæ. Purpura linguæ extenſione atque diductione eò pertinere, & ſtrombum ipſum aſſequi dum conatur, ne ab eſca quam ligurit aberret, omnem eam neceſſe habet exerere, qua exerta ſugit eſcam tamdiu donec plenitudine intumeſcentem ad ſeſe reuocare nequeat, inde fit vt piſcator eam liguritione irretitam comprehendat. Vide verbo Mortificatio.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Purpura.*] Eſt ea conchæ genus.

2. *Longam.*] Digitali longitudine, inquit Plinius, qua paſcitur perforando reliqua conchylia, tanta duritia aculeo eſt. Habet autem colorem illum tingendis veſtibus expetitum in medijs faucibus. *lib. 9. cap. 36.*

3. *Capiendi modus.*] Alium, huius tamen haud abſimilem affert Plinius.

4. *Sugit eſcam.*] Ita & gulæ deditus vinum ſugit, & potat non tam vinum ſibi quam virus & mortem futurum. At venia quidem digna eſt multis nominibus purpura, tum quod eo ſuctu vitã ſuſtentat famique conſulit ſuæ, tũ quod periculi in quod poſtmodum incurrit ignara ſit, quod quidem ſi ante præuidere potuiſſet, ne nulla quanquam blãdiente admodum eſca, ſe in eas anguſtias conieciſſet. At tu qui comeſſationibus noctes dieſque indulges, quique vinum immoderatè ſumis, quid iſtorum ad tui defenſionem afferre poſſis? non eo quidem vitam ſuſtẽtas aut producis, cum multos potius extermina- *Eccleſ. 31. 29.*

rit

rit vinum, sintque nimia eius potione obruti, antè abrepti quam naturalis eorum constitutio ferebat. Quam sit autem id longè miserrimum planum facit sapiens ista interrogatione, qua & quod, agimus modo, luculenter comprobatur. Quæ vita est quæ minuitur vino? Quid defraudat vitam? Mors, Quasi ita sciscitetur: Quam infelix, quã
Ecclesi. 31. 32. miseranda & miserabilis est eius vita, quæ ab immoderata vini sumptione fit breuior! quibus quidem porrò innuit non esse vitam istam humanam, verum pecuinam, quin & infra pecudes, quæ in cibo ac potione modum seruant. Consequentibus autem verbis vinum cum morte aptè confert, quoniam idẽ quod mors efficiat, sitque homini mortis instar: quemadmodum enim mors, vita hominem exuit, ita & vinum sine modo potatum; Itaque verè est homini mors, cum ea homini mala inuehat quæ mortis sunt propria. At periculorum fortè quæ à vino sunt, eras nescius. Non credo si modò nonnunquam ad sacras conciones adis, in quibus id fieri

ri nullo modo poſſit vt non audieris illa ex Apoſtolo: Neque fornicarij, neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt. Manifeſta ſunt opera carnis: fornicatio, immunditia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur. Cum igitur nullum habeas excuſationis colorem, quo intemperantiam tuã tegere poſſis atque honeſtare, vides (vtinam & ad ſalutem) quam te vitio tuo brutis ipſis deteriorem præſtes.

1. Cor. 6. 9. ad Galat. 5. 19. 21.

§ 2.

ABundat Braſilia Tygribus quæ fame preſſæ admodum ſæuiũt, eædem 1 ſaturæ tam ſunt inertes atque ignauæ, vt vel ſolo canum latratu in fugam ſe proripiant, facillimèque 2 capiantur.

Pater Iarric Tomo 2.

ANNOTATIONES.

1. *Saturæ.*] Quare ſatis perſpicuè intelligitur quam ſit immoderatio cibi noxia, cum eâ bruta ipſa ſtupidiora atque tardiora fiant, quam aliàs eorum natura poſtulat.

2. *Capiantur.*] Vide infra § 4. num. 2.

§ 3.

1 LVpus piscis squillis insidiatur easque rapit, sed cum illæ se interceptas sentiunt, fastigiũ quod eminet in capite, quodque simile est acutissimo triremis rostro, atque in summa parte secturas habet modo serrulæ vncinatæ, hoc inquam animosæ illæ bestiolæ cum incuruarint, summa leuitate saliunt: lupus verò ore maximè hiante atque imminenti, squillam quæ est pelle tenera & molli, ex lassitudine viribus defectam comprehẽdit, atque 2 cibum sibi fore arbitratur. Squilla autem primum in gutturis lupi laxitate saltat, postea aculeos in eum defigit, atque ei interiora exulcerat, vnde & plurimum sanguinis mittit, denique suffocatione lupum interficiens, & ipsa vna cum eo perit. AElianus l. 1. cap. 30.

ANNOTATIONES.

1. *Lupus.*] Est hic piscium vorago & prædator, atque idem piscibus quod lupus terrestris, gregibus; Est item ebrio-

ebriosus, ciborum & vini vorago atque helluo, cui nunquam venter satur est.

2. *Cibum sibi &c.*] Nihil magis refert ebriosum quam iste lupi interitus à cibo profectus: fallitur enim hic dum se cibum nactum esse putat squillam, quæ ei mortem affert: fallitur & ille dum se vinum dolorum suorum lenimentum potare existimat, quod mille eum doloribus cruciatum æternæ morti tradet tandem: Quam quidem fallaciam pulchrè exprimit sapiens, dum mortales ab immoderato vsu vini reuocare conatur verbis istis: Nè intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. *Prou.* 23. 30. 31.

Monet itaque nè tum vini pulchritudo, tum gratus eius sapor tibi imponat, neue committas vt ijs delinitus in ebrietatem pertraharis, acerbissimi sũt enim atq; amarissimi ebrietatis exitus; suauitatis quidem atque voluptatis sẽsu quodam afficit vinum dum bibitur, verum id vbi est haustum, eheu, quot

con-

conficit hominem malis, quot exuit bonis, quot doloribus exanimat dum & ei rationis vſum adimit, & in abſurda multa præcipitat, (oculi enim eius
Prou. 23. 32. vident extraneas, & cor eius loquitur peruerſa) dum intolerabiles ei morbos arceſſit, morte ipſa crudeliores: ſumma dum ita eum miſerè afficit atque ſi à colubro aut regulo cuius eſt efficaciſſima nocendi vis, demorſus eſſet: atq; eo magis damnanda videtur ebrioſi præ lupi intemperantia (quamquam nihil in hac damnandum quæ naturæ impulſione, neque voluntate contingit) quod ille periculi quod ſibi impenderet monitus, id cauere potuit, ſalutique ſuæ proſpicere: At quis vates, quis augur lupo præſagijt ſibi moriendum ſi ſquillam prædaretur, eamque ad cibum adhiberet? Quod ſi id ſciſſet, credo aliorum piſcium venatu contentus, ſeſe ab ea abſtinuiſſet, tam eſt vitæ ſalutiſque ſuæ amans, cuius tu eiuſque æternæ licet atque animi ſalutis tam es prodigus, & vilis exiſtimator, vt eius incolumitatem, minoris quam perbreuē

atque

atque pertenuem, quæ ex vini potione percipitur voluptatem existimes.

§ 4.

EAdem gulæ damna, sobrietatisque commoda docere videntur cerui, qui vbi se præpingues senserint, latebras quærunt fatentes incōmodum pondus, seque eo [1] grauatos ægrè fugere, [2] facileque capi posse, cum tamē in sola fuga sit illis vitæ præsidium.

ANNOTATIONES.

1. *Grauatos.*] Grauari item a gula & crapula animum: Vide Luc. 21. 34.

2. *Facile caperentur.*] Sic & gulosus ventrique deditus facilè capitur à dæmone venatore, estque à gula, expedita via ad vitia vniuersa. Ad idololatriam quidem, quoniam sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere: Ad libidinem verò, id namque quotidianus vsus plus satis confirmat, atque eâ re clamat Paulus, nolite inebriari vino in quo est luxuria. Iam de ira ita Ecclesiasticus: Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & *Ecclef.* 31. 38.

X rui-

ruinas multas facit. Sed Vide de ista re verbo Ebrietas.

HOMICIDIVM. *Vide* CRVDELITAS.

§ I.

EIVS odium docuit quondam Elephas quidam, cuius cum moderator vxorem suam senio confectam vt alteram duceret strangulasset, ac propè ab elephanti præsepi homo præcipiti consilio vxoris cadauer non defodisset modo, verũ & alteram quam amaret in matrimonium duxisset: Elephantus cum tanti facinoris conscientia incitatus, tum verò suapte natura ab homicidio abhorrens, nouam vxorem eò perduxit, vbi humata altera iacebat, cadauerque cornibus refodiens & denudans, quæ dicere nequiret, ex ipsis operibus ea mulieri patefacere conabatur, eam edocens quã crudelis esset homicida quibusque præditus moribus is cui ipsa nup-

nupsisset. AElianus l. 8. de animalibus cap 17.

ANNOTATIONES.

1. *Abhorrens.*] Mirus sanè naturæ sẽsus & lumen quo homicidas auersaretur, huic animali ab authore naturæ inditum; neque enim nouit esse hominem conditum ad imaginem & similitudinem Dei; neque pœnas tenet quibus sanxit Deus ne quis alteri vitam adimeret, neque eorum fusum sanguinẽ qui alienum fudissent vidit: Quæ quidem vniuersa, aliaque quamplurima quæ ad istius sceleris inuidiam commouẽdam faciunt, tenent probè atque viderunt mortales, quorum tamen videmus plerosque sãguine gaudere ac vulneribus, & abiecto homine non modo in siluestre animal (quod vult Seneca) verum & in diabolum, qui homicida extitit ab initio, transire. Ille autem latens naturæ sensus occultumque homicidarum odium non animantibus modo, verum & rebus animi expertibus est ab authore naturæ impressus. Constat enim experientia fluere sanguinem

lib 1. de Clement. cap. 24. Ioan. 8. 44.

ex occiſi recenti vulnere, ſi ad eum propius accedat is, qui occidit, quod non ad miraculum aut ſupra naturæ vires vim quandam, verum ad abditam naturæ ἀντιπάθειαν, atque ab iſto ſcelere alieniorem animum referendum videtur. Vide Lemnium l. 2. de occultis naturæ miraculis & alios citatos à Patre Delrio lib. 1. Diſquiſit. Magicarum cap. 3. q. 4. Qui ait ſe nihil adhuc vidiſſe, quod ſolidius afferatur tanquā mirabilis iſtius prodigij cauſa, quam Antipathia iſta ex vehementi odio occiſi in occiſorem, quod qualitatem latentem & arcanam impreſſerit corpori cum cadauere permanentem, citatque in eam ſententiam nonnullos verſus Lucretij.

§ 2.

ESſe homicidas lupis peiores qui non niſi fame cogente ſe inuicem conficiunt, dictum ſupra verbo Crudelitas.

HO-

HOMO. *Vide* ANIMVS. NOBILITAS. HONOR. HONORARE.

§ 1.

DE Thoa lupo, hominem obſeruante atque honorante quodammodo, & quemadmodum id multo magis homini ab homine exhibendum. Vide verbo Charitas. §. 2. Accipiter tanta erga homines ducitur reuerentia, vt ſi cadauer humanum attigerit, veluti pollutionis pœnam ieiunio emendare cupiens, ea die nihil aſſumat, tanquam religio ipſi ſit cadauer humanum attigiſſe. *Gillius lib.* 14. *cap.* 14.

§ 2.

FOrmicarum quæ ad meſſes confluunt, ea eſt modeſtia vt cum aliæ ad legenda grana proficiſcantur, aliæ inde onus portantes redeāt, quæ ſine onere ſunt [1] ſummo cum honore atque demiſſione, onus gerentibus cedant, atque aliæ alijs de via decedant.

ANNOTATIONES.

1. *Summo cum honore &c.*] Opere ſci-

 licet

licet exhibēt idque ſine magiſtro, quod nos Apoſtolo tanto magiſtro docente nondum didicimus, vt honore inuicē

Roma. 12. 10.

præueniamus. Quin & tam ſunt plerique ruſtici, inurbani, ſilueſtribuſque atque ſiluaticis moribus, vt neque ijs qui ſe honorarunt, honorem referant vllum, neque ſe ſalutantibus ſalutē reddant, quod quidem extremæ eſſe ruſticitatis omnibus conſtat; atque id maximè tum cauendum, tum pudendum docet Sapiens, dum in ijs de quibus ingenuo cuique ſi illud admittat erubeſcendum eſt, collocat etiam iſtud: Erubeſcite inquit, à ſalutātibus de ſilentio.i. de ſalute non reddita ei qui vos ſalutauit prior: quod tum inofficioſum eſt ac turpe, tum mores agreſtes atque ſuperbos præ ſe ferens.

Eccleſ. 41. 21. 25.

HOSPITALITAS.

§ I.

EAM, atque hoſpites bene accipere ac prolixè, eoſque ipſos tueri, docent

cent cornices quæ ciconias hoſpites ad ſua redeuntes tecta [1] deducunt ac dirigunt, & veluti turmis quibuſdam ſtipatricibus proſequuntur, atque contra inimicas aues pro eis [2] depugnant, & proprijs periculis aliena bella ſuſcipiũt.

ANNOTATIONES.

1. *Deducunt.*] Cui rei argumento eſt quod nullæ cornices certo temporis interuallo dum ſcilicet ciconiæ abeunt, conſuetis in locis reperiuntur.

2. *Depugnant.*] Signo eſto, quod cũ vulneribus reuertantur, manifeſta hac ſanguinis ſui voce cæteriſque indicijs loquentes, grauium ſe certaminum ſubijſſe conflictum.

Obſeruare hic licet præter hoſpitalitatem, brutorum in ſe mutuo charitatẽ: Quod autem ad hoſpitalitatem attinet, & quemadmodum eam doceant cornices iſtæ, præſtat Ambroſium audiamus. Diſcant inquit homines hoſpitalia ſeruare iura, & ex auibus cognoſcant quid religionis hoſpitibus ſit deferendum, quod obſequium deputandum, quibus cornices etiam pericula ſua negare non ſo-

lib 5. Hexam. cap. 16.

soleant. His igitur ianuas nostras claudimus quibus aues etiam animas suas conferunt, & quos illæ consortio prosequuntur discriminis, eos tecti prohibemus hospitio? Et quorum illæ bella suscipiunt, his nos bella frequenter inferimus? Hæc Ambrosius, quibus nihil tum efficacius tum artificiosius dici potest: lectoris autem diligentis erit pulcherrimas illas eius, inter nos & aues, inter ianuas & animas, cæterasque quæ consequuntur antitheses expẽdere, quibus magna dicẽdi vi eos carpit quibus non est satis, si brutis etiam amicam hospitalitatem non colunt, nisi & in hospites se immites præbeãt atque crudeles. Affert his confirmandis Sodomitanorum, atque AEgyptiorum inhospitalitatem, amborumque pœnam, illis enim fuit ista causa supplicij ignisque quo conflagrarunt vniuersi: hi autem genti hospitæ dum bellum conantur inferre, inhospitalitatis pœnas infidæ naufragio plebis exoluunt: Sed tũ inhospitalitatis tum pœnarum quas ipsa luit exempla, passim se etiam nolenti

ti ingerunt, ei qui memoriam antiquitatis ſeriemque rerum in orbe geſtarum euoluit. Dabo vnum quod quatriduo antequam hæc commentarer audiui ex viris fide dignis à quo ſuperentur necnè quæcumque in iſto genere tragica dedit orbis hactenus, penes lectorem iudicium eſto. Cum Polonus quidam Pultonienſis annos multos paterna domo abfuiſſet, atque in caſtris commoratus ibi rem familiarem auxiſſet, tandem in patriam ſe recepit bene nummatus, caſuque in ſororem tam ſibi ignotam, quam ipſe illi eſſet, incidit, ex qua percunctatur quid tali actum eſſet (parentem autem vtriuſque communẽ nominabat) viuere valereque, ſeque filiam eius eſſe reſpondit illa. Pergit ille porrò ſciſcitari quid filio eius factum (ſe autem indicabat) In remotas regiones iamdiu profectum inquit illa, ibique iampridem mortuum vulgo credi. Tum alter, quid ſi quis fauſtus de illo tibi parentique nuntius afferretur quo tandem animo eſſes: Id inquit illa, fieri non poteſt cum ſit vita functus, cũque

que hac, eiusque similibus interrogationibus illam aliquamdiu suspenso tenuisset animo: ego inquit sum is quẽ tu defunctum credis: Frater inquam tuus sum qui in istum diem Deo laus, viuo & valeo. Cumque illa præ gaudio minus ei fidem adhiberet, nudato brachio ostendit ei certum signum in carne, quo agnito illico ruit illa in eius amplexus, neque dubitat amplius fratrem suum esse illum quem ante mortuum existimarat. At vtinam tam fuisset notus parenti suo quà filius, quam fuit idem sorori notus quà frater, non ea euenissent luctuosa atque tragædis hactenus inaudita quæ horret stilus prosequi. Vbi igitur agnitus esset à sorore eique seuerè mandasset ne quidquã isto die cuiquam, ne parenti quidem indicaret de suo reditu, sed vt die sequenti ad se accederet, confert se hospitandi causa ad paternas ædes (erat enim parens eius exercitio hospes publicus) petit num sibi sit locus futurus, admittiturque tanquam ignotus, post cænam autem cum ei decumbẽdum esset, hos-

hoſpiti ad ſe vocato tradit in manus nocte iſta cuſtodiendam penulam ſuam ſeu loculos, quos vbi is recepiſſet ex pondere ſuſpicatus quod erat, eſſe illos auri argentique plenos; iam ſi vnquam (inquit ille ad vxorem) emergere nobis licebit ex noſtra iſta pauperie: en tibi loculos nummorum plenos, noſtri ſunt ſi militem iſtum è medio tollamus. Igitur cum probaſſet vxor conſilium, nocte intempeſta ſtrangulatur & iugulatur ab vtroque parente innocens ignotuſque filius. Sequenti die accedit ſoror ad paternas ædes, petit conuenire militem illum qui pridie ſub veſperam eò diuerterat. Negat conſtanter parens quemquam ad ſe diuertiſſe: Quomodo inſtat illa id fieri poſſit, cum heſterna die ad te miſerim certum hominem (erat autem filius tuus, meuſque frater, quem & eum quem dico eſſe certiſſimis argumentis deprehendi) cumque pergeret illa patri, eius rei fidem facere, vt ſe ille in filium, eumque poſt tot annos atque meliore fortuna reducem manus impias iniecisse perſpexit, ſe pu-
blico

blico in patibulo suspendit, mater autẽ eiusdem doloris impatiens, eodem se ferro, quo filium iugularat, ipsa confecit. Quid hic agam aut agere deceat non satis video. An exclamem cum poetarum principe.

Anno 1618. 14. Maij.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? An impij facti exaggerem turpitudinem? At nihil iam turpe cuius placet pretium. Num iusta Dei iudicia admirer quibus id permissum vt qui in alterum sæuierant, in se seuirent ipsi? illa inquam iudicia, quibus est irreuocabilis illius sententiæ comprobata veritas: quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius, cum vt ea rata sit atque firma, in sua viscera ferrum condat qui in aliena crudelis seuierat?

Seneca epist. 95.

Gen. 9. 6.

Sed neque id præ manibus est modò. Igitur (quod hic ago) inhospitalitatem istã sæuam nimis, meritasq; eius pœnas expendam. Verũ quod nulla tantæ rei tãque insolẽti par inueniatur oratio, nostrum erit factum istud tam funestum, tãque tragicum silentio, admiratione, luctuq; potius quam sermone prosequi.

HVMILITAS.

§ 1.

HVmilitatis actionem quæ consistit in se mutuo honore præueniendo, vide verbo Honor.

HYPOCRISIS.

§ 1.

EIvs fugam 1 docent Viperæ nè ijs similes fiamus, sunt enim ipsæ hypocritarum symbolum quæ 2 cute quidem speciosa sunt & quasi picta, intus autem veneni sunt plenæ.

ANNOTATIONES.

1. *Docent.*] Istum docendi modum brutorum confirmauimus supra authoritate Basilij.

2. *Cute quidem &c.*] Ita & hypocritæ sanctitatis pulchritudinem ostentant vultu, cum virus nequitiæ corde claudant, quos ideò vocat diuus Ioannes Baptista, Genimina viperarum, quamquam & ista compellatione spectauit alio. *Matt. 3.*

alio. Vide authorem Imperfecti in Mattheum.

Hom. 3. in cap. 3.

§ 2.

ALiud hypocritæ hieroglyphicum est polypus si Basilio credimus atque [1] Ambrosio, qui saxum nactus in mari ei adhærescit firmiter, [2] eiusque colorem induit qualis qualis sit, quo fit vt piscium complures ad ipsum improuiso nantes, tanquã ad saxum appellant, quos ipse prædatur & conficit.

ANNOTATIONES.

1. *Ambrosio.*] Vocat Ambrosius Polypi ingenium fraudulentum atque nebulosum.

2. *Eius colorem.*] Colorẽ inquit Plinius mutat ad similitudinem loci, & maximè in metu. Quod idem facere hypocritas eosque maximè qui suæ impatientes sortis, ad meliorem aspirant, honoresque ambiunt, ex se patet. Eos enim videas sese mira facilitate ad singulorum mores attemperare, eorumque potissimum à quibus aliquid expectant, aut quos reformidant sobrietatem

tem quidem cum ſobrijs laudant, vt & ipſi tales appareant, intemperantes verò ſunt cum intemperantibus, vt ab ijs gratiam colligant. Cum aiente aiunt, cum negante negant, in omnem ſe vertunt ſpeciem, omnes induunt vultus, atque ad id quod cuique placet ſuam omnino ſententiam vertunt. Quin & ſeſe hæreticos profiteri, inter eos dum verſãtur atque pro talibus ſe gerere ſũma impietate, atque turpi à fide defectione, vt & ſeſe catholicos hæretici ementiri, ſi ita res ferat, non dubitabunt, iuxta illud.

Iura periura, ſecretum prodere noli.

Quos quidem vitare (monitũ eſt Baſilij) facilè nemo poteſt, nec ab ipſorum inſidijs nocumẽtiſque cauere, propterea quod pietatis prætextu prauitas eorũ fucata, & adornata, profundè celatur ac latet, & qui eos audiunt aut vident eò citius labuntur, inquit Ambroſius, dum diſtinguere non norunt, nec cauere quod noceat, dum grauior fit & magis noxia improbitas, benignitatis obumbrata velamine. Huiuſmodi ſane *lib. 5. Hexam. cap. 8.*

mo-

mores (ita pergit Basilius) rapaces lupos appellat Dominus, in indumentis sese ouium palam ostentantes. Fugito prorsus varios hosce multiplicesq; mores, sectare veritatem, sinceritatem, simplicitatem. Anguis varios obtinet mores, eòque pœnæ huic addictus est vt reptet humi, Iustus fictione caret, qualis & Iacob etiam fuit, quapropter ipse Dominus habitare facit vnius moris homines in domo, minimè scilicet fucatos. Hactenus Basilius.

IEIVNIVM. *Vide* EBRIETAS. GVLA SOBRIETAS.

§ 1.

IEIVNIVM doceat serpẽs Hiuana nomine quẽ gignit Hispaniola insula occidẽtalis Indiæ, qui [1] famis ad multos dies est patientissimus, vt & viperæ quæ in aurea castella longitudine viginti pedes æquant, atque etiam serpẽtes regni Senegæ miræ magnitudinis absq; alis, pedibusque. Cardianus. AN-

ANNOTATIONES.

1. *Famis patientissimus.*] Cuius causa est viscerum angustiæ, & paucitas caloris naturalis, temperaturæque siccitas: quod autem exiguo contenti sint cibo serpentes, inde accidit vt diutissimè delitescant; Cuius rei non ignari circulatores, eos pyxidibus ligneis cōclusos circumferunt, aluntque cōmodissimè, furfure modico apposito.

INCONSTANTIA. *Vide* CONSTANTIA.

INIVRIA. INIVRIVM ESSE. *Vide* Magnanimitas. Vindicta. Patientia. Auaritia, § 2. in Annotatione.

§ 1.

INIVRIAM inferre nemini docent cygni, qui suapte natura pacati sunt, ideòque 1 ad senectutem perueniunt non sibi grauem: Robore quo 2 magno præditi sunt cōfidētiores existūt, 3 non tamen vt iniu-

riam ipsi inferant priores, sed vt 4 lacessiti eam propulsent.

ANNOTATIONES.

1. *Ad senectutem.*] Pax mentisque tranquillitas atque iræ moderatio, abdicatioque, est vitæ longioris concilia-
Eccles. 30. 26. trix, nam zelus & iracundia minuunt dies.

2. *Magno robore.*] Quod in solas Aquilas exerit cygnus, quas & vincit,
lib. 5. cap. 34. cæteræ enim aues, inquit AElianus cũ cygnis pacem habent, & quasi fœdere deuinciuntur, cum ipsi ab Aquila frequenter hostiliter appetantur.

3. *Non tamen vt iniuriam &c.*] Quam eorum dissimiles sunt ij, qui tum viribus suis, tum digladiandi, armaque tractandi peritiæ præfidentes, alijs tum verbo, tum facto contumeliam irrogãt, modo huic, modo isti iniurij sunt, æqualium suorum patientiam, tum dictis asperioribus, tum factis atrocioribus
lib de Constantia cap. 18. lacessentes. Qui nihil ab alijs neque pati, neque audire, omnia à se volunt pati cæteros atq; audire, ferendarũ contumeliarum impatientes, faciendarum cu-

cupidissimi : quod idem de Caligula Cæsare proditum est à Seneca : quibus præterea benè non est nisi aliquo ad pugnam & duellum vocato vires suas, pugnandique dexteritatem ostentent, qui quamlibet iurgandi, verbisque cõtendendi quærunt occasionem, quam vt nanciscantur, etiam optimo facta animo, deteriorem in partem interpretantur, leuissima quæque aliorum verbula colligunt, eaque in se dicta, suoque officere honori causantur; omnia ijdem contumelias putant, si quis eos minus benignè intuitus est, si liberius est locutus, si minus quam sibi deberi existimauit honoris, si plus alteri quã sibi detulit, ad arma veniendum est. Dicas timere eos ne rubigine obductus gladius inutilis efficiatur, si tamdiu vagina conditus delitescat. Qui denique vt loquitur Sapiens, non dormiunt nisi cum malefecerint & rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint : comedunt panem iniquitatis & vinum iniquitatis bibunt: tam est enim in ijs ardens atque inflammatum iurgandi nocendique

Prou. 4. 16. 17.

que alijs eorumque pacem perturbandi desiderium, vt primo statim diluculo ea de re cogitent quemadmodum ab ijs perficiatur, nec se quieti possint committere nisi ea ad exitum deducta, neque diem illum se probè exegisse existimant nisi quis eorum vires atque nocendi vim animique impotentiam sit expertus: Quod si id non contingat, seseque nullius pace turbata quieti dét, rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint, .i. nisi quem deiecerint & perdiderint.

Neque id sanè mirum: comedunt enim hi panem iniquitatis, & vinum iniquitatis bibunt, eò quod ipsam iniquitatem, atque in alios iniuriam instar panis comedant atque instar vini bibant, dum eâ tanquam si panis esset & vinum delectantur, reficiuntur atque saturantur. Vulturibus sanè consimiles qui bellis ac cædibus capiuntur. At ijs multò etiam ea re deteriores tum quod illi earum non sint authores, tum quod ijs non per se at ob cadauerum pastum quem inde nanciscuntur, delectentur,

ctentur, cum his nihil ab humano sanguine fuso emolumenti accedat, videãturque ipsa per se iniuriâ hominumque cæde delectari. Verum vnde tanta istis tamque impotens alijs nocendi libido? A fortitudine viribusque corporis quibus sese cæteros omnes anteire arbitrãtur, quibusque freti timent neminem, quosuis summa temeritate atque audacia ad duelli certamen vocant: sed animaduertãt quæso isti, licet cæteros omnes præ se tanquam viribus certandiq; peritia inferiores despiciant, reperturos tãdem sibi pares, quin & tũ robore, tum pugnandi scientia superiores, futurumque olim vt quẽadmodum cæteris fuerunt formidini, ita & ipsi aliquem vnum reformident, qui audaciæ, temeritatis, insolentiæ, atque crudelitatis ab ijs, meritissimas morte ipsa pœnas exigat. Sed demus te cum inferiore congredi: non es ea re extra metum, neque de victoria securus, nihil tam imbecille natum est (teste Seneca) vt sine elidentis periculo pereat: imbecillos valentissimis, aliàs dolor, aliàs casus exæquat:

Lib. 3. de Ira cap. 28.

quat: Quot autem inter pugnandum incidunt casus, prudentibus etiam peritisque ipsis inopinati, qui non imbecillos tantum valentissimis, minusque belli peritos peritissimis exæquant, verum vt ab illis hi etiam victi succumbant, miserèque prostrati iaceant frequenter efficiunt.

Si te igitur naturæ author voluit esse robustum, lacertosum, firmoque & valido corpore, intuere in cygnum qui cum viribus præstet, nemini est iniurius, atque facto suo te docet robore tuo ad aliorum perniciem non abuti. Quod si magistrum istum tãquam mutum minusque vocalem minus audis, en tibi isto vocaliorem sacram scripturam. Ne sequaris (inquit ipsa) in fortitudine tua concupiscẽtiam cordis tui, & ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Animaduerte quæso quid à te hoc exigatur præcepto, primum id quidem exigitur, vt ne viribus corporis fretus, quibuslibet animi tui cupiditatibus obsecundes,

Ecclesi. 5. 2, 3.

cundes, vt quicquid lubet hoc idem licere tibi exiſtimes: Tum vt ne viribus iſtis confiſus in huiuſmodi petulantiæ atque ſuperbiæ plena verba prorumpas, dicaſque: Quomodo potui? Quomodo præualui? Quam potens effectus ſum? Quis me ſubijciet propter facta mea quæ robori meo innixus pro libito peregi? Neminem reformido, quis enim mecum conferendus? Quis coëquandus? inſuperabilis fui hactenus, ero & in poſterum. Denique vt memineris vanam iſtam tui fiduciam linguæque petulantiam, atque in cæteros iniuſtitiam, certiſſimè aliquando à Deo grauiſſimis ſupplicijs vindicandam, qui quamquam ad tempus diſſimulare videatur, eſt enim altiſſimus quamquam patiens redditor, redditor tamen, tarditatemque ſupplicij grauitate compenſat. Eccleſ. 5. 4.

4. *Laceſsiti propulſent.*] Quod licere item homini Chriſtiano cum moderamine inculpatæ tutelæ docent Scholaſtici omnes.

§ 2.

IDem cum cygnis docent accipitres qui ſi deprehendant ab vnico tantum ex agricolis aquam in ſulcum deriuari eâ abſtinent, quantumuis ſitiant, quòd ſcilicet exiſtimare videantur ſe homini illi incommodaturos, illique iniuriam irrogaturos, ſi ſua potione aquam [2] quam modicam habet illi auferant. Sin plures agrum irrigant, videntes affluentis aquæ copiā, quaſi ab ijs inuitati, potum inde hauriunt. AElianus l. 2 c. 42.

ANNOTATIONES.

1. *Accipitres.*] Qui rapto viuunt & præda, quo magis mirum eſt eos tam eſſe in iſta re, quæ hic ſubijcitur, religioſos atque continentes.

2. *Quam modicam habet.*] Vide mihi quam iuſtior accipiter eo, qui cùm ad ſe diuertiſſet peregrinus, non eſt veritus vnicam proximi ſui ouem, quam peregrino cibando mactaret tollere: ſed multò etiam, alio nomine illo iuſtior, quod accipiter ſitiens licet atque egens modicæ illi aquæ agricolarum parcat: hic

2. Reg. 12. 4.

hic autem, diues cum eſſet pecoris, pauperi ouiculam ſuam ſurripiat. Vide item quam iuſtior pleriſque, qui cum bonis omnibus affluant, in modica tenuiorum bona inuolant, neque eorum cupiditati fit vnquam ſatis, niſi quocumque modo ea ſeu per fas ſeu per nefas poſſideant. Qui vendunt pro argẽto iuſtum & pauperem pro calceamentis: dum corrupti auro imò minimo aliquo pretio, quo vix calcei emantur, impiè ditioribus cauſam adiudicant, ijſque ſententia ſua iniqua tradũt bona pauperum quibuſcum litigabant. Qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum, dum eos tyrannorum inſtar conculcant atque peſſundant. Qui viã humilium declinant, quod quidem ab ijs fit dum humiles .i. pauperes reculis ſuis paruoque cenſu ſpoliantes id efficiunt, vt recto virtutis deſerto tramite in peccata declinent. Qui denique quod vetitum in Exodo, pignus à proximo accipiunt veſtimentum, neque ante ſolis occaſum reddunt ei, licet ipſum ſit ſolum quo operitur indumẽtum carnis

Amos 2. 6.

Cap. 22. 26.

nis eius, nec habeat aliud in quo dormiat: quod quidem ita graue eſt ſcelus, vt ſi ita oppreſſus, inquit Dominus, clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum. Atque alia ditiorum in tenuiores tum crudelitatis, tum iniuſtitiæ argumenta, facile per ſe excogitabit concionator quibus eos longè accipitribus eſſe iniuſtiores cõprobabit.

§ 3.

1 CApito piſcis eſt paludes incolens, idemque cibi parciſſimi, quem & 2 ſine vllius noxa ſibi conquirit. Etenim nullum inuadit animal, 3 vt eo paſcatur, 4 ſed cum omnibus pacificè viuit. Quod ſi in aliquod de illis iacens ſtratumq; incurrerit, nõ antè id in ſuũ conuertit vſum, quã cauda explorarit, viuat nec nè. Quod ſi cauda licet agitatum, immobile permanet, id ei ſigno eſt vitâ eſſe deſtitutum, quare liberè prædatur; ſi verò moueatur eo 5 intacto diſcedit.

ANNOTATIONES.

lib. 1. cap. 3. lib. 8. cap. 2. 1. *Capito.*] De quo AElianus & Ariſtoteles, à quo & obſeruatum, à nonnul-

nullis vocari labeonem.

2. *Sine vllius noxâ.*] Quid ad hæc illi, qui penè nihil ſine aliorum iniuria & damno poſſident, quorum quidem iſta eſt vox apud Sapientem. Inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas cõtra inſontem fruſtra, deglutiamus eum ſicut infernus viuentem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum. Omnẽ pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs. Ita ſeſe illi mutuo ad tenuiores facultatibus ſuis ſpoliandos animant, atque cohortantur. At vtinam res ibi ſiſteret, & nõ à verbis, ad rem opere ipſo perficiendã tranſirent ipſi, quod quidem graphicè admodum deſcribitur à propheta verbis iſtis, quibus ſanè non poteſt non commiſerationem ijs commouere, qui vel minimo aliorum malorum ſenſu tanguntur. *Oculi eius* (inquit ipſe) *in pauperem reſpiciunt* (maligno ſcilicet intuitu, & quemadmodum accipiter aut Aquila columbam) vt quem talem eſſe perſpexerit, habita opportunitate tum bonis ſuis ſpoliet, tum vita, atque dum eius

Prou. 1. 11. 12. 13. 14.

Pſal. 9.

eius rei perficiendæ omnem captat occasionem, *insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.* Num quemadmodũ incredibili feritate leo ex cubili suo ex quo prætereuntes obseruat bestias vt inopinatas capiat, ijs insidiatur; ita & hic *insidiatur vt rapiat pauperem*, quod varios comminiscatur dolos & fraudes, quibus simpliciores irretitos facultatibus omnibus exuat. *Rapere pauperem dũ attrahit eum.* Istis inquã fraudibus vtitur vt rapiat, dum eos antea suis artibus atque caliditate ad se attraxerit, eisque cæperit dominari, quemadmodum soliti sunt aucupes ad se trahere capta animalia vt ea rapiant, sed neque hic finis crudelitatis potentioris cuiusque in imbecillum. Etenim *in laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se & cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Videas quotidie à potentioribus istis, per insidias & fraudes, quas ceu laqueos quosdam tetenderunt deprimi pauperes, atque conteri: Videas eosdem cum horum fuerint dominati eosque in sua habuerint potestate inclinare se super eos, & pro-

procumbere ad eum modum quo in lucta, victor toto corpore animique conatu super prostratum ita incumbit, vt nequeat exurgere, & quomodo aucupes captæ prædæ incumbunt, vt nullũ ijs detur effugium; sanè ita pauperes istos, crudeles isti opprimunt, itaque eos suæ potestatis vinculis constrictos continent, vt sese ab ijs eximendi vnquam, aut ad pristinam redeundi fortunam nullam eis reliquam spem faciant. Quæ vniuersa & singula nulla indigent luce exempli, aut prisci aut huiusce memoriæ, cum passim & palam in oculos, nec sine multorum lachrymis incurrant. Quorum qui primas principesque causas requirit, pergat porrò in prophetæ lectione, in quo occurret illud. *Dixit enim in corde suo: oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.*

3. *Vt eo viuat.*] Cum multi in proximi bona irruant non vt viuant, verum vt luxu diffluant, vt lautè atque opiparè epulentur, vt comedant agnum de grege, vitulumque de armento & cætera

tera exhibeant quæ queritur quidam
Amos 6 propheta, & nos alibi commemorauimus.

4. *Cum omnibus pacificè.*] Id re ipsa præstantes quod tam studiose Romanis inculcatum voluit Apostolus (Si
Cap. 12. 18. fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacẽ habentes) quodque vix reperitur inter homines. Quotus enim quisque est, cui cum cæteris omnibus in omnibus conueniat? Qui non ab aliquo, aut iudicio, aut voluntate, aut morum cõtrarietate dissideat? cui cum mortalium nemine, priuata aliqua offensio, simultasque intercedat? paucos omnino existere videmus, quibus integrum sit verba Sunamitidis v-
4. Reg. 4. 14, 14. surpare, ex qua cum quæsijsset Eliseus, quidnam pro tot obsequijs sibi præstitis mercedis loco deposceret, nunquidnam cum quoquam haberet negotij cui cõficiendo Regis gratia, aut Principis militiæ esset opus; se verò perlubenter ei operam suam præstiturum. In medio (inquit illa) populi mei habito. Quasi dicat pacatè & quietè cum omnibus

nibus viuo, nullum mihi cũ quoquam intercedit negotium: quare neque regis gratiam, neque principis militiæ requiro.

5. *Intacto discedit.*] Vos mortales neque viuis parcitis, neque mortuis: tanta vestra est auri sitis atque argenti; vt vel per summum nefas atque rapacitatem ei explendæ studeatis: sed de hoc vide verbo Auaritia.

§ 4.

IDem docebit contrario sensu nè eius similes simus, Miluus, qui cũ volucribus 1 parcit validioribus, in imbelles pullos vires exerit suas, cum ei non sit animus maiores aggredi, quamquam ad id aptis instructus sit armis.

ANNOTATIONES.

1. *Parcit &c.*] Miluo se similes esse volunt qui cum potentioribus nocere non ausint, infirmiores quosque atque pauperes, quibus resistendi nulla facultas est, aggrediuntur, eos varijs modis opprimunt, eorumque sudores diripiunt, sanguinemque ferarum instar totum ebibunt,

IN-

INVIDIA.

§ 1.

LVRIMAE ſunt in animantibus quæ ab inuidia malè audiunt, & à quibus tam turpem & pudendum animi morbum fugere docemur, ne earum ſimiles ſimus: Stellio ſimul atque ſenectutem, membranam videlicet hybernam ſeu tuniculam exuit, eam vorans conſumit 1 ob inuidiam ex qua laborat aduerſus hominem, quod ſuam tuniculam ſcit contra 2 comitiales morbos valere plurimum. Ceruus item non inſcius dextrum cornu ſuum, vſui magno hominibus fore, ne tanto bono fruantur homines, in terram illud 3 occultat. 4 Vitulus marinus præ inuidia, coagulum ſuum, ne eo comitiales morbi ſanari poſſint deuorat. Terreſtris Erinaceus ſtatim vt captus eſt, vrina tergus conſpergit ſuum, cuius vi perfuſum 5 corrumpitur, & quod ad 6 multa futurũ erat vtile, reddit inutile. Linx verò vrinã ſuam in terram occultat, inuidia ne

in-

inueniatur, ea enim vbi concreuerit 7 lapis efficitur tum ad ſculpendum tũ ad mũdum muliebrem accommodatus. Infames etiam iſto vitio caniculæ marinæ, ex quibus ſi qua capiatur, cæteræ id videntes circa captam aſſiliunt, ac eam dum hamo ex profundo extrahitur ad nauem vſque inſequuntur. Inuidia quadam iſtud eas facere diceres, quaſi illa quæ capta eſt, ſibi vni eſcam aliquam (cum ipſa ſit potius eſca facta) aliunde prædata eſſet, atque ex ipſis nonnullæ in nauem inſilientes, ſæpe ſua ſponte 8 capiuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Ob inuidiam.*] Nullum animal iſto fraudulentius inuidere homini tradunt ait Plinius, indeque ſtellionum nomen in maledictum tranſlatum. *lib. 30. cap. 10.*

2. *Comitales morbos.*] Nihil ei remedio, inquit Plinius, in comitialibus morbis præfertur, eſt autem potanda in aceto. Qua autem induſtria, præripiatur illa tunicula antequam eam deuoret, vide eundem.

3. *Occultat.*] Itaque occultat, inquit

lib. 7. cap. 32. Plinius atque defodit vt non inueniatur, ceu medicamento aliquo præditū. Idque mirabilius fatendum eſt, cum in viuarijs mutent omnibus annis cornua decidua. Quantus porrò ſit in medicinis vſus cornu ceruini, varijs locis traditur ab eodem. Dextrum autem cornu ideò maiore ad eos quos paſſim affert morbos, pollere facultate arbitror, quod dextra omnia ſiniſtris ſint præſtantiora, v. g. pars hominis dextra fortior eſt ſiniſtra, oculus dexter validior ad reſiſtendum ſi quæ incidant humorum fluxionibus, quam ſiniſter, atque ita ferè de cæteris.

lib. 8. cap. 3. 4. *Vitulus.*] Viuit is in mari ac terra teſte Plinio, qui & addit eum fel ſuum ad multa medicamenta vtile, euomere.

5. *Corrumpitur.*] Habet ea vrina vim tabificam, inquit Plinius, & licet viuat, *lib. 8. cap. 37.* ſubtractus fuga, corruptum iam eſt tergus atque fragile, putreſcunt deciduntque eius ſpinæ, ob id non niſi in extremo deſperationis puncto, maleficio illo ſe perfundunt Erinacei, quippe & ipſi odere inſitum veneficium, ita par-

centes sibi, terminumque supremum opperientes, vt fermè antè captiuitas occupet. Venatores vbi prius vrinam exinanierit eum adoriuntur.

6. *Ad multa vtile.*] In cæteris ait Plinius eius cute expoliri vestes.

7. *Lapis.*] i. Gemma Lyncurium dicta, carbunculo similis, atque igneo colore fulgens, quæ non modò folia aut stramenta, instar succini ad se rapit, sed æris etiam ac ferri laminas teste Diocle ac Theophrasto apud Plinium: Eadem pota calculos vesicæ elidit, regioque morbo occurrit, si ex vino bibatur, aut portetur. *lib. 37. cap. 3.*

8. *Capiuntur.*] Obserua hic inuidiam causam esse captiuitatis, & quæ sequitur mortis, non est hîc quod iudicem illud idem esse hominis inuidi supplicium; paruulum enim, inquit Iob, occidit inuidia. Et inter opera carnis recenset Apostolus inuidiam, quam & à regno Dei excludit. *Cap. 5. 2.*

In his porrò animalibus omnibus in quibus nonnulla inuidiæ vestigia est videre, id notandum est, esse ea vilia,

exilia, paruæque æstimationis, nullumque in ijs generosum existere aut nobile. Qui autem maximè inter ea cæteris antecellit coruus, nihil illo timidius, fugaciusque nihil, simplex est animal nè dicam stolidum, omnia vs-
Plin. lib. 8. c. 32. que ad stuporem admiratur (quod paruorum est ingeniorum) in tantum vt equo aut bucula accedente propius, hominem iuxta venantem non cernat, arcum ipsum, sagittasque miretur: qua quidem re erudimur ab inuidia nisi hominum genus vile, despicatum, ignobile, infimum, cuique parum cerebri atque mentis est non corripi. Verè su-
lib. 5. moral. cap. 33. pradictum à sanctissimo Iobo: paruulũ occidit inuidia. Inuidere enim ijs non possumus, inquit Gregorius, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus: Paruulus ergo est qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo minor sit, cuius inuidia torquetur. Idque confirmat exemplis tum dæmonis qui amissa beatitudine, se homine minorem immortalitate cognouit, eoque illi eam inuidit, tum Cayni cui

cui frater prælatus erat ipſo deſpecto; tũ Eſau, qui ob præreptam benedictioné, in fratrem exarſit; tum fratrum Ioſeph, quorũ nè illi ſubijcerentur, vehemens erat metus; tum Saulis qui lancea non ſemel eſt Dauidem, quòd in dies illum proſperè magis atq; magis agere, magniſque virtutum proceſſibus augeri cerneret, transfigere conatus: Et quoniã tam eſt vilis atque ignobilis iſta animi inuidioſi perturbatio, inuidere ſe omnes negant, inquit Plutarchus: Quod ſi quis id eis probare conetur, mille ad id excuſationes adferunt, iratos ſe eſſe, aut metuere hominem, aut odiſſe cauſantes, aut alia quapiam ratione huius morbi nomen obumbrantes, quaſi hæc ſola animi ægritudo celanda ſit. Sed fruſtra eam tegere conantur, nam vt præclarè Gregorius: cum corruptum cor liuoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum veſania inſtigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigeſcunt: fit in cogitatione rabies, in dentibus

lib. de odio & inuidiæ diſcrim.

lib. 5. moral c. 34.

tibus ſtridor, cumque in latebris cordis creſcens abſconditur odium, dolore cæco terebrat conſcientiam vulnus incluſum. Vide cætera longè pulcherrima quæ breuitatis amans omitto.

Maneat ergo non niſi puſilli animi homunciones iſta inuidiæ peſte teneri, quod idem in brutis exiſtere perſpeximus: Generoſo enim atque alto pectore homines morbus iſte non inuadit: contra verò omnibus bene eſſe cupiũt, inuident nulli, de aliorum bonis tantum abeſt vt doleant, quin & gaudent vehementer, imò quæ in ſe agnoſcunt bona, cum cæteris omnibus vellent eſſe communia. Nempe æmulantur iſti magnum illum Iſraelitici populi ducẽ Moyſem, ad quem cum retuliſſet Ioſue eius miniſter certos quoſdam homines in caſtris, nihilò minùs quàm ipſum prophetare; eumque precibus vrgeret vt eos tanquam gloriæ ſuæ æmulos atque riuales iſta laude prohiberet, quin & in carcerem conderet (vt habet Chaldæa paraphraſis.) Quid æmularis, inquit ille, pro me? Quis tribuat vt omnis

Numer. 11. 29

nis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum? Doles duos illos meæ laudis participes exiſtere, at meũ eſt votum, vt non modo duo illi, verũ & vniuerſus populus, cum iſta gloria mea communicet. Macte animi Moyſes, te quidem à manſuetudine tua atque ardenti in proximum dilectione, amo, ſed ab iſta tua animi generoſitate, eò plus adhuc colendum duco, quo rarus omnino eſt qui gloriæ ſuæ conſortem admittat, nolitque vnus inter omnes excellere.

IRACVNDIA. *Vide* CRVDELITAS. MANSVETVDO. VINDICTA.

§ I.

1 HAVD facile iraſcendum diſcere licebit à Rhinocerote, qui 1 multa indiget irritatione vt iram concipiat.

ANNOTATIONES.

1. *Haud facile &c.*] Præceptum eſt Apoſtolicum: ſit autem omnis homo Iacobi 1. 19.

tardus ad iram, ira enim viri iustitiam Dei non operatur.

2. *Multa irritatione.*] Quò spectat illud Martialis.

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ.

IVDEX. *Vide* CHARITAS § 9. in Annotatione.

LABOR. *Vide* OTIVM. MAGNANIMITAS § 2. IN ANNOTAT.

§ 1.

HOMINI gnauiter laborandum neque otium cōsectandum docent boues, qui non sibi sed homini terram subigunt, & varia eaque laboriosissima in rem rusticā præstant, onera vehunt &c. vt & equi, quorum etiam, hominum bono in bellis vsus maximus & perutilis. Cameli iumentorum vice funguntur, atque etiā equitatu in prœlijs. Asini, muli, variaque

que animalia homini labore & ſudore
2 operam ſuam præſtant.

ANNOTATIONES.

1. *Homini.*] Cum hominum cauſa laborent iſtæ animantes, quantò eos oportet magis ſua ipſorum cauſa laborare, maximè cum nati ſint ad laborẽ, ſicut auis ad volatum? Et quemadmodum dedit Deus aui plumas atque alas, vt volando ſibi victum conquirat, ſic & homini vires dedit corporis, manus & brachia vt ijs laboret, ſibique ad victum cultumque neceſſaria labore ſuo comparet. Vnde ſicut eſſet volucris illa vita indigna, quæ pro ſuſtentanda tum ſua tum pullorum vita, nollet volandi laborem ſuſcipere, ſic & indignus vitâ cenſendus eſt, qui otio indulget, quique vitæ ſuſtentandæ atque propagandæ nullos vult ſubire labores. Omitto multam malitiam docere otioſitatem, eſſeque illam vt loquitur Bernardus, matrem nugarum, nouercam virtutum, & Caſſiano teſte ab ea innumeras fluere cogitationes prauas: & cũ is qui quolibet alio vitio teneatur, v.

Iob. cap. 5. 7.

Eccleſ. 33. 29.

lib. 2. de conſiderat. in fine.

Collat. 12. c. 3.

C. aua-

c. auaritiæ, ſuperbiæ, aut alicuius è cæteris, ab vno tantum dæmone ad malum ſolicitetur, otioſum à varijs impugnari expugnarique tandem.

2. *Operam præſtant.*] Sed præſtat id
Epiſt. 38 ipſum diſertiſſimis Ambroſij verbis audiamus. Nutrit aries vellera vt placeat homini, atque in fluuio merſatur vt nitorem augeat. Oues quoque meliora pabula legunt, vt ſuauiore ſucco lactis fœta diſtendant vbera, ſubeunt partus dolores vt homini ſua munera ferant. Tauri depreſſo ſulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli præter ſubeundi oneris obſequia tundendos ſe exhibent, vt arietes, quò velut regi diuerſa animalia tributum ſuum conferant, pendantque annuum vectigal. Equus tanto ſe iactans equite glomerat greſſus ſuperbos, atque ad Domini aſcenſũ dorſus ſinuatus herili terga ſubſternit ſedili. Hæc Ambroſius.

§ 2.

TAm ſunt [1] labori addictæ apes, tamque ab otio alienæ, vt nullus illis [2] cum per cœlum licuit,

cuit ocio pereat dies. Primum fauos construunt, ceram fingunt, hoc est domos cellasque faciunt: deinde sobolem, postea mella: Interdiu nonnullæ excubias agunt ad portas more castrorum, nè irruāt vespæ mellis prædones, noctu quies indicitur in matutinum, & silentium quod seruatur exactissimè donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Tunc vniuersæ prouolant, 3 si dies mitis futurus est, ita otiosas odêre atque ignauas vt eas ex alueis proturbent, quin & 4 morte puniant; fucos primos in opera expellunt tardantesque sine clementia puniunt.

ANNOTATIONES.

1. *Labori addictæ*] Hunc apum laborem pulcherrimè descriptum videre licet apud poëtam qui in fine eius descriptionis addit eas adeò pertinaces esse in laborando vt in medijs etiam laboribus occidant. *Homil. 12. ad popul. lib. 4. Georgicor.*

Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attriuere, vtroq; animā sub fasce dedere.

Expendit Chrysostomus commendatque

datque potissimum istum earum laborem, quod ipsæ non magis sibi quam nobis laborent, quod maximè, inquit, Christiani proprium cuius est non sua quærere sed quæ sunt aliorum. Sicut ergo apicula circumuolat omnia prata vt promptam alteri præparet mensam, sic & tu fac homo, siue pecunias congreges, in alios expende: siue doctrinæ verba habeas ne defodias, sed apponas indigentibus in medium, siue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum, vtilis fias; Ac pergit cum ape araneam conferre, atque hanc plurimum licet laboret, viles tamen ait esse eius labores, esseque ipsam ignobile animal, quoniã non alijs laborat, neq; opus eius quidquã nobis prodest, talesque esse ait sibi laborantes, & sese defatigantes sine fructu: cum sit apis animaliũ gloriosissima non tam quod laboret ipsa, quàm quod alijs laboret. Quæ ad charitatem item in cæteros licebit aptare.

2. *Cum per cælum licuit.*] Nam hyeme ab occasu Vergiliarum, (eæ, stellæ sunt in Tauro, quæ & Pleiades dicuntur) ad ver-

vernum AEquinoctium ſeſe in alueis continent, frigoris fuga, reliquo anni tempore ſegnitiam auerſantes diligentiſſimè & laborioſiſſimè operantur, nec quiſquam extra hyemem aut morbum, vel auram minus earum laboribus aptam, videat apem otiari: quin & tunc temporis teſte Plinio excrementa vnũ congeſta in locum egerunt.

3. *Si dies mitis.*] At vnde illa in animalculis iſtis præſagitio? Natura qua docti prædiuinant ventos imbreſque, & tunc ſe continent tectis.

4. *Morte puniant.*] Quamquam Draconis lege qui idem otioſis decreuerat ſuppliciũ, non teneantur, qui quidẽ ea re ab oratore Demade dictus eſt leges ſuas non atramento, at ſanguine ſcripſiſſe. Mitius quidem at pro culpa ſatis in otioſos animaduertebant Athenis Areopagi iudices, qui poſtquam eſſent accuratè perſcrutati vndenam ſe quiſque aleret, atque deſidem agere vitam comperiſſent, eum mulctabant. Sinæ verò otioſos apud ſe non patiuntur ſine dedecore & pœna viuere. Magiſtrati- *P. Iarric T. 2. l. 4. c. 20.*
bus

bus id maximè cordi est vt nemo è suis ciuibus inertia diffluat, quin & eos quibus vt videtur maximè liceret impunè esse otiosis, labore exercent, cæcos quidem in pistrinum dedunt, eos verò qui pedum imbecillitate laborant manibus laborare iubent, atque sic cæteros pro cuiusque viribus ac facultate ad varia adhibent ministeria. Summa, nullum in sua Republica otio volunt esse locum, qua quidem re præstat sanè eorum Respublica vt & apum, quod quidem postremum multò est maioris probri Christianæ Reipublicæ: Quot enim inter nos viuunt fuci, qui inertia atque otio tabescunt? quibus nulla alia cogitatio, opus nullum, quàm vt opiparè idque frequenter ex alieno comessentur? quam vt in omnes atque in eos potissimum qui in potestate sunt maledicam exerant atque exerceant linguã? quam vt libidinibus suis indulgeant? quam vt procacitate sua, dicterijs, nimiaque omnia tum dicendi, tum faciẽdi licentia, alios ad iracundiam, vnde pugnæ, duella, cædesque consequuntur

tur innumeræ, prouocent. Quas quidem Reipublicæ peſtes qui non proſcribit, aut alia ratione mulctat magiſtratus, declarat ſatis ſe tum Reipublicæ quam adminiſtrat non conſulere, tum auguſto iſto nomine multò ſe indigniſſimum facto iſto profitetur.

5. *Fucos.*] Quid ſint ij dictum verbo Furt. § 2. in Annotatione.

§ 3.

LIcet in apibus quædam mellis conficiendi & condendi careāt induſtria, non tamen prorſus otioſè viuunt. Earum enim quædam 2 aquam regi & apibus 3 vetulis deferunt: Aliæ verò mortuas ex alueo efferunt, aliæ nocte excubant, & fauorum ſubſtructiones non ſecus ac paruam vrbem vigilijs tutantur.

ANNOTATIONES.

1. *Careant induſtria.*] Non ſunt tamē iſtæ fuci, neque enim vt fuci fauos corrumpunt, neque melli inſidiantur, ſed ex floribus aluntur etiam ipſæ, & cum alijs euolant ſimulque paſcuntur.

2. *Aquam.*] Ore ſcilicet, & totius corporis

poris lanugine quibus est, aquæ guttas colligentes.

3. *Vetulis.*] Nam seniores apes apud regem ad eius stipationem selectæ permanent.

4. *Mortuas.*] Ijs enim mundos & puros esse fauos oportet, itaque mortuam apem intra alueos fauorum esse nō patiuntur. His porrò docentur Reges ac Principes, vt neminem eorum quibus imperant sese patiantur otio dare, quod ipsum omnium sit malorum seminariū & sentina. Curent itaque diligentissimè vt hi mercaturâ exerceantur, illi agriculturæ cæterisque mechanicis artibus dent sese: Alij ad litterarum studia sese applicent. Efficiant vt vigeat Medicinæ studium, Iurisprudentiæ & maximè Theologiæ, tam eius quæ scholastica dicitur, quam eius quæ sacrarū litterarum intelligentia continetur, atque linguarum Græcæ potissimum atque Hebraicæ scientia ita exigente calamitosissimo isto tempore, quo sectarij nostri linguarum istarum præsidio vno freti (sūt enim ab omni vera Theologia

logia destituti) in sacra scripturarum adyta ausi sunt irrumpere verius quam ingredi. Nobiles vero eosque qui tractandis armis nati sunt, ad bella, etiam ludicris hastiludijs, atque in speciem tantum cum hoste congressibus, summa licet pace comparent. Intelligant denique nullam esse statui suo capitaliorem pestem, quam sit otium, quod quidem tum Romanam euertit Rempublicam, quando hostibus omnibus, Hannibaleque deuicto atq; euersa Carthagine Romani imperij æmula sese vniuersi desidiæ tradiderunt: tum Attalum Asiæ Regem confecit, tum Lucullum Imperatorem fortem effeminauit, tum sexcentos alios in hostium suorum potestatem traditos miserè perdidit. Imitentur potius priscos illos AEgypti reges, qui in insanas illas pyramides toto celebres orbe, & facultates suas, & suorũ ocium impendebãt. Quippe cũ teste Plinio faciendi eas causa fuerit, ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent, aut ne plebs esset ociosa: Eos inquam æmulentur, & lib. 36. cap. 12.

ne plebs otio tabeſcat, vitiorumque rubiginem contrahat, eam quà magnificis templis, quà monaſterijs, quà xenodochijs, quà pijs eius generis exædificationibus, eiuſque otium deuoueat. Quæ verò de regibus atque principibus dicta, hæc eadem in omnes valent qui alijs imperant, vt ſunt religioſarum familiarum rectores ac patres familias, quibus id incumbit vt nullum de ijs quos domi habeant, deſidia, torpore, atque ignauia marceſcere patiantur: & quemadmodum iuxta conſilium ſapiétis, tria debentur ſeruo, panis & diſciplina & opus (ſicut enim iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ, ideò mittendus eſt in operationem ne vacet) ita eadem ſe, proportione quadam ſeruata debere, cæteris domeſticis ſuis ſibi perſuadeant, tum patres familias, tũ religioſorum moderatores, quorum eſt ſuis operationes atque exercitationes ingenuo atque libero homine dignas prouidere.

Eccleſ. 33. 25. 26. 27.

§ 4.

§ 4.

1 FOrmicarum in labore, condendoque in annum messis tempore cibo, quanta sit sedulitas nemo facile exprimat. Silices itinere earum attritos videmus, & in opere semitam factam, operātur & 2 noctu, 3 plena luna. Eædem interlunio cessant. Neque solum sedulæ sunt, sed & animosæ, & fortes; onera enim sese multis partibus maiora 4 gerunt.

ANNOTATIONES.

1. *Formicarum.*] Ad hanc formicarũ sedulitatem laboremque tum considerandum tum æmulandum pigros atque inertes cohortatur Sapiens. Vade inquit ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat: per vias autem vel intelligit opera, vel ipsas vias atque iter quod paulò antè, licet per silices attritum vidimus. commendat autem earum diligentiam quod ea non ab extrinseco aliquo pro- *Prou. 6.*

 ficisca-

ficiſcatur, neque enim ducem habent itineris ſui, vt grues atque oues: neque principem vt apes, neque caſtigatores atque exactores, vt boues & equi, quos etiam verbere ad labores adigunt homines, quod idem hominibus inter ſe vſu venit, quorum alij alios ad laborãdum vrgent, & ni faciant, caſtigant. At nulla rerum iſtarum commouetur formica ad laborem, ſed ſolo id facit naturæ inſtinctu. Quo quidem exemplo nititur ſapiens, tum mortalium cõfundere, tum excitare deſidiam; vt eos pudeat non imitari tam vilis beſtiolæ diligentiam, & vt perpendant quàm ſit indignum, hominem labori natum eique ſubeundo tota natura inſtrumentis membriſque inſtructum, atque ratione præditum, quem etiam & cæterorum exemplis & ſapientum monitis & Dei metu ab otio reuocari oporteret, non ea præſtare, quæ bruta; neque ſibi labore ſuo quæ ad vitam faciunt proſpicere, quod quidem faciunt formicæ.

Neque verò inertibus ſemel modò exemplum iſtud ſpectandum exhibuiſ-

se sapienti fuit satis, idem & inculcat denuo sub istius libri finem. Quatuor, inquit, sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum suum. Emphasim habet quandã illud (infirmus) quasi dicat: licet imbecillo sit corpore, labore tamen assiduo superat naturæ infirmitatem, vt ne quis se forte corporis viriumque infirmitate tueatur, tanquam ab ijs prohibeatur labore sibi, quæ ad vitæ vsum sunt comparare: Quibus significat labori improbo cedere vniuersa, præsertim si in tẽpore sit adhibitus, quod quidem vult nos spectare cum subijcit parare formicam in messe cibum sibi. Id etiam innuit (licet id modò non agamus) mentis magis industria quam corporis viribus, necessaria parari posse, sicut formicæ non robore sibi, verum industria naturalique prudentia prospiciunt. Chrysostomus quodam loco hunc ipsum sapientis locum, Vade ad formicam ô piger, dum explicat, ita ratiocinatur. Non vis, inquit, ô piger

Prou.30

Hom.12. ad popul.

ex ſcripturis diſcere quod bonum eſt operari, & quod non operans neque manducare debet? non vis à doctoribus hoc audire? diſce hoc à brutis. Sic & in domibus ſæpe facimus. Maiores & qui videntur eſſe præſtantiores cum peccauerint, puerulis ſolertibus attendere exhortamur dicentes. Reſpice minorem te, quam eſt induſtrius & ſolers. Et tu igitur ab hoc animali maximam cape ſedulitatis exhortationem. Hæc ille.

2. *Noctu.*] Inſtar ſedulæ fortiſque il-
Prou 31 lius mulieris de qua ſapiens: Non extinguetur in nocte lucerna eius; vt ſcilicet etiam tunc, alijs ſcilicet quieſcentibus, aliquot horis incumbat operibus domeſticis: Itaque manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Fortis nãque eſt animi, non ſolum interdiu ſed etiam noctu, dũ ſomni capiendi tempus eſt, labori vacare, eo fit vt rara ſit mulier quæ id præſtet, mulierem enim fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius, cum tamen de formicis nul-

nulla ſit quæ non noctu laboret.

3. *Plena luna.*] Quod aſſecutus ſit homo ſyderum rerumque cœleſtium cognitionem, atque intelligat quando plena luna, quando noua, id quidem nō eſt mirum: Id verò permirum eſt in formicis quæ neque cœlum ſuſpiciunt, neque digitis dies menſis numerare poſſunt, hoc tamen ipſis naturæ eiuſque authoris liberalitate impertitum videmus vt menſis primo quoque die pedem domo non efferant.

4. *Gerunt.*] Quod morſu ab ijs fieri ait Plinius. Maiora autem onera auerſæ poſtremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Quæ autem vel geſtatu (teſte Plutarcho) vel importatu difficiliora ſunt, arroſa partiuntur prius, ac geſtabile pondus in plurimos diſtributum reddunt. *lib. 11. cap. 30.* *De induſtria animalium.*

§ 5.

OMnibus per vices bono publico laborandum, neque quemquam oportere otio ſtertere docent grues, quæ excubias nocturnis temporibus, viciſſim habere ſolent,

 dum

dum enim cæteræ dormiunt, aliæ in orbem circumlustrant & obeunt dormientes, vt sic tutæ sint ab insidijs impetuque hostium. Exacto deinde vigilandi tempore sibi præstito, quæ vigilauit, emisso clangore aliam excitat, quæ sibi in isto munere succedat, ipsa interim cubitum concedente.

ANNOTATIONES.

1. *Excubias.* Has sic habent, lapillum pede sustinent, qui laxatus somno & decidens, casu suo tum indiligentiâ coarguat, tum eas excitet. Inuehitur hic Ambrosius in eos qui in excubando operam suam non exhibent, nisi ægrè admodum: Homines, inquit, quam inuiti subeunt vigiliarum munia, quam ægrè vnusquisque in castris periculum sortitus excubat, quod tuendum sibi regali præceptione committitur. Proponitur pœna desidiæ, & tamen plerumque obrepit incuria, non seruantur excubiæ. Necessitas enim quæ imponit obsequium affert plerumque fastidium: Nihil enim est tam facile quin habeat difficultatem si facias inuitus. Hæc ille.

Lib. 5. Hexam cap. 15.

Quæ

Quæ mihi confer cum gruibus, qui iniussi & voluntate suum gregem custodiunt, & quæ ei custodiæ præstandæ excitatur, libens munus suscipit, nec more nostro pigrior somnum excutit, sed impigrè surgens vicem rependit, & quam accepit gratiam, pari cura atque officio repræsentat. Quod autem de excubijs dictum est, idem de laboribus cæteris accipiendum est, à quibus se immunes cũ velint mortales plerique, ijdem tamen sibi volunt eos à cæteris bono suo suscipi, in quos valet illud de Psalmis. In labore hominum non *Psal. 72. 5.*
sunt & cum hominibus non flagellabuntur: eò quod cæterorum viuant laboribus, sudoribusque sustententur, ipsi omni opere atque molestia soluti: Sed *Bernard. in declamatione.*
videant nè qui cum hominibus non flagellantur in ista, cum dæmonibus flagellentur in altera vita, & cum ijsdem in gehenna crucientur: labores enim, flagella atque tribulationes effugiet nemo, aut hic, aut inposterum subeũdæ, cũ quem diligit Deus castiget, *Hebr. 12.*
flagelletq; omnẽ filium quem recipit.

LAVS

§ I.

LAVDANDVM Deum [1] docent cum animantes omnes, tum in ijs [2] aues potiſſimum, & inter eas maximè, quæ cantãdi præſtant ſuauitate vt [3] luſcinia.

ANNOTATIONES.

1. *Docent animantes.*] Quia ipſæ modo ſuo Deum laudant, multò igitur magis ab homine laudandus eſt Deus. Quin & res vniuerſæ in eiuſdem laudes incumbunt: Atque hinc factum vt pueri illi in fornace conſtituti non animantes modo, ſed & omnes creaturas prouocarent ad benedicendum Deo: Quemadmodum autem ab his benedicitur Deus, cum rationis, vocis, atque ſenſus ſint expertes, ita explicatur à Hieronymo. Omnis inquit creatura nõ voce ſed opere laudat Dominum, quia ex creaturis conſequenter Creator intelligitur, & in ſingulis operibus & affectibus, Dei magnificentia demonſtratur.

Daniel. 3.

Quo-

Quoniam igitur rerum conditarum intuitus ad eius qui eas condidit tum potentiam, tum ſapientiam, tum perfectionem, tum pulchritudinem, tum bonitatem intelligendam, mortales quaſi manu ducit, ideo dicuntur res omnes creatæ laudare Deum. Quod idem etiam ſentit ac diſtinctius ob oculos ponit Gregorius Theologus. Omnia, inquit, Deum laudant & inenarrabilibus, & mutis etiam; vt ita dicam, vocibus Deum glorificant. Namque pro his omnibus gratiæ à me aguntur Deo, atque hoc pacto mea laus qua Deum ego laudo propter illa, ipſorum quoque laus efficitur, dum ab illis ego laudandi occaſionem accipio.

2. *Aues.*] Quæ Ambroſij ſenſu antequam ſe in nidos ſuos abdant, canoro occaſum diei carmine proſequũtur, ne immunes abeant gratiarum, quibus Creatorem ſuum omnis creatura collaudat, quæ eadem fuit cum Ambroſio beati Franciſci ſententia, qui cum per Venetas paludes inambulans maximã auium multitudinem reſidentium, atque

lib. 5. Hexam. cap. 14.

Bonauẽt. vitæ eius cap. 8.

que in virgultis concinentium inueniſſet: laudant (inquit ad ſocium ipſe) ſorores aues (ita enim viro ſanctiſſimo etiam bruta appellare viſum, ratione communis nobiſcum beneficij creationis) conditorem ſuum: Quemadmodum autem eius iuſſu cōticuerint omnes dum ipſe cum ſocio canonicæ precationis penſum perſolueret, quo perſoluto, eiuſdem nutu cantum inſtaurarint; Vide diuum Bonauenturam. Sed mirabile eſt quod in iſto genere habetur in vita planè admiranda patris Ioſephi Anchietæ è Societate Ieſu. Manarat (inquit Hiſtoricus) de Ioſepho in vulgus fama, ipſum ſolitum cum iter faceret, porrecto brachio auiculas acceſſere, iubereque ſibi digito inſiſtere, ac Deum laudare, aueſque illi obtēperare ſolitas, & cum diu ceciniſſent, quaſi ipſarum penſo perſoluto, eas verbis illis dimittere. Quando ſat Deum laudaſti abi cum pace.

Sebaſt. Beretarius l. 3. pag. 157.

3. *Luſcinia.*] De qua operæ pretium eſt afferre quæ ſcripta à Plinio, quā dicit non in nouiſſimum dignam miratu

Lib. 10. cap. 29.

auem

auem. primùm tanta vox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in vna perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus, & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato, interdnm & secum ipse murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extensus, vbi visum est vibrans, summus, medius, imus. Breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormẽtis ars hominum excogitauit. Visum iam sæpe iussas canere cepisse & cum symphonia alternasse. Hæc Plinius.. Quibus id addi potest ista omnia auiculis istis à Deo data, vt suas concinerent laudes, non tantum eo sensu, quod iucũda ista vocum suauitate atque mirabili varietate eos qui audirẽt ad Dei laudes prouocent (quis enim tunc tamque suaui concentu piorum sensus, qui in Deũ motus qui cordis iubilas?) verum etiã vt ab ijsdem eædem Dei laudes, quasi
verè

verè & propriè canerentur: Quemadmodum enim tibias dicimus atque organa Dei laudes ſonare, quas quidem non intelligunt, quoniam id ſonant & referunt quod eſt in mente eius qui eas inflat atque ſpiritu ſuo animat, & arte percutit: ſic & id Luſciniæ concinunt quod in mente atque voluntate eſt ſũmi illius opificis, qui ijs tum organa ad vocis ſuauitatem apta, tum muſicæ ſcientiam, tum varias iſtas artificeſque argutias impertijt: ſummus autem opifex ab omnibus vult laudes ſuas prædicari, ſilentio quidem à mutis, vt modo dictum ex Gregorio, vocaliter autem à vocalibus.

Tam eſt autem luſcinia cãtus, Deique laudum amans, vt (quod obſeruatum ab Ambroſio eſt) etiam noctu occinat, atque vt loquitur ipſe, peruigil cuſtos cum oua quodam ſinu corporis & gremio fouet, inſomnem longæ noctis laborem, cantilenæ ſuauitate ſolatur, qua quidem nocturna modulatione ſæpe falli contingit viatores eos qui ruri hoſpitantur, hi namque ex eius

cantu

cantu auroram iam aduenisse suspicati, è strato surgunt cum frequenter vix media nox aduenerit. Quemadmodum verò nocturnus hic lusciniæ cantus religiosos illos, qui sunt chorum professi, tum doceat, tum verò acriter stimulet, ad impigrè noctu surgendum Dei laudibus concinendis, superfluum est indicare.

LIBERALITAS. *Vide* AVARITIA. ELEEMOSYNA.

LIBIDO. *Vide* VOLVPTAS, LVXVRIA.

LVXVRIA.

§ 1.

EIVS fugam docent tum leo, tum aquila quæ 1 à cadaueribus se abstinent.

ANNOTATIONES.

1. *Cadaueribus.*] Quid aliud est scortum quàm cadauer, si enim omnis homo putredo & filius hominis vermis, quid

Prou.6. 26. quid erit meretrix quæ inter homines
Eccles. 9.10. despicatissima est? cuius pretium vix est vnius panis? quæ quasi stercus in via digna est ab omnibus prætereuntibus conculcari?

§ 2.

FVgiendam mulieribus luxuriam doceant equæ, ne ijs sint similes quibus inter brutorum fœminas, maximè [1] libido dominatur, cum solæ de bestijs, licet ventrem ferant, se cognosci patiantur.

ANNOTATIONES.

1. *Libido dominatur.*] Vnde mulieres libidinosæ, equæ vocari solent ab ijs qui grauiori eas contumelia appetunt.
Eccli. 36.23. De mulierum verò libidine ita Sapiẽs: omnem masculum excipit mulier, quia tam est in libidinem prona vt ei nihil curæ sit quis aut qualis sit vir, pulcher an deformis, stultus an sapiens, dummodo vir sit; cum enim sit mulier, paruo prædita ingenio, careatque solidis illis quæ à literarum studio, ab administratione Reipublicæ, à sapientia, à re aliqua fortiter gesta oriuntur voluptatibus

tibus, totam ſe ad carnis atque ventris voluptates effundit, eaſque auidiſſimè conſectatur. Vide Baſilium in Conſtit. cap. 4. qui ait mulierem propter conſilij imbecillitatem, & maiorem quandam ad libidinem procliuitatem, facile viri libidine commoueri.

§ 3.

LVxuriæ libidiniſque pœnã doceat ſargus piſcis, qui cum capras vehementiſſimè amet, vbi earum ſecundum littus paſcentium, vel vmbra ſola apparuerit, ad eas ſummo ſtudio adnatat vt eas contingat, cuius rei piſcatores conſcij [1] caprina ſeſe pelle induunt, quorum vmbra in littore maris à ſargis conſpecta, ij mox ad eã tanquam ad capras accurrentes facilè à piſcatoribus [2] capiuntur.

3. Eadem libido pernicies eſt ſcaris item piſcibus, quorum eſt cupiditas in fœminas inexplebilis, è quibus captam vnam aliquam [4] circumducere ſoliti ſunt per mare piſcatores, ad quam cum ſcari omnes libidinis ardore ſtimulati cõcurſent, eamque inſequantur, eos ad

insidiarum locum sensim deductos (ad nassam scilicet quam fœmina primum ingreditur, tum cæteri omnes) facile comprehendunt, atque de ijs pœnas eiusmodi furentis libidinis sumunt: Quæ eadem libido exitium est item capitonibus, qui fœminam à piscatoribus captam, atque per mare pertractã cum depereant, atque insequãtur magno numero eorũ retibus concluduntur.

ANNOTATIONES.

lib. 1. cap. 23. 1. *Caprina &c.*] Addit AElianus, solitos etiam piscatores farinam caprino iure madefactam, in eam maris partem spargere vbi habitare consueuerunt sargi: quibus tanquam philtro quodam odoris allectati accedunt, farina vescuntur, & pellis assimilatæ capræ conspectu permulcentur.

2. *Capiuntur.*] Quemadmodum libidinosi instar sargi capiantur libidine sua, eaque pereant: optimè Alciatus quodam Emblemate.

Villosæ indutus piscator tegmine capræ
Addidit vt capiti cornua bina suo,
Fallit amatorem stans summo in littore sargum;

In

In laqueos simi quē gregis ardor agit.
Capra refert scortum, similis fit sargus amanti,
Qui miser obscœno captus amore perit.

Obseruandum porrò tum in isto sargo, tum in cæteris, non frui eos re amata, sed eam tantum insequi irrito conatu: sic & libidinosis frequenter accidit vt amoribus suis non potiantur, quamquam ad id nihil intentatum reliquerint, nullosque non susceperint & verò superarint labores. Et quemadmodum sargus cæterique illi pisces, quamquam libidinem non expleant, pereunt tamen, sic & voluptuario solum libidinis votum etiam opere non consecuto animi perniciem affert: qui enim viderit mulierem ad concupiscēdam eam, iam mœchatus est eā in corde suo. *Matt.6.*

Et: propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Non, inquit, propter rem tantum aut opus nefariū, sed propter solam mulieris speciem obiectam oculis animoque concupitam *Eccl. 19. 9.*

multos contigit æternùm perire. Quin & ab ipso dæmone inijciuntur frequẽter impedimenta quo minus quam sequitur libidinosus voluptatem eam cõsequatur, satisque est nonnunquam dæmoni vt eum obscæno intuitu, prauis desiderijs, morosisque cogitationibus ad peccandum pertraxerit, quibus quidem cum illum sibi subiecerit, Deoque inuisũ effecerit, non adeo sollicitus est vt pergat porrò ad opus, cuius voluptatẽ, turpem licet atq; fœdã & cum peccato coniunctam, inuidet veterator ille homini, tam est vehemens eius in mortales odium: Quod quidẽ non attinet modò probare, cũ id fusè varijs tũ

Die 2. c. 12. & 13. priscæ, tũ istius memoriæ exemplis sit à nobis in Triũpho Castitatis præstitũ.

3. *Eadem libido &c.*] Vide mihi possit nè expressius esse simulacrum libidinosi qui fœminarum turpi amore captus perit, quam sint isti scari. Circumducunt dæmones piscandi admodum periti fœminam meretricem, ornatu meretricio præparatam ad decipiendas animas, quæ non modò sui intuitu & spe-

ſpecie (quod ſolum facit ſcarus fœmina) ad ſe vecordem rapit iuuenem, ſed & varijs amoris illicijs quæ refert ſcriptura, ita vt is tandem multis irretitus ſermonibus, & blanditijs tractus labiorum, ſtatim eam ſequatur quaſi ſcarus ad naſſã in qua certiſſimè pereat, vel vt loquitur ſacer textus, quaſi bos ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens (qui quando ducuntur ad victimam aut ad macellũ iugulãdi, ſeſe putãt duci ad præſepe paſcẽdos) & ignorat quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius, velut ſi auis feſtinet ad laqueum (cum ſe exiſtimet ad eſcam conuolare) & neſcit quod de periculo animæ illius agitur. Sed dignus miſeratione ſcarus quod neq; naturali ſuæ appetitioni, qua in ſui generis fœminam fertur moderari, neque quod ei captiuitatis atq; mortis immineat periculum præuidere poſſit. Tu verò qua dignus es miſeratione aut venia, qui & libidinẽ tuam Dei adiutus præſidio vique illata tibi comprimere vales, neque quo te ea miſeriarum ſi ei obſequeris deducat,

Prou. 7. 21.

ignoras. Scarum nemo monuit vnquã, ſibi vt caueret, nemo latere ſub illa voluptate quam conſectaretur inſidias, atque adeo certum interitum edixit: Te verò quis non monuit? quis tibi non edixit abditum ſub melle iſto venenũ? Quis non te magnis clamoribus à periculo iſto, quod à mulieribus eſt, reuocauit? Quoties id conſcientia tua, quoties Deus, & cœlites, quoties mortales, quoties publica eorum ſupplicia, qui voluptati iſti ſe ſubdiderunt? quoties id ſacræ literæ tum priuata lectione, tum concionatorum voce præſtitere? id neque præſtitere modò, ſed idẽ
Prou 7. 24. 25. 26. 27. ipſum præſtant aſſiduè. Audi quam te hoc ipſo tẽpore tum blando, tum efficacitatis pleno ſermone cõpellat Salomon. Nunc ergo fili mi audi me, & attende verbis oris mei, ne abſtrahatur in vijs illius mens tua, neque decipiaris ſemitis eius, multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Viæ inferi domus eius penetrantes interiora mortis.

Vide igitur quot partibus ſis virtute,

ſcaro,

ſcaro, cæteroque piſciculorum iſtorum genere inferior. Atque pudeat ſi modò tibi boni adhuc ſanguinis guttula ſuperſit, te hominem vehementiore in fœminas œſtro quam ſint bruta ipſa percitum.

4. *Circumducere.*] Quemadmodum id fiat, qui diſtinctius adhuc requirit, conſulat AElianum. *lib. 1. cap. 2.*

MAGNANIMITAS. *Vide* VINDICTA.

§ 1.

IN canibus elucet quædam 1 animi generoſi & clementis ſimul ſpecies, nam ſtatim vt ſe demiſit is quem petunt, ardorem remittunt: neque enim qui humi ſe deijcit, amplius inuadunt: Verum eximium eſt in hoc genere quod de Indico quodam cane, Alexandro oblato narratur, qui cum in arenam certandi cauſa productus, atque contra eum primum eſſet ceruus, tum aper,

 deinde

deinde vrsus emissus loco suo non se mouit, eos despiciens quasi congressui viribusque suis impares: at vbi leonem in medium productum conspexit, tum momento excitatus pedibus arenam sparsit, iracundia æstuans, ac veluti si cum iusto hoste ac se digno antagonista sibi dimicandum foret, eum sine mora intrepidus inuasit, atque acerrima comprehensione leonem constrictũ tenens, illiusque fauces premens suffocauit. Venatici quoque canes non paruam generosi dant animi significationem, cum leporem quem insequuntur, exanimem nimio cursu non attingunt, adstant autem tantum ei cauda gesticulantes, dominumque suum opperientes, quasi non prædæ sed virtutis ergo sese certasse continentia ista ostẽdant.

Granat. parte I. symbo. c. 22. §. 1. Ad hanc denique animi magnitudinem spectat quod narratur de quodã leporario cane, cui cum esset importunis latratibus molestus catellus, neque desisteret ab eo insequendo atque aggrediendo, his tamen nequaquam cõ-

motus

motus eſt, at generoſè & patienter catuli clamores atque impetus 3 diſſimulatione ſumma pertulit, donec eius improbitate victus tandem de ea conſtituit ſupplicium ſumere: ſed vide quẽadmodum ne in vindicta quidem generoſitatis ſuæ obliuiſcitur. Rem planè ſe indignam facturũ arbitratus, ſi ſe armaque ſua tam humilis aduerſarij ſãguine tinxiſſet, eum pilis correptum proximæ aquæ immergit, immerſũque tamdiu tenet donec ſuffocaretur.

ANNOTATIONES.

1. *Animi generoſi.*] Errant qui iniuriam condonare aut non vindicare puſilli eſſe animi argumentum volunt, quos non ſacræ modo litteræ ſed & prophanæ erroris arguunt. Magni, inquit Seneca, animi eſt iniurias deſpicere. *lib. 2. de Ira c. 32 & cap. 34.* Puſilli hominis & miſeri eſt repetere mordentem: mures & formicæ ſi manũ admoueris, ora conuertunt. Atque idem dilaudat Catonem quem cum in balneo quidam percuſſiſſet imprudens, poſtea ſatisfacienti, non memini inquit percuſſum me. Iuuenalis verò in eandem ſententiam. *Quip-*

Quippe minuti
Semper & infirmi est animi exiguique
voluptas
Vltio.

Quod quidem in mulieribus, in pueris, in ſenibus, in ægris, aut alia ex cauſa malè affectis patet, qui vt ad iracũdiam, ſic & ad vindictam proniores exiſtunt: ſed de his fuſiſſimè in noſtro Puncto Honoris.

De industria animalium. lib. 8. cap. 1.

2. *Suffocauit.*] Ita ferè Plutarchus quæ vberius adhuc narrantur ab AEliano & maiore generoſioris animi ſignificatione, quæ breuitati conſulens omitto, quamquam lectu digniſſima.

Eccleſ. 7.22.

3. *Diſsimulatione.*] Iſtam diſſimulationem nobis non tantum canis iſtius exemplum perſuadet: ſed & Sapiens etiam: cunctis ſermonibus qui dicuntur (inquit) ne accommodes cor tuum: quaſi dicat multa diſſimulanda ſunt tãquam non audita, multa aure ſurda prætereunda, ſi cum hominibus pacem tenere deſideras: atque in multis quaſi inſcium viuere oportet vt alibi monet idem. Magna ſanè eſt prudẽtia quæ nõ

Eccl. 32 12.

modò priuatos homines deceat, verum & eos qui in poteſtate ſunt conſtituti, in loco & tempore atque iniurias potiſſimum & contumelias diſſimulare. Quo nomine celebratur à ſacris litteris Saul Rex, quem cum filij Belial deſpexiſſent (nũ ſaluare inquiebãt nos poterit iſte?) neque attuliſſent ad eũ munera, ille prudẽter diſſimulabat ſe audire. 1. Reg. 10. 27.

§ 2.

1 EQui bono loco nati & bene educati quanta ſit animi magnitudo quotidie eſt in oculis, eamque fuſe deſcribit poëta, Plinius, Ariſtoteles atque alij. De Bucephalo quidem id conſtat eum [a] neminem alium quam Alexandrum cum eſſet regio inſtratus ornatu recepiſſe in ſedem: quod ſi alij id conarentur aut propius accederent, ingenti hinnitu occurrere inſultareque, ac niſi cederent, fugâque ſibi conſulerent eos etiam protereꝛe ſolitum: cum autem nudus eſſet, cõſcendendum ſe etiam equiſoni dediſſe, cumque Thebarum oppugnatione vulneratus eſſet, in alium tranſire Alex- lib. 3. Georgic.

andrum

andrum non esse passum.

ANNOTATIONES.

1. *Equi.*] Eius magnanimitatem ag-
Iob. cap. noscunt item ac prædicant sacræ litte-
39 24. ræ maximè istis verbis: Terram vngu-
25. la fodit, exultat audacter, in occursum
pergit armatis: contemnit pauorem,
nec cedit gladio: super ipsum sonabit
pharetra, vibrabit hasta & clipeus &c.
Magna profectò eius animi fortitudo,
qui non cedat gladio micanti licet at-
lib. 6. que in se vibrato, nam teste Plinio, vel
cap. 16. tunc maximè, cum leæna pro catulis
fœta dimicat, oculorum aciem defigit
in terram, ne venabula expauescat.
Equus verò gladium non modò non
expauescit, at ipse micantis gladij ful-
gore allicitur potius ad pugnam, eique
sponte occurrit.

2. *Neminem quam Alexandrum.*] Es-
se iustos Dei equos patet ex illo Daui-
dis, vt iumentum factus sum apud te,
Vide in- & ex Apocalypsi: regius eorum orna-
terpretes
in ca. 62 tus est Dei gratia, quouis auro pretio-
sior: quo dum nitent atque fulgent, dæ-
monem eos sessorem admittere nefas
est:

est: quod si id faciant, se ratione minus quam brutum istud valere fateantur necesse est. Hanc autem eandem eorum cæcitatem castigat item facto suo equus alius nobilis cuiusdam viri, quo solo eius vxor mansueto vtebatur, quem cum Ioanni summo Pontifici postea & glorioso Martyri Constantinopolim contendenti vir ille nobilis ad Corinthum itineris causa commodasset, eundemque pontifex alium nactus ad Dominum remisisset, ita is ferox euasit atque indomitus, vt à se deinceps semper tum fremitu, tum corporis totius agitatione dominam suam excussserit, quasi duceret indignum eidem tergo mulierem insidere quo Christi Domini Vicarius insedisset. Cæterorum porrò tam canum quam equorum, atque leonum (de qua sequenti paragrapho) magnitudo animi ad eamdem in ijs quæ tum cuiusque propriam, tum aliorum salutem diuinamque gloriam spectant exhibendam hominem prouocat, atque ad magna audenda suscipiẽdaque pericula vehementius sollicitat:

Greg. l. 3. dial. cap. 2.

ho-

hominem, inquam, qui quantum Deo debeat probè intelligit, quem quanti ſit æterna ſua ſalus momenti minimè latet, qui virtutis dignitatem & meritum, qui animorum, quos Chriſto laboribus ſuis conquiret pretium non ignorat: Quo equo, quo leone generoſiorem nõ eum eſſe oporteat, qui ſe norit generoſitate ſua, fortique aduerſus dæmonem carniſque blanditias, atque mundi inuitamenta dimicatione, magnum gloriæ cumulum in cœleſti beatitudine adepturum? Quis pauidus pericula, labores, itinera longinqua atque moleſta recuſabit, qui ſe ijs Dei gloriam propagaturum animoſque quæ extra omne pretium ſunt dæmonis faucibus erepturum probè intelligat? Quis denique ſe ipſe ferat leone, equo aut cane inertiorem? canis quidem leonem ſe multis partibus fortiorem aggreditur: tu dæmoni leoni (ita ſit) ſed Dei gratia multò te imbecilliori ignaue cedes atque victas dabis manus? Equus minacem gladij fulgorem, exertamque aciem non reformidat, quin & ea conſpecta

ſpecta excitatur magis; tu vel gladij vmbram minimamque quæ ſeſe in Dei obſequio offerat moleſtiam extimeſces, inſtitutamque virtutis viam imbecillitate nimia deſeres? Leo denique, vt demonſtrabitur proximè, venatores caneſque ſe magnis vocibus allatrantes atque inſequentes contemptui habet, nec magnopere curat neque eo timore prohibetur, quo minus ceptam pergat viam: Tu piger, tu ignaue, tu puſillanimis, dicis: leo eſt in via, & leæna in itineribus, in medio platearum occidendus ſum. Itàne prætexis pericula ac difficultates in ijs quæ ad animi tui ſalutem pertinent, quæ aut nullæ aut exiguæ ſunt? Quam multo ijs maiores & tuliſti quondam, & fers modo, vt mũdo & libidinibus tuis, vt animo tuo obſequaris? cur trepidas timore vbi non eſt timor? cur denique te brutis inferiorem eſſe vis, in quibus in medijs etiam periculis, vulneribus ac cædibus timor nullus, ſed ſecuritas ſumma, conſtantia ſumma conſpicitur.

Prou. 22. 13. Prou. 26, 16. Pſal. 13 5.

§ 3.

§ 3.

EAm doceat item leo cuius animi magnitudo maximè in periculis deprehenditur, quandoquidem hostium ipse spernens tela, diu non armis alijs sese quam terrore quem ijs incutit tuetur, ac veluti se ad vindictam cogi testetur, eam diu differt quã neque capit vt sese periculo eximat, quod timidioris esset animi, verum vt iracundiæ suæ obsequatur. Illa autem nobilior animi significatio, [1] quamlibet magna canum & venantium vrgẽte vi, contemptim restitansque cedit in campis, nec fugit eo loco quo videri potest: idem vbi virgulta siluasque penetrarit atque extra conspectum euasit, acerrimo cursu fertur, velut fugam & absconsionem turpem reputans.

ANNOTATIONES.

1. *Quamlibet magna canum &c.*] Atque huc alludere videtur Seneca, cum ait illum verè nobilem & magnum esse, qui more magnæ feræ latratus canũ securus exaudit. Quo quidem docentur homines ij, qui se generosos atque mag-

lib. 2. cap. 32.

magnanimos esse volunt, vulgi de se ineptos & cõtumeliæ plenos sermones non curare, neque ea re ab instituto virtutis cursu desistere: verba sunt, quæ in tenues abeunt auras, quæque leui vẽto, momento exportata disparent. Eorum est imitari Fabium illum cognomento Maximum qui cum vulgò deri- *Plant in Apo pht.* deretur quod cum Annibale congredi nollet, sed cunctatione eius exercitum, pecuniæ atque annonæ indigentem dissoluere quæreret, cumque Annibalis pædagogus passim audiret, quod eum per aspera montuosaque loca persequeretur, ipse contumelias istas parui pendens, consilijs suis sese regebat, amicisque suis dicere solitus erat: Qui derisiones, conuiciaque metueret, eum sibi timidiorem videri, quàm qui hostes fugeret.

§ 4.

SEd nihilnè de Aquilæ volucrum reginæ animi excelsitate? Vide quæ infra afferentur verbo Parẽtes § 4. ex AEliano, quibus adde eam, vltionem in nidi violatorem quadam

animi generoſitate & clementia moderari, neque enim ad ſumendum de eo ſupplicium roſtro vtitur, ſed moderatius alis verberat. Neque illud paruum eſt excelſi eius animi argumētum quod pullorum ſuorum ingenuitatem legitimam, & num ſint ſe dignæ proles incorrupto [1] explorat iudice. Eos enim adhuc implumes ac ætate infirmos ſolem intueri aduerſum cogit, ac ſi quis eorum ſolis radios ægrè ferens, nictat oculis, nido expellit, & tanquam illegitimum abdicat, ſin ſolem ſine nictatione reſpiciat, extra ſuſpicionem eſt, atque pro legitimo educatur. Quid quod cornices quibus conſuetum eſt Aquilas irritare atque inſectari, contemnant & deorſum ferri ſinant, ipſis interim [2] ſuperna petentibus, atque [3] iniuriam diſſimulantibus. Si tamen ab incepto non deſiſtant cornices, tūc correptas vnguibus, lacerant. Huc ſpectat quod [4] cadauera non guſtent, niſi fortè eius animalis quod confecere, quæ quidem res ad magnitudinem quandam animi pertinere videtur, qua-

ſi

ſi iudicet facto iſto id ſuam dedecere regiam maieſtatem. Et cum cæteræ volucres ferè noctuam impetant, ſeu eius formidine, ſeu rei nouitate captæ, Aquila tãquam id dignitati ſuæ minus congruat, nihil ea viſa commouetur. Denique multò ſe & maiora & validiora animalia & aggreditur & expugnat, vt [5] ceruos [6] tauros, &c.

ANNOTATIONES.

1. *Explorat.*] Quo quidem facto generoſam ſuam teſtatur indolem, dum mauult propriæ prolis pati iacturam, quam eam probare, proque ſua agnoſcere in qua paternæ virtutis indicia nõ ſe prodant. Præclaro ſanè pijs parentibus documento quo pignora ſua parũ curare paruique ducere docentur niſi eorum virtutes æmulentur, pietatemque colant, & niſi in Deum verum ſolem obtutum defigant, ſuamque vitã ad eius præceptiones ac voluntatis nutum in omnibus effingant. Quod ſi id minus parentes, volucris huius edocti facto præſtabunt; audient ſaltem ſpero Sapientis conſilium, cuius iſta eſt ora-

Eccl. 16. 1. 3. 4. tio. Ne iucũderis in filijs impijs ſi multiplicentur, nec oblecteris ſuper ipſos ſi non eſt timor Dei in illis. Melior eſt vnus timens Deum, quam mille filij impij. Et vtile eſt mori ſine filijs, quàm relinquere filios impios.

Hoc eodem facto erudiuntur parentes vt ab omni perſonarum acceptione inter proles ſuas ſeſe abſtineant, neque eas vehementiore complectantur amore quæ ſui ſunt exteriore ſpecie ſimiliores, aut quæ ſibi corporis, morum, humorumque conſenſione magis congruunt, aut quæ ratione alia quauis minus probabili præ cæteris magis placẽt: Sed amorem quo in eas feruntur, ex earum virtute, ex fixo ſolis intuitu, ſi Deum in omnibus ſpectent, ſi eius ſeſe gaudeant, orando, commentandoque ſiſtere conſpectui, metiantur. Vide quæ de iſta re dicta ſunt verbo Acceptio perſonarum.

2. *Superna petentibus.*] Quod quidem non cornicum formidine agunt (qui enim hoc exiſtimet, Aquilæ indolem ignoret, neceſſè eſt) ſed potius inſita quadam

quadam generositate, qua cornicis infra se volantis lapsum non ægrè patiũtur, vt author est AElianus.

3. *Iniuriam dissimulantibus.*] De ista iniuriarum dissimulatione, vide § 1. in Annotatione numero 3.

4. *Cadauera non gustent.*] Quomodo igitur dictum à Christo est: Vbicumque fuerit corpus seu cadauer illic congregabuntur & Aquilæ vt eo scilicet pascantur. Censet Chrysostomus illud de Vulturibus accipiẽdum qui & subaquilæ latinis dicuntur, quia degeneres & dubij inter Vultures & Aquilas generis. Vide Aristotelem qui ait Aquilas quæ cadauera sectantur, Vulturinas esse & vulturis speciem referre. Hinc porrò patet quam sit Aquila animi magnitudine inferior is qui in Deũ peccat, cuius quotidianus cibus sunt opera mortua, ita enim peccata nuncupantur ab Apostolo. Sed quid aliud quam cadauer dixeris meretricem, qua voluptatis famem exsaturare (at frustra) conantur insani & turpes amatores? Cadauer inquam, siue quod diui-

Matth. 24. *Hom. 49 in Mat.* *lib. 9. Hist. c. 32.* *Hebr. 9. 14.*

næ gratiæ ſpiritu careat, quæ ipſius animæ vita eſt atque anima; ſiue quod tũ Deo, tum ſanctis Angelis, tum ijs quorum ſpiritualis eſt atque ſublimior odorandi facultas, oleat grauiſſimè. Atque ob hanc fortè cauſam confertur mulier fornicaria cum ſtercore in via, à quo vniuerſi vultum auertunt ne fœtore grauentur. Et ad rei naturam accõmodatiſſimè vulgari noſtro ſermone meretrix vocatur *charogne* .i. cadauer.

Eccl. 9. 10.

lib. 10. cap. 4.

5. *Ceruos.*] Author Plinius, nam multum puluerem in volutatu collectũ, inſidens ipſorum cornibus excutit in oculos, eius ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet. Obſerua hic obiter dæmonis artes (cuius typum gerit Aquila ob rapacitatem & ſuperbiã) qui quos aggreditur, primum obiecta voluptatum dulcedine, alijſque modis excæcare nititur, vt ſic miſeros tandem in ſcelus omne præcipitet.

6. *Tauros.*] Vide AElianum iſtud fuſius deſcribentem.

MAN-

MANSVETVDO. *Vide* CLEMENTIA.

§ 1.



ANSVETVDINEM docet leo, qui quamquam ita ſit natura ſæuus, ſi tamen à primis annis cicuretur tum [1] manſuetiſſimus euadit, tum eius ſit occurſatio facillima & iucundiſſima, luſionibus delectatur, & quiduis modò id ſuo alteri gratum eſſe ſentiat libẽter ſuſtinet. Habuit [2] Hanno Cartaginenſis leonẽ quo [3] vehendis ſarcinis vteretur, vnaque cum Berenicè manſuefactús leo viuebat, tanquam vnus ex comptoribus, linguaque eius faciei blãdiebatur, ac leniter abſtergens ac complanans rugas demulcebat, cum eaque in menſa conuiuebat, humaniter & aptè comedens. Onomarchus Catanæ tyrannus & Cleomenis filius etiam leones habuerunt conuictores.

ANNOTATIONES.

1. *Manſuetiſsimus.*] Vide verbo Clementia. § 4. in Annotatione, quid

hinc moribus formandis discere liceat.

2. *Hanno.*] Erat hic è clarissimis Pœnorum, inquit Plinius, qui primus hominum, leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuefactum, qui & dãnatus illo argumento fuit, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenij (quo & leones cicurasset) videbatur, & malè credi libertas ei cui in tantum cessisset etiam feritas.

3. *Vehendis sarcinis.*] Marcus postea Antonius iugo leones subdidit, primusque Romæ ad currum iunxit.

Atque hæc leonum cicuratio causa fuit cur dictum à sapiente sit, placere sibi magis commorari leoni & draconi, quàm habitare cum muliere nequã; quòd nimirum leonum & draconum sæuitia arte superari possit, illius malitia moresque improbi, aut ægrè aut nulla ratione vincantur. Præterea quod longè sit optabilius subita morte à feris perimi, quam lento diuturnoque mortis genere ab improba vxore cruciari, milleque in dies singulos mortes experiri.

MORS

MORS.

§ I.

MORTEM æquo animo pacatoque atque generoſo ferendā, quin & de ea gaudendum docet cygnus, cui tanta eſt in vitæ exitu animi tranquillitas: vt ſibi tanquam epicedium ſeu [1] funebre carmen canat, [2] non quidem dolens de vitæ iactura: ſed gaudens potius ſe eius miſerijs mox liberandum.

ANNOTATIONES.

1. *Funebre canat.*] Licet id neget Plinius ſed gratis & ſine firmamento, id autem aſſerit AElianus atque eo prior Ariſtoteles, qui & ait eos canētes à quibuſdam mare Africum nauigantibus auditos, atque non ita multò poſt viſos mori. *lib. 10. cap. 23. lib. 5. 34.*

2. *Non dolens &c.*] Ita Socrates apud Platonem: nam homines, inquit, cum ipſi mortem metuant, cygnos quoque mentiuntur mortem lugere & triſtes canere, non animaduertentes nullā *In Phædone.*

auem

auem in tristitia canere, neque enim dum dolet & magnam animo versat molestiam, otium & inducias ad cantandum sibi inuenerit. Hæc Socrates, quibus concinit Tullius, qui vult eos præuidentes quid in morte boni sit, cũ cantu & voluptate emori. Cæterum cygni cantum imitantur, quotquot mortem lubentes sustinent, memores ea ad vitam eamque immortalem & beatam aditum patere: propius etiam imitantur qui ea gaudent atque exultant, quales extitere non pauci, atque martyres potissimum qui ad mortem tanquam ad epulas properabant, neque se quin præ gaudio Deo laudes cõcinerent, continebant. Quam cygnea, imo cygneâ omni dulcior fuit illa Cypriani Martyris penè extrema vox, qui cum de tabella mortis suæ sententiam audijsset, *Deo*, inquit, *gratias*; atque illico suis, vt tortori ob præstiti beneficij mercedem 25. aureos numerarent palam edixit. Vide Ambrosium qui Machabæorum Martyrum sub mortem voces fortitudinis & gaudij plenas, cũ

lib. 1. Tuscul. quæstionum.

In vita eius.

De Iacob & vita beata lib. 2. cap. 2.

cytha-

cytharæ atque cygneæ vocis suauitate confert. Quæ, inquit, cythara dulciores ederet cantus, quàm morientes filij in tam grauibus supplicijs ediderant? Non sic cygnea carmina aures animumque mulcerent: cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis.

MORTIFICATIO. *Vide* VERBO CASTITAS. § 2.

§ 1.

MORTIFICATIONEM discere licet à certis perdicibus, quæ cirrheæ dictæ sunt: Hæ sibi consciæ quod nec ad certamina valent, neque pulchrè cantare norunt, & si capiantur, se futuras pastum capientium, naturali quodam astu se ipsas macie conficiunt, 1 abstinentque ab omni esca, grata licet palato, quæ se ad pinguem corporis habitum perducere posset, atque cupidè 2 allijs vescuntur.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Abstinent &c.*] Atque istud faciũt vt vitæ suæ consulant, naturaliter iudicantes venatores se relicturos tanquam macriores : quid igitur facere oportet gulæ deditum vinolentũque, ne dæmonis præda fiat, atque vt animi sui salutẽ eamque æternam in tuto collocet. Vide dicta verbo Gula.

2. *Alliis.*] Quæ impediunt ne pinguescant, easque ad hominum mensas ineptas reddunt, vtpote quarum carnes sint insuaues.

§ 2.

EAndem docet canis venaticus qui magno licet feræ quam multo suo labore consecutus est, desiderio teneatur, eam 1 seruat tamen quoad venator aduentarit, neque de ea quidquam nisi eius nutu degustat. Quòd idem in cane domestico bene educato obseruare licet, qui quamquam missa à Domino frusta panis aut carnis ore iam teneat, tenebit ea tamdiu nec deuorabit, nisi ad id à Domino facta potestate.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Seruat.*] Isto canis exemplo docemur nos ab ijs omnibus rebus continere, quæ sensui sunt grata, quamquā ea maximè sint in nostra potestate; quare sensus omnes compescendi ne in ea proruant, quæ animo noxam inferre possint: comprimenda caro ne aduersus spiritum insolescat: cohibenda cibi potionisque desideria, atque spirituali mortificationis gladio amputanda: cuius generis exemplorum cum plenæ sūt sanctorum historiæ, tum illustre est illud Dauidis factum, ad quem cum aquam de cisterna Bethleem ab hostibus obsessa quam vehementer expetierat detulissent tres viri fortes, eam neque primoribus quidem labris gustauit, sed effusam libauit Domino: propitius inquiens sit mihi Dominus ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarū periculum bibam? Neque verò excusationi locus erit, si te rei cuiuspiam magno teneri dices desiderio, atque adeò ardere, neque quietem vllam capere

2. Reg. 23. 15. 17.

pere posse nisi ei pareas. Quæro enim ex te num eam vehementius desideras, quàm canis escam postquam totum diē huc atque illuc excurrendo saltandoque exegit, atque fame propemodum est enectus? sed licet eam æquè ardenter expetas, ratione præditus es, qua vehemētius desiderium illud coerceas, rationisque imperio premas, qua tamē caret brutum: Canis igitur rationis expers sola duce natura appetitionibus suis imperabit fortius, quam facias tu qui ea es instructus? Canis igitur escā quam ore tenet nè gustabit quidem, tu verò homo cum sis, tam præcipiti in voluptatē impetu, cùm ea adest irrues, vt hominem omnino exuisse videaris?

MVLIER.

§ 1.


E mulierum adulterijs vide verbo Adulterium, de earumdem Luxuria & cuius sint similes libidinosæ mulieres, vide verbo Luxuria.

xuria. De earum improbitate, vide Mansuetudo in fine. De silentio ab ijs seruando, nonnullisque alijs, vide verbo Silentium.

MVNDITIES.

§ 1.

EAM imprimis colunt apes, quas omnium mundissimum animal esse ait Aristoteles, *lib. 9. cap. 40.* quamobrem foras afferūt eas, quæ in alueo mortuæ sunt, & cum alui necessitas est, [1] auolant & in secessu reddunt excrementum, quoniam malè oleat, oderunt autem & fœdos odores. Tam sordes oderunt linces vt secessu etiam facto vrinam condant, interuertantque. Hirundines verò extra nidum podice auerso mittere excremēta pullos docent. *Plutarchus de industria animalium.* Quam sit munditiarum studiosus pauo, quamque sordium hostis, vel ex solo eius gressu constat, qui quidem lentus est, pompaticus ac fastuosus atque vt videtur considera-

tus,

tus, ne se ipse maculet. Scribit Albertus pauonem si dum adhuc pullus est, madidus fiat & sordibus inficiatur, emori tanquam omnis immunditiæ planè impatientem.

ANNOTATIONES.

lib. 11. cap. 10. 1. *Auolant.*] Videtur Plinius sentire eas in ipso alueo purgare aluum, sic enim scribit: Excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum cōgesta in locum, turbidis diebus, & operis otio egerunt. Sed quidquid sit de ista Plinij ab Aristotele discessione, in eo quod ad rem nostram facit, cum eo consentit: mira, inquit, earum munditia: Amoliuntur omnia è medio, nullæque inter opera spurcitiæ iacent. Atque hæc fiunt ab apibus nullo monitore, nullo præceptore, cum homines vt mundi sint non sit ijs satis naturæ lumen sed ad id indigeant præterea monitis & præceptionibus, quas videre est in sacris litteris varijs locis, & in vsu quotidiano: extant enim principum & Rerumpublicarum leges de munditia publica, de expurgandis plateis, de sor-

ſordibus efferendis, additâ pœnâ in immorigeros.

Cæterum mundities iſta exterior cũ ad multa atq; ad valetudinem maximè vtilis eſt, tum interioris eſt & ſignũ & monumẽtum atque ſtimulus, neque enim ſufficit mundum eſſe in oculis hominum, & mundare quod foris eſt calicis & paropſidis, intus autem plenum eſſe rapina & immunditia: ſed mundare ſe debet quiſque ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficiens ſanctificationem in timore Dei.

Matt. 25.

2. Cor. 7 1.

§ 2.

SVnt & feles mirè munditiei amãtes, vt enim ventrem exonerent, angulos ſectantur, locaque ſocculta, & quod nulli bruto conuenit, humo pedibus eruta vnguibuſque [1] egeſta contegunt excrementa, neque eo contentæ, narem etiam applicant vt fœtore dignoſcant ſint necne bene tecta: quem vbi ſenſerint, iterum atque item terram ſuper ea aggerant.

ANNOTATIONES.

1. *Egeſta contegunt.*] Vide mihi vt ſine

Deuter. 23. 12. 13, 14. ne monitore id præstat felis, quod iussi sunt Israelitæ facere dum concederent ad opus naturæ, qua quidem præceptione perspicuum fit, quàm Deo grata sit exterior etiam mundities: Dominus enim inquit tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te & tradat tibi inimicos tuos: & sint castra tua sancta .i. munda, & nihil appareat fœditatis, ne derelinquat te.

MVNDVS.

§ 1.



MVNDO isto, ijsque quæ in eo sunt cursim vtendum, & per transennam docent canes AEgyptij qui ferarum Nili fluuij metu, ne earum aliqua quæ infra degunt foras emineat, ipsosque obtorta gula de ripa in profundum abripiat, non inclinatione corporis abiecta procumbunt ad bibendum, sed vt primum ad ripam acccesserunt, [1] festinanter & in transcursu lingua lãbentes, potionem quasi furtim surripiunt.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Festinanter lambentes &c.*] Festinanter & quasi in transcursu aquas lãbunt, huius mundi, qui illud Apostoli re ipsa præstant: Qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui flẽt tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. *1. Cor. 7 29. 30. 31.*


Quia videlicet perparum eo vtuntur, & parcè admodum, nec nisi in rebus plusquam necessarijs. Neque verò tantum id ab ijs fit quia præterit figura huius mundi, quod ibi affert Apostolus, sed quod canum Nili instar, si diutius rebus istis insistant, ijsque per ocium fruantur, ab hostibus, dæmonibus scilicet sibi vehementer timeant, ne capiantur & pereant. Diuturno nãque atque quieto rerum terrenarum vsu, facilè animus ad eas immoderatè afficitur, quo id efficitur vt in varia peccata delapsus præda tandem dæmonis euadat. Talis vocatur à sacris litteris habitator terræ, quocum omne Dei iu- *Oseæ 4. 2.*

iudicium atque diſceptatio, in quo nõ
eſt veritas, non miſericordia, non ſciẽ-
tia Dei, cum enim ſeſe putet nactum
hìc eſſe manentem ciuitatem, quæ in
ea ſplendida & commoda ſunt, futurâ
Hebr.11 neglectâ, conquirit: Cum pij quique
confiteantur ſe peregrinos atque hoſpi-
tes eſſe ſuper terram, neque habeant hic
manentem ciuitatem, ſed futuram
1. Petri inquirant, & tanquam aduenæ & pe-
2. regrini abſtineant ſe à carnalibus de-
ſiderijs quæ militant aduerſus animam,
vt eam perdant, quamquam prima
atque externa ſpecie, ei blandiri at-
que voluptatem & pacem allatura vi-
deantur. Quod ſi vtantur iſti rebus,
quas ad victum cultumque condidit
Deus in iſto mundo, id quidem egrè
faciunt, itáque modicè ac raptim, vt
potius ijs non videantur vti, ſintque
Ioannis Baptiſtæ ſimiles, de quo Chri-
ſtus: Venit Ioannes Baptiſta non mã-
ducans, neque bibens: quos etiam non
Iudic. 7. ineptè dixeris indicatos per illos Ge-
5. deonis milites, qui non proſtrati in ter-
ram commodè atque otioſè; ſed pedibus
con-

consistentes lambendo festinanter bibebant instar canum, qui quidem posteriores præ superioribus ad bellum eliguntur, tanquam sitis tolerantiores, minusq; suis appetitionibus seruientes, & expeditiores, eòque cæteris bello aptiores. Ita Lyra, & Arias Montanus.

MVSICA. *Vide* LAVS DEI.

§ 1.


VSICAM harmonicumque concentum, & quidquid eò spectat non fastidire neque reijcere docent nos animantes variæ: Delphinus, de quo dictum verbo Charitas: Capitur autem maximè Hydrauli sono, inquit Plinius, Mulcentur cerui fistula pastorali & cantu: Paguros pisces musicæ illecebra capiunt piscatores, qua adeò delectantur, vt ea allecti etiam mari exeant, atque ita in arido facile comprehendantur. Thrissas item pisces AEgyptij cantu & pulsibus *lib. 9. cap. 8.*

teſtarum concrepantium conſonantibus piſcantur: harmonico enim ſtrepitu illo excitati ſaltant atque ſaltando in piſcatoria inſtrumenta explicata ſéſim incidunt. Arabes ſuas dicunt oues muſica magis, quàm paſcuis pingueſcere. Indi elephantos iam ætate prouectos non aliter quàm muſica manſuefaciunt, neque enim ad id proſunt ciborum illecebræ aliæque blanditiæ, cum hæc vniuerſa contemnant, perguntque in ſua feritate, at vbi vernaculam ijs cantiunculam cecinere, ita a eius ſuauitate demulcentur vt licet vinculis ſoluti nemini noceant, neque amplius ad ferinos mores reuertantur. Tibiæ cantu vſque adeò capiuntur Lybicæ equæ, vt huius blandimentis mãſueſcant, atque inſultare ac lædere deſinant, & quocumque eas cantiuncularum blanditiæ inuitauerint, eò paſtorem conſequuntur, & cum inſiſtente inſiſtunt, cum progrediente progrediuntur. Paſtinaca marina, muſicæ harmonia illecta ſenſim ad ſummam aquam effertur, & ſic naſſa imprudens

dum

dum nihil metuit, totaque voluptate mulcetur, capitur. Atque huc referre licet apes, quæ cum in fugam se dant, tum Apiarij crepitaculis sonoris concinnè concrepant, à quibus ad consueta domicilia sese recipiunt, vt non minus eas cantus ac musicæ studiosas esse dicas, quam illas apud Platonem cicadas.

ANNOTATIONES.

1. *Mulcentur cerui.*] Ita Plinius quibus addit AElianus etiam Apros, quos ambos non mulceri solùm, sed & capi, & quemadmodum id fiat tradit. *lib. 32. cap. 8. lib. 12. cap. 46.*

2. *Eius suauitate demulcentur.*] Neque id solum, sed modos etiam ipsi numerosque musicos discunt: quod qui non credit, cum id tot testes locupletissimi asserant, fidem humanam omnem euertit. Visi enim sunt Romæ à Tiberij Cæsaris nepote Germanico in theatrum produci elephanti duodecim, qui in cæteris sanè mirabilibus, etiam hoc erant assecuti, vt ad numerum ita peritè saltarent, neque in vllo à saltationis elegantia aberrarent quasi homi- *Ælian. lib. 2. cap. 11.*

nes essent rationis & disciplinæ capaces. De quo fusius paulò post verbo Nobilitas in Annotatione.

Hisce autem exemplis omnibus animantium quæ cantu atque musica capiuntur, docentur homines eam non
Eccl.33. odisse, neque (quod vetatur à Sapiente)
5. impedire: sunt enim tam agrestes quidam & morosi, senes maximè, quos potissimum hîc monet Sapiens, vt nihil quod ad honestam animi lætitiam conciliandam continendamque faciat, ferre velint, quod quidem est contra virtutem eutrapeliæ atque honestam
Vide Tertul. cap. 39. Apologet. Cypriani epist. ad Donatū. cum hominibus agendi rationem: Est autem concentus musicus cōuiuijs adhibendus maximè, intellige si modò turpis non sit, aut turpium cantilenarum, tū quod isto sermones vani inanesque plurimi, quin & aliorum famæ perniciosi succiduntur, tum quod vt
Eccles. 32. 78. ait scriptura, Gemmula carbunculi in ornamento auri & comparatio musicorum in conuiuio vini, sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucūdo & moderato vino. Quo-

Quorum verborum iſta eſt ſententia: quemadmodum ſe habet Gemmula carbunculi in ornamento aliquo ex auro fabrefacto, ita ſe habet varia illa & iucunda congeſtio muſicorum in conuiuio vinoſo. Et ſicut ſigillum ſmaragdo inſculptum ſe habet in opere aliquo fabricato ex auro, ſic ſe habet cōcentus muſicorum in iucundo vino. Quæ quidem à ſapiente dicta ſi in res prophanas communiaque valent conuiuia, multò valeant magis oportet in res ſacras, ſacroſque ad agapem conuentus, quos ex maiorum inſtitutis iā inde à primis Eccleſiæ incunabulis nō ſine pſalmodia & lætitiæ cantu coactos accepimus, iuxta illud Pauli: Implemini Spiritu Sancto loquentes vobiſmetipſis, in pſalmis, & hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino: ſed maximè omnium valere debent in ſacrum illud Eccleſiæ conuiuium, in quo dominicum bibitur vinum, quod verè lætificat cor hominis. Cui quidem cōuiuio maximè congruit muſica, qua al-

Epheſ. 5. 19. 20.

Pſal. 103. 15.

lecti

lecti fideles tum deuotè magnoque diuinæ bonitatis sensu communicent, tū excitatis eorum animis pro tanto beneficio dignas Deo gratias agant. Certè antiquitus dum inter Missarum solemnia sumeret populus sacra mysteria, canebatur Antiphona illa quæ de communione nomen mutuata est, cui & subiungebatur psalmus integer, de quo Antiphona illa desumpta erat, addito ad finem Gloria Patri. Vide D. Gregorij Antiphonarium Dominica 1. Aduentus & sequentibus, & Micrologum cap. 18. Videant hic sectarij nostri maximè qui de Caluini schola, quam sint brutis agrestiores qui ab Dei Ecclesia musica instrumenta arcent omnia, neque organis diuinas concini laudes patiuntur, quæ tamen vt & alia adhibita
2. Reg. à Dauide ad Dei cultum non semel inculcat scriptura.

§ 2.

MErulis affines existunt auiculæ quædam colore atro, voceque canora, dictæ venaticæ, quod de auibus plurimas sui cantu

at-

[1] attractas suauitate capiãt, cum enim eas suaue canentes audiunt, proximè accedunt atque ab ijs inuasæ, earum præda & cibus fiunt.

ANNOTATIONES.

1. *Attractas.*] Quod sanè magis mirandum videtur, quàm quæ proximè allata sunt, cum ibi harmonico numero, atque melodia quæ ab humana arte proficiscitur capiantur animantes, hîc autem simplici, agrestique atque naturali auicularum cantu omnis artis experte. Obserua hîc etiam voluptuariorum imprudentiam, qui suaui voluptatis quasi cantu, dæmonis præda euadunt.

§ 3.

GAudent cameli musica, [1] discuntque saltare ad tibiam. Dũ fessi sunt, cantu ad iter peragendum excitantur. Apud Gothos vr-[2]si musica capiuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Discunt saltare.*] Quemadmodum id fiat docet Cardanus his verbis. Iuuenculus, inquit, collocatur in pauimento *lib. 10. de subtilitate.*

mento calido, homine pulsante tibiam citharamue, camelus ob calorem pedes eleuat, ita diebus singulis huic rei operam dat. Modus congruit pedum eleuationi. Vbi annus hac forma exactus fuerit, pedes eleuat ad rythmum quamquam frigente solo, atque ita camelus saltare discit. Hæc ille, qui & addit asinos etiam ad tibiam saltare, de quibus & subijcit quædam anilia planè & superstitiosa.

NOBILITAS.

§ I.

QVANTA sit hominis nobilitas atque excellentia docet 1 Elephas qui licet tantæ sit molis atque virium, homini tamen 2 subseruit, cum ab eo docetur quid velit, id 3 intelligit, 4 cum vapulat sustinet.

ANNOTATIONES.

1. *Elephas.*] Neque elephas modò sed animalia cætera quæ cicurantur, de qui-

quibus vide verbo Charitas, Clementia, Mansuetudo.

2. *Subseruit.*] Euidenti admodum exemplo nos docens, ait Basilius, omnia nostræ subiecta esse ditioni quòd ad imaginem sumus nostri creatoris conditi; nostræque nos nobilitatis admonens, quamque sit indignum viles peccando obire actiones eos, qui tam præstanti natura animalibus moderantur, ijsque appetionibus teneri, quibus ipsa dominantur. *In Hexā Hom. 9.*

3. *Intelligit.*] Sine intellectu, sola phantasiæ facilioris atque bene temperatæ facultate. Stupenda autem sunt quæ isti rei confirmandæ afferre liceret. Refert AElianus Romæ à Tiberij Cæsaris nepote Germanico in theatrum datos elephantos 12. mares sex virili veste indutos, totidemque fœminas, stola muliebri ornatas: qui à magistro docti erant decorè epulis accumbere, tum signo dato, in mensam promuscides tanquam manus modestè porrigere, summaque cum moderatione epulari. Quæ omnia nō minus *lib. 2. cap. 11.*

otio-

otiosa quam demirans spectauit Roma, neque in ijs quemquam voracem aut incompositum aut inconditè comedētem aut bibentem notare potuit: cum esset bibendum, vnicuique crater exhibebatur, vnde moderatè bibens, eo quod supererat circumstantem turbam leniter & festiuè sine contumelia aspergebat. AElianus ait vidisse se rectè & ordine in tabula quadam latinas litteras scribentem Elephantum. Sed ne longior sim in istis quæ infinita sunt recensendis, instar omnium quæ ad ingenij belluæ istius commendationem afferre licet, sit illud Pierij, qui ait à se visum Romæ elephantem, à Serenissimo potētissimoq; Lusitaniæ Rege Emmanuele, Leoni Decimo Pontifici maximo dono missum, à quo tanta ingenij, intelligentiæ atque docilitatis monumenta ea ætatula edita (quadrimus enim eò aduectus erat) vt non modo quæ ab authoribus tradita fuerint credere se testetur, verum authores ipsos in hoc animantium genus quasi inuidos eleuasse plurima, quæ longè magnificen-

lib. 2. Hieroglyficorum.

nificentius illuſtranda fuerant ſuſpicetur: illudque profiteatur de reliquis animantibus, quæcumque fidem excedere videantur, ſeſe ſcriptorum authoritati acquieſcere, ſuper elephanto autem quæcumque admiranda videantur, ſe in illo vel paria, vel veteribus illis longè maiora deprehendiſſe, cuius rei Romam ipſam, frequentiſſimum totius orbis theatrum teſtem appellat. Videat quæſo lector quod ſubijcit exemplum ingenij iſtius eiuſdem belluæ, cui narrando ne longior ſim ſuperſedeo, ſed meo quidem ſenſu quæcumque de ea dicta ſunt hactenus longè antecedit.

4. *Cum vapulat.*] AElianus ſupra allatus de Germanici Elephante hæc habet. Illa verò virilis diſciplina accedebat, non ad grauem plagarum ictũ excandeſcere.

OBE-

OBEDIENTIA: *Vide* MORTIFICATIO. AGENDVM PRIMVM DE obedientia quæ ab homine Deo debetur, tum de illa quæ hominibus.

§ 1.

DEO cum primis obediendum docent ij pisces, qui tacito Dei iussu ex varijs maris finibus 1 simul emigrantes, 2 ordinatè confluũt æstate ad mare Aquilonare, ad pontum scilicet Euxinum, tum quod eius aqua 3 cæteris dulcior sit, tum quod ad effũdendos excludendosque fœtus suos, & enutriendam sibi sobolem, sit aptior, mox autem 4 vt hyems aduenerit, rursus ipsi sese omnes velut agmine facto domum recipiunt.

ANNOTATIONES.

1. *Simul &c.*] Vnde tam ordinata tot piscium in alienas oras commigratio? Quis piscibus hæc annuntiat loca (verba sunt Ambrosij) præcepta, tempora? homines suum imperatorem habent, cuius expectatur imperium, procedit tessera edicta prouincialibus vt conueniant,

lib. 5. Hexam cap. 10.

ueniant, tribunis militum literæ diriguntur, dies statuitur, & plerique ad dies statutos occurrere non queunt. Quis Imperator piscibus præceptũ dedit? quis doctor hanc tribuit disciplinam? Qui metatores itinera disponũt? Qui duces item dirigunt vt nullius desit occursus? Sed agnosco quis ille sit Imperator, qui ordinatione diuina sensibus vniuersorum suum infundat imperium, qui tacitus mutis animantibus naturalis disciplinæ ordinem tribuat, nec solum magna penetret: sed etiam per minima quæque se fundat. Pergit idem Ambrosius ex hac brutorum obedientia, peruicaciã eorum hominũ qui se Dei mandatis opponunt redarguere. Diuinæ, inquit, legi piscis obsequitur, & homines cõtradicunt. Piscis solẽniter obaudit mãdata cœlestia: & homines irrita faciũt Dei præcepta. An contẽptibilis tibi videtur quia mutus est, rationisque expers? sed vide ne tu tibi magis incipias esse contemptui, si irrationabili irrationabilior deprehendaris.

2. *Ordinatè.*] Basilius testatur se ista vi- *In Hexã hom. 7.*

diſſe & in omnibus ſuſpexiſſe admirabilem Dei ſapientiam.

3. *Cæteris dulcior.*] Quoniam ſol in eo mari parũ verſatur, atque ideo nõ omne id quod potabile eſt dulceque, radijs ſuis exhaurit. Aqua autẽ dulci gaudere piſces argumẽto eſt, quod & ad flumina ſæpe adnatẽt, longiuſq; à mari diſcedãt.

4. *Vt hyems aduenerit &c.*] Quæ in illis oris eſt vehementiſſima, & mare illud Aquilonare perfrigidum, quod plures peralgidos prægrandeſque ſuſcipiat amnes, atque Boreæ cæterorumque ventorum violentiſſimis flatibus ſit obiectum, vnde graues illic procellæ ac tempeſtates commouentur, ita vt de profundo arena vertatur, fluctuſque ipſi arenoſi conſpiciantur, qui ventorum motu in ſublime elati; non nauigantibus modò, ſed & maritimis ipſis animantibus intolerabiles exiſtunt, atque id cauſæ eſt quamobrem ad propria remeent tecta, ſeptemtrionalis plagæ ſæuitiam fugientes.

§ 2.

Eandem obedientiam, docent ea

bru-

bruta quæ homini tanquam regi ſuo 1 obſecundant, ſi enim ipſa rationis expertia homini parent, quāto eſt æquiùs hominem rationis compotem Deo regi ſuo in omnibus obſequi. Vide verbo Nobilitas.

ANNOTATIONES.

1. *Obſecundat.*] Eius obedientiæ quotidiana ſunt exempla. Sæpe enim (verba ſunt Ambroſij) ſuſpendêre feræ morſus ſuos, reuocante ſono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente, lepores ſine vulnere capi. Leones quoque ipſos ſi vox hominis reſultauerit, prædam dimittere, pardos atque vrſos incitari ac reuocari vocibus, equos plauſu hominum fremere, ſilentio mollire curſum. Denique ſæpe ſine verbere prætereunt, (præcedūt greſſu in via) verberatos (.i. feras verberatas) Ita vehemētius illos incitat linguæ flagellū.

lib. 6. epiſt. 38.

§ 3.

DEnique ab animalibus vniuerſis idem docemur quandoquidem omnia Deo obediant eaque exequantur quæ vult Deus, quæ-

cumque enim faciunt, Dei ipsius tanquam authoris naturæ iussu faciūt, qui vt id facerent 1 naturalem ijs indidit propensionem.

ANNOTATIONES.

229.83. a. 10. ad 3. 1. *Naturalem &c.*] Ita etiam D. Thomas qui ait eo sensu dici bruta Deo obedire, quòd per naturalem instinctum ab eo moueantur: neque verò bruta solum Deo parent, sed res omnes omnino
Psal. 118. 9. iuxta illud de psalmis: ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi: cui concinit illud sapientis:
Sap. 16. 24. Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Atque obedientia ista quam exhibent Deo creaturæ omnes, causa est cur eas conseruet ipse, atque contineat, quemadmodum ab eadem efficitur vt animantes omnes pascat, qui iustitias Domini (inquit Am-
In Psal. 118. ser. 19. brosius agens de volucribus, quod idem de cæteris brutis vult intelligi) custodiunt. Ex quibus cognoscimus quam diuinæ subsidia prouidentiæ hominibus

bus non deessent, si Dei iustitiam seruare vellemus. Qui alit aues non aleret homines, quos ad imaginem & similitudinē sui condidit? Nōne pluris sumus illis, sed inferiores diminutione gratiæ & preuaricationis iniustitia. Hæc ille.

§ 4.

HOmo homini vt pareat docēt ea animalia [1] quæ hominibus obsequuntur. Leo in Mauritania cū venatione frustratus, fame premitur, Maurorum domos adire solet: si vir quidem adsit, illum vi ab ingressu prohibet, sin sola mulier, verbis asperioribus ipsa atque probri plenis eum increpat: non te pudet, inquit, animalium cum sis rex, mulieri supplicare pastus causa, quem potius in montibus, captandis ceruis, bubalisque venari, nō autem more infelicis caniculæ victum quæritare oportebat? Quibus aut similibus minaci voce prolatis iubet leonē abire, qui mox afflicto animo atq; verecundiæ pleno, oculisque in terram demissis, sibi [2] iussa perficit, atque inde discedit.

ANNOTATIONES.

1. *Quæ hominibus obsequuntur.*] De Elephante vide verbo Nobilitas. De leone vide hic § 2. & verbo Mansuetudo. Quæ dum suis momentis expendit Ambrosius ita ratiocinatur. Videbatur nihil elephantis, creatura habere robustius nihil tam terribile vel procerum, nihil tam ferum quam leones vel tigrides sunt, & hæc seruiunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt, obliuiscuntur quod nata sũt, induunt quod iubentur. Quid multa? docentur vt paruuli, seruiunt vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi, in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt. Hæc ille: quibus etiam quanta vis sit consuetudinis atque rectæ educationis perspicitur. Atque idem alibi tum eamdem istam educationis vim, tum quam promptè paratèque obsequantur homini bruta præclarè exprimit. Quæ cum inquit (eius enim vsurpabo verba quod meliora non suppetant) à rectore aliquo gubernantur, facile

Hexam. lib. 6. cap. 6.

lib. 1. de Cain & Abel. cap. 1.

cile manſueſcunt, & imperata exequi, & iugum ſubire, & ad vocem magiſtri accelerare gradum, aut ſiſtere, aut deflectere, aut aliqua opera ſui muneris quæ iubentur, humano quodam famulatu obedire conſuerunt. Tantum valet inſtitutio vt vincat naturam. Itaque illa quæ conſortium noſtræ ſubſtãtiæ non habent, agnoſcunt tamen noſtræ vocis imperium, & cum ſuæ naturæ nullam rationem habeant, noſtræ naturæ rationẽ capeſſunt, & quodammodo transfuſam acquirunt. Quoties parata præda & cibo obuio famem perpeti malunt leones, dum offenſam magiſtri verentur? Quoties repentino impulſi motu, aperta ad morſus ora iuſſi reſoluunt? Ita dum noſtræ voluntati obſequuntur, ſuæ obliuiſcuntur.

2. *Iuſſa perficit.*] Mirabitur iſtud fortaſſe quis, quin & ſupra fidem eſſe videbitur non nemini: quis enim credat intelligere leonem voces illas increpãtis mulieris! Verum ſi equos & canes videmus paſſim ob conſuetudinem cũ hominibus, eorum minaces voces per-

cipere, & timere, & ad eas se accommodare aut progrediendo aut sistendo, aut recedendo, aut iram suam coortâ inter se pugnâ comprimendo, aut à cibo, qui iam in faucibus est, abstinendo, cur id de leonibus inficiabimur; præsertim, cùm Mauri multum cum ijs consuescant, suosque infantes cum catulis leonum sub eodem alant tecto?

§ 5.

TAurus cum [1] ferinam exuit indolẽ mirè homini obsequitur: nam ad feretrum portandum sub iugum missus quietus manet, siue velis eum procumbentem corpore toto quiescere, siue in anteriorum crurum poplites tantum se demittere, licet interim ceruice puerum puellamue gestet. Quin & dorso homines vehit, & quod longè est mirabilius iussus ita immotus manet, vt supra illum saltare liceat. Oues præ cæteris omnibus animantibus [2] obedientes & ad parendum natura factæ videntur, [3] obtemperant enim & pastori, & canibus, & capras in via sequuntur.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Ferinum.*] Quã sit ferus taurus atq; iracundus vide Pliniũ l. 8. c. 45. sacræ verò litteræ superbum hominẽ indomitumq; atque parere recusantem comparant cum tauro. AElianus autẽ ait taurum animo incitatum eo impetu cornibus obuios appetere, eaque impotentis animi effrenatione ferri, nihil vt eum neque bubulcus, neque metus vllus reprimere queat. *Eccles. 6 3.* *lib. 4, cap. 48.*

2. *Obedientes.*] Atque ob istam obedientiã suos vocat Christus oues: oues (inquit) meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. *Ioan. 10. 27.*

3. *Obtemperant pastori.*] Quem & sequuntur, inquit Christus, quia sciunt vocem eius: alienum autem non sequuntur sed fugiunt ab eo quia non nouerunt vocem alienorum. Cæterum vehemens est obedientia ista brutorũ, stimulus ei cui adhuc aliquis vitæ sẽsus: Si enim homini parẽt bruta; quid hominẽ ipsum facere oporteat? Hominem, inquam, quem nõ latet Dei vices agere eum cui obedit, neque se tam illi, *Ioan. 10 4. 5.*

quam

quam Deo ipsi obedire, aut non obedire, si hominis iussa spernat. Qui enim vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Non te (inquiebat Deus
1. Reg. 8. 7. ad Samuelem) abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Et Apostolus. Qui hæc spernit non hominem spernit sed
1. Ad Thessal. 4. 8. Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Mitto innumera in sacris literis præcepta quibus enixè obedientia ista commendatur. Mitto ab iisdem proposita tum præmia tum supplicia, vt illis quidem mortales ad obsequendum alliciantur, his verò vt ab inobedientia reuocentur, quibus præsidijs omnibus cum careant bruta, eam tamen homini obedientiam præstant, quam hactenus (vtinam cum rubore & fructu) multis testatam exemplis, signisque perspeximus.

§ 6.

EAndem doceat canis qui quando domo pellitur aut è triclinio aut coquina, paret illico, quod si reuocetur mox iterum se sistit.

AN-

ANNOTATIO.

Canis &c.] Verus obediens se canis istius similem esse arbitretur, imiteturque sanctum fratrem illum de quo in vitis Patrum in hæc verba. Frater aliquis interrogauit senem dicens: Quod est opus peregrinationis? & ille dixit ei: scio fratrem peregrinãtem qui cum tentus esset in Ecclesia, & contigisset ibidem fieri agapem, sedit ad mensam vt manducaret cum fratribus. Dixerunt autem quidam. Istum hic quis tenuit? Et dixerunt ei. Surge & vade hinc foras: qui surrexit & abijt. Alij verò contristati de expulsione eius egressi sunt, & reuocauerunt eum. Post hæc interrogauit eum quidam dicens, Quid putas est in corde tuo quia expulsus es, & iterum reuocatus? Et ille dixit ei: Quoniam posui in corde meo quia æqualis essem cani, qui quando insectatur, foras egreditur, quando verò vocatur ingreditur. *lib. 5. libello 15. n. 64.*

§ 7.

QVid autem falcone obsequentius fingi possit, quem cum ad nubes

vsque emiseris in herodium, si vt inde ad te redeat pugnoque tuo se reddat, 1 minimo signo indicaris, illicò parebit? Alunt Sinæ anatum maximã vim, idque in agris secundum littus maris ouium instar, quas sub vesperam in naues vt reuocent, soliti sunt tympano signum dare, quo audito 2 mox celerrimè quo aduocantur aduolant omnes, atque ad sua recipiunt. Educant Agricolæ in insula Chio maximos perdicum greges: quos interdiu adhibitis custodibus ad vicinos montes vt sibi victum conquirant, emittunt. Custodes eas sub vesperam edito sibilo admonent ad propria remigrandum, quo audito mox sese ad iter accingunt, simulq; omnes domũ repetũt, quin & alias sibilo custodũ nondum assuetas, & etiamnum feras comites sibi asciscunt.

P. du Iarric. Tomo 2. l. 4. c. 18

Nicolaus a Nicolais l. 2. Nauigat. Orient. c. 8

ANNOTATIONES.

1. *Minimo signo.*] Exhibent hi falcones quod verè germanæque atque numeris omnibus absolutæ obedientiæ est argumentum, quodque se Dauid in alienigenis externisque populis Gabaonitis,

Psal. 17 48.

itis, Getheis, & similibus nactum esse prædicat: populus, inquit, quem nō cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, quasi dicat promptissimè & mox audito imperio obediuit: ea est namque perfecta obedientia quæ non cunctatur, non comperendinat, nullas trahit moras, vt imperium inter atque obsequium ne momentum quidē temporis, quoad eius enim fieri possit, intercedat.

2. *Mox celerrimè.*] Reuocat in mentem prompta ista anatum obedientia, insigne illud militis omni laude dignissimi factum, cui cum receptui cāneretur, mox vt auribus eius insonuit tuba, quamquam brachio iam in altū sublato quàm proximus esset vt hostem gladio feriret, se continuit tamen, sapienter existimans, præstare multò duci suo obsequi, quam hostē interficere. Vide de eadem obedientia verbo Gratitudo c. 3. §. 1. in Annotatione. Quod si obsequij supra naturæ vires à brutis impensi requiris exempla, ea occurrent passim tum vitas Sanctorum tum Ec-

cap.107 clesiasticas historias perlegēti. In Prato quidem spirituali leo obsequentissi-
cap. 20. mum se præbet sācto Gerasimo. In Palladij lausiaca historia, hyæna Macario. In Theodoreti historia sanctorum Patrum, leones item duo Simeoni prisco, ad cuius nutum sese errantibus viæ duces exhibent. Atque alia alibi. At eius generis recentiora desideras. Perlege P. Iosephi Anchietæ Societatis Iesu res gestas in Brasilia, in quibus nhil occurrit frequentius quam admirabile eius in bruta omnis propè generis imperiū; cuius specimē aliquod licebit hîc videre in vno & altero exemplo quod modo subijcio. Contigit vt Iosephus in
lib. 4. vitę pag. 217. aduersum vrbi D. Sebastiani littus traijceret, vicos paræciasque illius oræ inspecturus. In reditu cū canóam ascendisset vt vrbem repeteret, Petrus Leitanus è Societate ipsum comitabatur, erat malacia summa, æstus grauis ac molestus, traiectio aliquot leucarum, neque vlla aura afflabat: ægrè eam cœli grauitatem ferebat Leitanus: videt in arbore Iosephus, tres quatuorue quaracies

racies insidentes (eæ sunt aues gallinarum magnitudine, purpureo colore in flauum vergente, specie pulcherrima) eas Iosephus Brasilico sermone alloquens: Ite inquit, cognatas consanguineasque vestras accersite, nostrumque iter volatu vestro inumbrate. Illæ extento collo vocem, quasi accepti imperij signum misere, indeque auolantes, paulò post magno grege redierunt, densatæque in nubem, tamdiu canóam superuolantes vmbram fecere, donec spatio leucæ vnius decurso lenis afflare cœpit aura fauonij, tunc pater auium dimisit comitatum. Illæ quasi imperio perfūctæ, officiosa crocitatione & multis lætitiæ signis auolarunt. Hoc idem Leitanus Sacerdos factus, post Iosephi mortem, multis grauibus viris præsētibus iureiurando interposito publicè affirmauit. Hæc historicus: qui consequenter narrat quemadmodum corui, item & pantheræ duæ eius iussis obtēperarint, & non multis interiectis quēadmodum simiorum gregi lingua Brasilica præceperit, suorum ciuium à pisca-

catoribus occiſorum funus vt proſequeretur. Quod & ab iis cumulatè præſtitum. Libro 2. extremo viperam (eſt autem huic colubrorum generi, veneni virus ſuprà quam in Europa notum ſit teterrimum) in itinere obiectam ad ſe venire iubet: paret illa, eamque apprehenſam ſedens, ſibi collocat in gremio, manuque demulcens occaſionem inde capit, multa de diuina potentia diſputandi naturam nullam eſſe demõſtrans quæ non hominis imperio obtẽperet, nulla re diuinam legem violantis: ſed creberrima extant huius Beati viri in bruta imperij monumenta, neque ſanè mirum ad hominis voluntatẽ cum Dei voluntate coniunctiſſimi animantes omnes ſeſe adtemperaſſe.

ORATIO. *Vide* CONTEMPLATIO. VIGILIA.

§ 1.

Pſa.146 10. Iob 38. 42.

ORare docent corui, de quibus pſalmographus: Qui dat iumentis

tis escam ipsorum & ¹ pullis coruorum inuocantibus eum. Et Iob : Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eò quòd non habeant cibum?

ANNOTATIONES.

1. *Pullis.*] Meminit pullorum potius quam coruorum natu grandiorum, qui assueti sunt sibi cibum conquirere, cũ pulli cito deserantur à parentibus, & insueti per se cibum quærere, vagantur crocitando quasi omni ope destituti vt dictum proximè ex Iob.

2. *Inuocãtibus.*] Non quod propriè Deũ inuocent, neque quod Deum agnoscãt, sed ideo dicuntur Deum inuocare dum crocitant quærentes cibum, quia Deus *Psa.* 103
est qui cibum ijs desiderantibus sua prouidentia procurat, quemadmodum & alibi dicitur de catulis leonũ: quærũt à Deo escam sibi : Aut ideo dicuntur pulli isti Deum inuocare secundum D. 2. 2. q.
Thomã propter naturale desideriũ quo 83. a.
omnia suo modo desiderãt cõsequi bo- 10. ad 3.
nitatẽ diuinã. Orant itaq; atque inuocãt Deũ impropriè cũ verè orare sit solius

rationalis creaturæ proprium, vt pulchrè idem diuus Thomas, est enim oratio actus rationis. Quod si suo quodam certo modo orant inuocantque Deum bruta, quod ab eo cibum mendicent corporis, quanto nobis orādum potius, ac frequentius feruidiusque, quibus à diuina munificentia nō cibus corporis modò, verum etiam animi, qui quidem varius est, & multiplex suggeritur? Est enim cibus gratiæ, sacramentorum atque in ijs Eucharistiæ potissimum, quæ cibi & potionis specie exhibetur & sumitur: est cibus verbi Dei, vitæ etiam æternæ, de quo in Euangelio: Beatus qui manducabit panem in regno Dei:
Luc.22. Et, Ego dispono vobis sicut disposuit
29. 30. mihi pater meus, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

OSTENTATIO.

§ I.

EIus fugam periculumque doceat
lib. 10. cap. 36. columba: de qua ista Plinius, colūbis

bis ineſt quidam & gloriæ intellectus: Noſſe credas ſuos colores varietatemque diſpoſitam, quin etiam ex volatu quæritur plaudere in cœlo varièque ſulcare. 1 Qua in oſtentatione vt vinctæ præbentur accipitri, implicatis ſtrepitu pennis qui non niſi ipſis alarum humeris eliditur, alioquin ſoluto volatu in multum velociores. Speculatur occultus fronde latro (accipiter) & gaudentem in ipſa gloria rapit.

ANNOTATIONES.

1. *Qua in oſtentatione.*] Eadem oſtẽtatione regiarum opum captus eſt Ezechias rex, quarum & iactura peccatum iſtud expiauit. Nota eſt Phariſæi virtutum ſuarum oſtentatio, qui & Publicano, Dei Iudicio poſtpoſitus eſt, & non adeptâ iuſtitiâ, ſed potius peccatis grauior recepit ſeſe in domũ ſuã. 4. Reg. 20. 15.

Porrò columbæ iſti quæ colorum ſuorum varietate & decore ſe oſtentat, atque gloriatur, ſimilis eſt, qui veſtiũ ſplendore inanem captat hominũ gloriam, ſeque ijs oſtentat, contra quam præſcribit Eccleſiaſticus, cuius iſta eſt *cap. 11. 4*

 præ-

præceptio. In veſtitu ne glorieris vnquam: Quin & iſtâ columbâ multo eſt is deterior atque vanitatis amãtior, cum illa plumis ſuis, hic alienis ſe oſtentat, nihil enim habet proprium, vndenamque ei panni ſerici niſi à bõbycibus; vnde verò lanei niſi ab ouibus? Nonne purpuræ liquorem illum tanti pretij, quo lanam inficit, emendicat à piſce eiuſdem nominis? Vt & margaritas à conchis marinis? Sed quis ei lapides pretioſos gemmaſque, quis ei aurum argentumue, quibus ſe ornare nititur, niſi terra ſuppeditat? Quòd ſi creatura quælibet iure ſuo vtens, quæ ſua eſſent repeteret, quid demum miſero relinqueretur aſcititio tantùm & mutuato cultu ſcenici regis inſtar exornato? Hic ſanè ſi vſpiam valet illud,

Horat. epiſt. 3. lib. 1.

Quod ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus.

OTIVM

§ 1.


IDE verbo Labor, & quemadmodum otiosi castigandi, vide ibidem, & verbo Pigritia.

PARENTES. *Vide* FILII. ACCEPTIO § 2. EDVCATIO.

Amorem quo oporteat parentes filios suos complecti docebunt primum animalia terrestria, tum volatilia, demum quæ in aquis degunt.

§ 1.


LEPHANTES fœminæ in catulis suis tuendis constantissimæ sunt, priusque [1] vitam perdunt si vrgeant venatores, quàm vt eos deserant, quos & cum flumen est traijciendum dentium siue cornuum eminentia deferunt. Neque verò leones minus, quam elephanti catulos suos diligunt: scribit Eudemus apud AElianum, Vrsam Leone tam mare quam fœmina absentibus eorum lu- *lib. 3. cap. 21.*

lustrum ingressam, catulos interemisse, atque vbi parentes ex venatione reuertissent, [a] iusto dolore pressos, vrsam insecutos esse, hanc verò in arborem ijs declinandis conscendisse, leænam autem, continenter, cum eò ascendere non posset, ad pedem arboris insidias molientem excubasse, Leone interim in montibus errante dum lignarium fabrum arborem cædentem offenderet, cuius è manibus dum præ timore securim excidisse aduertisset, ad illum propriùs accessit, blandèque ac suauiter amplexatus, linguâ etiam blandiente faciem ei abstersit. Vnde ille animum resumere cœpit, cumque non intelligeret sibi securim è terra tollendam (cũ tamen eius rei manifestam ei daret leo significationem, pede suo idemtidem eam commonstans) eam ipsam leo ore comprehensam ei præbuit, illúmque ad lustrum suum vbi necati iacebant catuli perduxit, quò etiam accurrit leæna, quem & ad truncum arboris, cui insidebat vrsa deduxit, & qua ratione potuit, vt sursum oculos tolleret, vrsamque

que ſuſpiceret impulit. Vnde is coniectura aſſecutus vrſam huiuſce cædis catulorum cauſam exiſtere, omnes neruos ad excidendam arborem contendit, quam cùm euertiſſet, vrſam præcipitem in terram delapſam leo cum leæna diſtraxerunt: hominemque illæſum leo reduxit ad eum locum vbi priùs ei cum ſecuri occurrerat.

Vrſæ in fœtus amor ex hiſce perſpicuus euadet. Eos quidem edit ipſa imperfectos, & tanquam informem carnis maſſam, quam tamen non deſpicit, neque ab ea abhorret, verum eam ſinu ſuo complexam gremioque fotã, lingua lambit atque paulatim effingit, & ſenſim in conformationem quandã ſic effingit, vt aſpicienti, iam catulus vrſæ eſſe videatur. Eadem vrſa ſi à venatoribus vrgetur, eatenus ſuos quoad poteſt catulos propellit, cum autem eos intelligit laſſitudine deficere, atque eſſe vicinos vt comprehendantur, tum alterum dorſo, alterum ore geſtans in arborem aſcendit, vbi tum ſe, tum ſuos ab inſidiatoribus in tuto collocat. Neque

que aliàs 4 sæuit magis, quàm raptis catulis, pro quibus ei præcipua pugna. De
lib. 8. cap. 18 Tygride ista Plinius: Totus eius fœtus qui semper numerosus est ab insidiante rapitur equo quam maximè pernici. At vbi vacuum cubile repetit fœta (maribus enim cura non est sobolis) fertur præceps odore vestigans. Raptor appropinquante fremitu, abijcit vnum ex catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque consequitur, & subinde, donec in nauem regresso, irrita feritas
In Hexā lib. 6. cap. 4. sæuit in littore. Ambrosius aliam venatoris technam esse ait: vbi se, inquit, venator summa velocitate insequenti tygridi contiguum viderit, sphæram ex vitro proijcit. At illa imagine sui in vitro conspicata luditur, & sobolem putat, reuocat impetum, colligere fœtum desiderans. Rursus inani specie detenta, totis se ad comprehendendum equitem viribus fundit, & iracundiæ stimulo velocior, fugienti imminet. Ille iterum alterius spheræ vitreæ obiectu sequentem retardat, nec tamen seduli-

dulitatem matris memoria fraudis excludit; cassam versat imaginẽ, & quasi lactatura fœtum residet, sic pietatis suæ studio decepta & vindictam amittit & prolẽ. Equarum in pullos suos mirus est amor, cuius non ignarus Darius iunior, cum ei in prælio quod ad Issum cõmissum est fugiendũ esset, in equam quam sibi ante pugnã relicto domi eius pullo præpararat, ascendit, quæ quod relicti pulli recordata esset, quanta potuit celeritate maxima, eum ex periculis eripuit, seseque pullo suo reddidit.

Asinis fœminis partus charitas sũma, inquit Plinius, [6] per ignes ad fœtus tendunt, *lib. 8. cap. 43.*

ANNOTATIONES.

1. *Vitam perdunt.*] Quid hic agant diræ illæ matres, quæ fœtus suos vt occulant, vel conclusos adhuc vtero materno, vel iam in lucem editos enecant: quam impietatem, vtinam tantum in historijs legeremus, & non ipsi oculis intueremur.

2. *Iusto dolore.*] Quot sunt parẽtes qui filiorũ mortẽ non dolent, quin & de ea lætan-

lætantur, si numerosi sint, quod in pauciores diuidendæ eorum facultates. Tales certè indolentiâ istâ testantur perspicuè se non prolis amore atq; vt cœlum compleant generationi vacare, sed solius causa voluptatis tanquam equus & mulus quibus non est intellectus. Verùm plures etiam sunt, qui mortem prolium spiritualem nihil curant, neque eâ commouentur magis, quàm si ad eos nihil attineret, cùm tamen nihil grauiùs aut calamitosiùs ijs accidere possit, eiusque frequenter reddituri sint Deo rationem parentes ipsi, quòd ea mors à praua eorum, dum minores natu essent, educatione proficiscatur. Expendant mihi Scythæ isti, veriùs quam parentes, qualibus quantisque deflerit lacrymis filij sui Absalon mortem Dauid, non tam corporis quidem, quàm animi, quem læthali peccato saucium, sibique parenti bellum inferentem occidisse cognorat.

3. *Non despicit.*] Discant ab ea progenitores, ex se natos non despicere, non deserere, licet imperfectos, man-

cos, deformes, gibbosos, claudos, aut alio seu corporis seu animi vitio insignes, qualicumque enim ij seu corpore sint seu animo, semper filij sunt. Caueant item eos, qui minùs mundo, mūdique negotijs consuetudinique apti sūt, à se abdicatos tanquā sibi inutiles, monasterio non tam tradere, quàm in illud ferè renitentes trudere, ijs interim retētis atque matrimonio traditis, quos natura præclaris cum animi tum corporis dotibus instruxit. Quod si faciunt, intelligant se in maledictionem illā incurrere, quæ Malachiæ ore à Deo prolata vehementer est ijs, si quidem sapiunt, extimescenda. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia rex magnus ego dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus. Verùm si maledictus qui immolat debile Domino, cuius erit reus maledicti qui ea impietate non contentus, etiam quod forte est, quod pingue, quodque validum immolat dæmoni? In quem valet sanè illud

Mala. 1. 14.

Psa. 105 37. illud de psalmis. Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs? Numquid nō sunt libidines, comessationes, impudicitiæ, iræ, rixæ, cæteraque vitiorum monstra, dæmonia; quin & multo dæmonijs deteriora, quibus malint tamen parentes, illos qui in liberis suis præstant cæteris, quam Deo ipsi intra religionis muros deseruire?

4. *Sæuit magis &c.*] Quod & sibi à 2. Reg. 17. 8. sacris litteris autoritatem vindicat. Tu nosti (inquit Chusai ad Absalon) patrem tuum & viros qui cum eo sunt esse fortissimos & amaro animo, velut si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat. Et Osee 13. 8. Deus per Oseam: occurram eis quasi vrsa raptis catulis: Qua quidem similitudine, vindictæ futuræ indicat atrocitatem, cum inter feras omnes, nihil esse vrsa sæuius cum perdidit catulos, aut fame premitur, tradunt qui de bestiarū scripsere naturis, inquit hîc Hieronymus, quibus cōcinit item illud Sapientis: Prou. 17 12. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quā fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Quam autem sæuiat in eos

qui

quì catulos, ei auferre moliuntur. vide nuperam historiam apud P. Richomũ. *In Valedictione animæ deuotæ colloquio 12.*

5. *Iterumque cõsequitur.*] Est enim, inquit Plinius, Tygris velocitatis tremẽdæ & maximè cognitæ dũ capitur.

6. *Per ignes.*] De hoc brutorũ amore in fœtus suos hæc vniuersè Ambrosius: Quæ fera pro catulis suis nõ ipsa potissimũ se offerat morti? Quæ fera fœtus suos innumeris licet obsessa cuneis armatorũ, non suis visceribus tegat? Ingruat licet telorũ seges, illa tamẽ paruulos suos muro sui corporis septos, immunes præstat periculi. Quid dicit homo qui mandatũ negligit (quo iubẽtur patres filios amare, neq; eos ad iracundiã prouocare) naturã obliterat: dũ naturali propẽsioni qua quisq; opus amat suum, nõ obsecundat, pater abdicat filiũ &c. *Ephes. 6 2.* Eadem pene ante Ambrosium Basilius. Qui ait nihil noui afferre Paulum, quando vetat patres ad iracundiã prouocare filios, sed naturæ vincula vincire magis, insuperque præstringere, cum ad id naturæ lege vinculoq; multo ante teneãtur: quod perfringũt illi violantq; *Hom. 9. in Hexã.*

qui

qui ob ſecundarum nuptiarum ſocietatem priorum obliuiſcuntur filiorum.

§ 2.

CОrnicis amor in pullos celebratur, eo quod volantes non deſerit, ſed comitatur & ſolicitè, ne teneri fortè deficiant 1 cibum ſuggerit, ac plurimo tempore eos enutrit.

ANNOTATIONES.

1. *Cibum ſuggerit.*] Cum fœminæ noſtræ ſi ſunt quidem ditiores, lactare filios faſtidiunt, atque alijs committunt: ſi verò ſunt tenuiores, abijciunt paruulos & exponunt, & deprehenſos abnegãt. Quod quidem Thebanis mulieribus capitis ſupplicio vetitum erat. Thebanorum enim hæc lex ſanctiſſimè poſita erat, vt qui in extrema neceſſitate conſtitutus eſſet parens, infantem ſeu marem ſeu fœminam, ſtatim à materno partu ad magiſtratum cum faſcijs deferret, qui acceptum alicui tradebat leui precio, cum quo pactum & conditiones intercedebant vt infantẽ aleret, & adultum ſerui vel ſeruæ loco habe-

haberet, ſic vt alimentum & educatio ſeruitute compenſarentur. Quid autem de illis dixerim quæ aut paupertatem cauſantes, aut ne per plura capita facultates diuidãtur, in vtero fœtus ſuos etiam anima præditos extinguũt. Quæ vnquam fera tam in pignora ſua ſæua fuit, vt epotis herbarum ſuccis ea in ipſa aluo necaret, quod faciunt matres noſtræ? Nimirum fœmina nihil immanius, nihil ſæuius vbi rectæ rationis deſerta ſemita, ſeſe libidinibus ſuis regendam moderandamque tradiderit.

§ 3.

CIconiæ pullos ſuos qui per ætatem nondum euolare queunt è nido, ſibique cibum prouidere, ſollicitè admodum nutriunt, & quod mirandum eſt, cum aliunde ijs alendis cibum nanciſci nequeunt, eſcas quas prius ederant, euomunt, atque in educandos fœtus conuertunt; ſunt [1] præterea ijs ad volandum imperitis duces & magiſtræ. Quod idem de Ardeis & Pelicanis traditur.

AN-

ANNOTATIONES.

Ludou. Guicciardin. in Belgio.

1. *Præterea &c.*] Præter iſta amoris ſigna addendum eſt & aliud quod iſta omnia anteit. Cũ anno Domini 1536. 3. Maij Delphis in Holãdia ortum eſſet incendium, quo tota conflagrauit ciuitas, in qua vt loco ciconijs ad cibum admodum apto, ſibi plurimæ earum nidos conſtruxerant, vidiſſes ciconias parentes vbi primum ſenſiſſent ignem, ad vſque nidos quibus iacebant earum paruuli, ſerpere paulatim, conatuque omni atque induſtria in eorum ſalutẽ incumbere: ſed cum ijs ipſis quod iam natu grandiores, eaque re grauiores eſſent, opem ferre non poſſent, neque alio transferre, ſibi cum illis vnà commoriendum duxerunt, quare poſtquã ſuper eos quamdiu licuiſſet, alas ſuas expandiſſent, atque aliquantiſper à flãmis vindicaſſent, tandem igne correptæ, maluere mortis ſocietate cum pullis ſuis coniungi, quam ſine ijs vitam acerbam ducere. Equidem exiſtimo tã eſſe admirandum factum iſtud vt ſupra omnem admirationem exiſtat. Quis enim

enim dignè admirari poſſit tantam in tam diro cruciatu patientiam? Quodnam exiſtit animal in omnibus tam forti tamque generoſo animo, quod non ad vnius prunæ tactum mox quam citiſſimè reſiliat? Sed quod adeò impauidum vt accenſam non expaueſcat flammam? Leo animantium cæterarum rex, animoſus licet ferociaque exultans, atque indomitus, igne viſo præ timore exanimatur. At ciconia ignem non pertimeſcit, audacter ad eum accedit, eius intolerabilem vim atque acerbiſſimum quem infert cruciatum in membra ſingula patientiâ ſummâ ſuſtinet, atque liberorum incolumitati conſulens, priùs quàm ſuæ mortis genere omnium atrociſſimo conficitur: tanta in eo charitas, tãtus amor, tanta maternæ pietatis in filios vis eluceſcit. Diſcant hinc parentes niſi planè plũbei ſunt, ſi nõ flãmas, at grauia ſaltẽ aliqua ſeu corpore, ſeu animo, filiorum amore perpeti: diſcant, inquam, eorum ſaluti poſthabere omnia, ſibique etiã in rebus neceſſarijs incommodare

(quid autem magis vita necessarium, cuius tamen nullam rationem habuere ciconiæ?) dum liberorum salutem quæ animo continetur, integram tueantur. Vide autem verbo Charitas de ijs qui amoris ergo, vnà commortui sunt.

§ 4.

INter cæteras animantes omnes, Aquilarum maximus in pullos est amor, quæ in excelsis atque inaccessis locis nidos collocant, ne colubri fœtus suos violent: Acriterque venatores persequuntur, quos in nidos inuasisse conspexerint, neque inultos dimittunt, alis atque vnguibus eos lacerantes. Eosdem pullos imponunt [1] super alas suas, adeoque sublimè vehunt, vt nullum ad eas possit telum penetrare. Inter Aquilarum species vna est haliæetus dicta clarissima oculorum acie, quæ viso in mari pisce aut in flumine, præceps in eum ruit, & discussis pectore aquis, rapit, atque [2] ad pullos suos defert.

ANNOTATIONES.

1. *Super alas.*] Cum volucres cæteræ pul-

pullos suos transferant vnguibus ac pedibus, eò quòd ait R. Salomon, timeāt sibi ab auibus, quæ supra se volitant. *In Exod cap. 19.*
Verùm cùm aquila non nisi ab homine sibi timeat, ne fortè aut ipsa, aut eius pulli iaculo petātur (nulla enim volucris altius volat ipsa, vt ei nocere queat) ideo eos in alis suis collocat, satius esse iudicans se quam pullos peti iaculo. Atque huic volucri quoad istam pullorum protectionem se cōfert Dominus: vos ipsi vidistis (inquit ipse ad Iudæos, *Exod. 19. 4.* recens ex AEgyptiaca seruitute liberatos) quæ fecerim AEgyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarũ; & assumpserim mihi. Quasi dicat: quemadmodum Aquila tela excipit hostium, pullis in tuto collocatis: ita & ego me vobiscum habui; iuxta illud capitis 14. 19. Tollensque se Angelus Domini qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra AEgyptiorum & castra Israel. Cùmque AEgyptij mitterent lapides & iacula, ipsa nu-

bes in qua delitescebat Angelus, ea excipiebat. His porrò Aquilarum in pullos amoris signis docentur parentes, liberos adeò securo constituere loco; vt ad eos dæmonis ignita tela pertinere non possint, ita saltem vt noceant. Tum non dimittere impunitos eos, qui ijs insidias moliuntur, animæque vitam eripere contendunt. Tertiò se quasi clypeum pro illis opponere, excipereque malle in suo corpore aduersa fortunæ tela, cæteraque vitæ incommoda, paupertatis, ignominiæ, inualetudinis, quam vt ijs petantur ipsi, quibus vt minus in virtutibus exercitati conficerentur & succumberent.

Atque hic meminisse eos oportet Arsinoes, quæ à Ptolemeo fratre à quo ad nuptias & regnum deposcebatur decepta, cum percussores in duos filios impuberes ab eo immissos conspicata esset, eos ipsa complexa ad se fugientes, ea parte qua vulnera filijs intendebantur diu corpus suum cædendum obiecerit, quorum tamen saluti

licet

licet multis vulneribus ſaucia proſpicere non potuit, ſunt enim in matris ſinu inter ipſa oſcula crudeliſſimè trucidati. Quod ſi tam dira paſſa eſt iſta quamquam à Dei cognitione aliena, idque pro liberorum tuenda vita mortali atque caduca: quid eos genitores qui Chriſtiani ſunt, fideique lumine illuſtrati par eſt præſtare, vt natorum vitam æternam atque immortalem ſaluam præſtent, eoſque ab æternis inferorum ſupplicijs vindicent?

2. *Ad pullos defert.*] Occaſione iſtarũ Aquilarum dabo quod à Societatis noſtræ viro fide digno oculato teſte audiui. Eſt in Luſitania vicus quem vernacula lingua Pedroſo vocant non procul à flumine Durio. In vico iſto ſolita eſt Aquila haliæetus dicta annis ſingulis oua ponere, excludere, atq; pullos educare in nido illi in eũ finem præparato, ad quos è vicino flumine piſces raptos in alimentũ defert, quam eius in pullos pietatem qui ei nidum conſtruxit ad priuatos vſus commodaque ſua ſic conuertit. Vbi auolauit Aquila,

quos ipſa piſces paruulis prouiderat, eis ſubſtrahit, ipſa verò rediens aduertenſque deeſſe ſuis alimentum, alios atque alios ſubinde ſuggerit, quos & ille ſibi iterum ſumit, quod facit toties donec familiæ ſuæ bene amplæ in eos dies quibus carnibus Christiano more veſci non licet, ſufficiant, priuſque deſinit ille ſubſtrahere quam Aquila nouam ſemper iterum atque iterum eſcã ſuis ſuppeditare. Accidit autem vt nobilis quidam cum aduertiſſet tantum commodi adferre Domino ſuo Aquilam iſtam, eam ad ædes ſuas, tum cõmodi nidi conſtructione, tum certis illecebris attrahere conatus ſit, & verò attraxerit, vicinumq; ſuum eo queſtu fraudarit: qui iniuriam non paſſus, eum in ius vocauit. Dicta à iudice ſẽtentia eſt, nidum vt deſtrueret, alium nè ædificaret, neque ad eam volucrem captandam illicijs vllis vteretur. Quibus ab eo præſtitis redijt illa ad priſtinum locum, ſolitumque nidi conſtructi pretium Domino ſuo perſoluit. Obſerua hic lector præter inſignẽ alitis iſtius

in

in pullos amorem, quàm varijs modis prouideat diuina liberalitas hominibus cibum, atque ijs potissimum qui Dei amore bonis omnibus suis se spōte abdicarunt (ad religiosam enim familiam pertinet locus ille vbi nidificat haliæetus) cum per volucres etiam aliud planè agentes, & in aliud intuentes eis prospiciat, efficiatquę vt quod pullis suis sese deferre existimant, id in vsus hominum cedat, atque renouet quodammodo priscum illud miraculū quo corui ministerio pauit Prophetam, efficiatque etiam modò vt de comedente exeat cibus: Quid enim Aquila rapaciùs, quid furaciùs, quid ea auidiùs prædæ inhians? Quam bonum igitur eius sese obsequio mancipare qui suis deest nunquam. Quam bonum iactare te in eo cogitatum tuum curamque tuā omnem, qui quibuscumque tandem rationibus id futurum sit, (quas quidē infinitas habet, alias alijs præstantiores) ne dubita ipse te enutriet. Quæ sanè causa fuit cur tam audenter quam verè pronuntiatum sit à Dauide: Nunquam

Iudic. 14. 14.

Psa. 36. 25.

quam vidisse se iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Quemadmodum porrò alterius Aquilæ ministerio, pisce pauerit Deus sanctum Cuthbertum Pansarniensem Episcopum, vide venerabilem Bedam in vita eiusdẽ.

§ 5.

VVlturis tantus est amor in pullos, & sic in alendam prolem incumbit, vt si quando nutriendi facultas desit, ne fame pulli pereant, [1] femori suo vulnus infligit, & manantem sanguinem eis ipsis exorbendum dat. Pelicanus pro pullis [2] igni se obijcit. Si quando accidat vt Vulpanser simul cum filijs in venatores incidat, simul atque conspecti sunt illi, pater materque sponte occurrunt, seque ipsos venatoribus capiendos dant, vt ita eos à filijs aliò auertant. Gallus prolis amore vbi Gallina extincta est, ipse ouis [3] incubat, atque ex ijs pullos excludit. [4] Perdices non vni loco oua committunt sua, sed commigrantes ea aliò asportant, vehementer enim timent nè quando deprehendantur, si eodem

[1] Ælian. lib. 14 cap. 13. ex accessione Gillij. Orus l. 1. Hieroglyph.

dé in loco cômorentur diutiùs. Itaque alio atq; alio loco nidificantes, rursus pullos suos, eò licet tenellos inuehũt fouétque, & suis alis tepefaciũt, pénisque tãquam fasciolis quibusdam inuoluũt.

ANNOTATIONES.

2. *Femori &c.*] Quod non fit à parentibus communiter, id luculenter factum ab omnium communi parente Christo Domino, qui non ex femore tantum, verùm ex vniuerso corpore manantem sanguinem, filijs suis bibendum propinauit. Quam quidem incomparabilem prorsus eius miserationem cum maiores nostri indicare vellent, hanc volucrem in sacrosanctæ crucis apice, ea femorum vellicatione, spectandam erexerunt. Atque hunc saltem si bruta pigeat imitari, parentes imitentur; idque efficiant, vt nihil eorum, quæ spirituali liberorum saluti cõducant, ijs desit, quamquam ad id esset ijs è venis sanguis, magno etiam dolore cruciatuque fundendus.

2. *Igni.*] Vide supra §. 3. in Annotatione, numero 1.

3. *Incubat.*] Quod vbi facit, obseruatum est eum non canere, quod sibi conscius sit se parum virile munus obire, sed hoc ipsum amoris in pullos argumentum est illustrius, quòd eorum causa etiam se indigna obeat munera, quemadmodum si parens extincta matre, matrem se filijs exhibeat, cuius quidem generis parentes paucos videmus.

4 *Perdices.*] Aliud quoddam earum in pullos charitatis testimonium habes verbo Educatio.

§ 6.

EXimius est Gallinæ in pullos amor, quos 1 congregat sub alas, pro quibus cõtra miluum, 2 cõtra canes, contra homines etiam depugnat, quibuscum 3 infirmis & ipsa infirmatur, quibus annonam, terram scalpendo procurat, quàm vbi primum nacta est 4 eos aduocat, ad idque certo vocis vtitur sono, distincto ab eo quem adhibet quando eos sub alas suas congregat, atque item ab eo, quo sibi à miluo vt caueant, ijs enuntiat. Illud etiam

etiam non paruum eſt gallinæ in pullos amoris ſignum, quod cibo qui tum ſibi tum pullis ſuggeritur, acriter prohibeat pullos alienos, ne ſuis non ſufficiat.

ANNOTATIONES.

1. *Congregat.*] Ob hanc gallinæ in ſuos charitatem ſeſe Chriſtus gallinæ comparat: Quoties (inquit ad Hieru- *Matt.* ſalem) volui cõgregare filios tuos, quẽ- *23. 27.* admodum gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?

2. *Contra canes &c.*] Obſeruatione dignum eſt gallinam ſi pullis careat, agaturque de ſolo eius diſcrimine, inſequentem ſe fugit canem: quod ſi illa eadem, mater ſit, pulloſque habeat ſe inſequentes, pro virili ei ſe opponit, quãquam longè eo infirmior, non tam ſibi quam eorum incolumitati proſpiciens.

3. *Infirmis infirmatur.*] Quo vel ſolo mater agnoſcitur, cæteras volucres, vt hirundines, columbas, ciconias, niſi quando in nidis videmus, matres eſſe non agnoſcimus. Gallina verò *Tract.* (verba ſunt Auguſtini) ſic infirmatur *15. in Ioan.*

in

in pullis ſuis, vt etiam ſi ipſi pulli non ſequantur, filios non videas, matrem tamen intelligas. In quo ſita ſit infirmitas iſta gallinæ idem ſic explicat. Rauceſcit eius vox, totum corpus fit hiſpidum, demittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos quid ægrotum, & ea eſt materna charitas, quæ inuenitur infirmitas: Atque ea maximère (vt pergit explicare Auguſt.) ſeſe Chriſtus gallinæ ſimilem dixit, quod congregarit omnes gentes tanquá gallina pullos, quod infirmatus eſt propter nos accipiens carnem à nobis, id eſt à genere humano, crucifixus, contẽptus, alapis cæſus, flagellatus, ligno ſuſpẽſus, lanceâ vulneratus, quod maternæ infirmitatis fuit, non amiſſæ maieſtatis: Parentum autem eſt (vt ad eos ſe referat oratio) cum liberis infirmis pariter infirmari; Si enim veri Chriſtiani vox eſt illa Pauli: Quis infirmatur & ego non infirmor? Quanto eos oportet magis ijs cõpati atque miſeratione in eos affici, quos ipſi genuerunt? Non ſint ergo duriores aut difficiliores parentes

erga

erga natos quamquã infirmitate aliqua aut animi perturbatione peccando infirmiores facti ſint, ijs compatiantnr, eos animent, commonefaciant in ſpiritu lenitatis, non timoris & indignationis; vera enim iuſtitia, teſte Gregorio, compaſſionem habet, falſa indignationem. Denique, vt verbo dicam, ſe cum infirmis infirmos exhibeant, non quidem eorum fouendo cupiditates & libidines, ſed ijs quà monitis, quà cohortationibus commiſeratione plenis, quà affectu pietatis, occurrendo.

4. *Eos aduocat.*] Qua re, multis matribus neglecta piæ matris officia præſtat, cuius eſt morſum ſibi ex ore detractum filiorum neceſſitati ſuggerere, Chriſti Domini exemplo, qui eſurijt, vt ſaturaremur, quique egens eſſe voluit, vt illius inopiâ nos quamquam filij tantùm adoptati diuites eſſemus.

§ 7.

HIrundinum ac paſſerũ matres, quando earũ pulli de nido volare primũ cœperint, cũ ſtrepitu

pitu circum eos circumuolant, neque
1 facile deſerunt, donec tutò valere
poſſunt, vocibuſque pijs teſtantur pericula
filiorum. Eædem roſtro in eorũ
prædatores acriter depugnant. Eædem
denique ablatos pullos aut alia ratione
perditos ſumma diligentia conquirunt,
quos vbi ſunt nacti, ijs licet cauea conclusis
cibum deferunt, quæ omnia in
oculis noſtris cum ſint quotidie, mirũ
eſt quomodo ad ea non attendamus.

ANNOTATIONES.

1. *Facilè deſerunt.*] Neque parentibus liberi deſerendi, neque ſibi ipſis relinquendi, aut temerè permittendi ſine teſte abire longiùs. Imitentur parentes maternam quam S. Monica Auguſtini mater aduerſus eum ſolicitudinem exhibuit, quem etiam ex Africa Romam, quin & Mediolanum vſque ſecuta eſt, neque illum deſeruit vnquam, donec prius ſalute eius in tuto collocata vita eam defecit. Atque filias maximè ſibi parentes cuſtodiendas exiſtiment, quas matrum lateri ſemper adhæreſcere oportet, ne quando polluantur in virgi-

nitate

nitate sua, & in paternis suis grauidæ inueniantur. Super filiam luxuriosam (& inuerecundam atque impudẽtem) confirma custodiam (inquit Salomon) ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in ciuitate & obiectione plebis, & confundat te in multitudine populi. Neque verò quamlibet custodiam adhibendã præscribit sapiens, sed firmam, fortem atque validam, fortibusque vectibus munitam ne laxa eundi, quo velit, licentia, per suam impudentiam & fornicationem, probro patrem afficiat apud inimicos, propter detractionem & obloquium, quod est in ciuitate de filia, cuius incontinentia in eius ignominiã redundat: cui quidem salutari admodum præceptioni quẽadmodum obsequantur parentes ij, qui omnem quò filiabus lubeat euagandi libertatem, noctuque etiam choreas summo castimoniæ discrimine frequentandi indulgent, sanè non video: hocquidem video vnde id manet incommodi, vt quas sponso virgines se tradere putent, paulò

Ecclef. 42. 10.

Ecclef. 42. 11.

lo poſt venter tumidus, antè matrimonium corruptas, deflorataſque, palàm magno parentum virique probro doloreque edicat.

§ 8.

CAnicula Marina, ſimul atque [1] peperit paruulos ſuos ilicò ſecum per mare ducit: ſi quis verò eorum timeat, [2] ingreditur rurſus in ventrem matris; vbi timor abierit, is prodit tanquam rurſus editus. Quod quidem ſtupendum ſanè atque inauditum maternæ pietatis officium toties ijs exhibetur, quoties aliquid inſidiarum terroriſque præſenſerint matres circa eos quemquam moliri. Quod idẽ fieri à muſtela [3] vulpe marina, Glauco alijſque nonnullis à fide dignis [4] authoribus traditum eſt.

ANNOTATIONES.

1. *Peperit.*] Piſcium enim alij oua generant ſolùm, quæ poſtea aquæ tanquam blandæ matris gremio fota, in piſces tranſeunt: alij viuos pariunt fœtus, atque formatos.

2. *Ingreditur rurſus &c.*] Non ſe cõtinet

tinet hîc Ambrosius quin stuporis plenus ita exclamet; Qui humanus affectus hâc piscium pietatem possit imitari? oscula nobis satietati sunt, illis non satis est aperire viscera, natosque recipere ac reuocare integros, atque iterum fotu quodam eos sui caloris animare, & spiritu alere, duosque in corpore vno viuere, donec aut securitatem deferât, aut corpore suo obiecto, natos suis defendant periculis: Quis hæc videns & si possit obtinere, non tantæ piscium cedat pietati? Quis non miretur & stupeat? Hæc Ambrosius. *lib. 5. Hexam. cap. 3.*

Augeatur autem admiratio necesse est, si quis ad earum matrum impietatem attendat, quæ vrgente fame partus proprios comederunt, quarumque viscera liberorum sepulchrum facta sunt, cum piscibus sit parentis vterus, quoties ijs lubeat, vitæ salutis atque incolumitatis domicilium, ac tutissimum aduersus omnia vitæ pericula asylum.

3. *Vulpe marina.*] Asserit Rondeletius vidisse se ex ijs vnam exenterari in ocu-

lis ſuis, atque in eius viſceribus paruulos viuos & incolumes, quos in metu (ita enim loquitur) intro receptos à parente dubitandum non eſt.

lib. 2. c. 55. hom. in Hexã 4. *Authoribus.*] AEliano, Baſilio, Ambroſio, atque alijs.

§ 9.

DElphini geſtant [1] fœtus in infantia infirmos, quin & adultos diu comitantur magna erga partum charitate: quam & illuſtriorem adhuc faciunt eo quod ſequitur. lib. 1. cap. 18. Narrat AElianus delphinum fœminã vbi fœtum ſuum ipſa, iam tridente aut ſpiculo à piſcatore vulneratum, atque ad nauim ſenſim ſubduci animaduertit, ſolitam eſſe eum inſequi, neque vllo metu eum deſerere, atque vt ei captiuo opem ferat ita prope accedere, vt facillimum eam ſit ſimul cum fœtu intercipere, itaque vnà cum illo, piſcantibus fit præda; quod ſi ambo ei adſint catuli, intelligatque alterum iam captiuum abduci, eum qui adhuc ſupereſt, caudæ verberatione perſequitur, ac mordicus premens ablegat, atque

que aſpirationem quandam mittit tanquam teſſeram, vt fuga ſaluti ſuæ conſulat, cuius admonitu fugit ille, ipſa verò remanet vt capiatur, 2 vnàque cũ altero filio moriatur.

ANNOTATIONES.

1. *Fœtus.*] Quos ex ſeſe geminos parere ſolent, quos & nutriunt vberibus ſicut balena.

2. *Vnà moriatur.*] Matres autem noſtræ vt filiorum interitu doleant quidẽ, ijs tamen extinctis ſuperſunt, neque eorum caſu, more delphinorum pereunt, ſed tempore ſenſim triſtitiam omnem mitigante, dolor omnis eiuſque ſenſus euaneſcit. De ſimul autem commorientibus vide verbo Charitas.

§ 10.

QVemadmodum parentibus caſtigandi ſunt liberi vbi deliquerint doceat Aſpis, de qua ita Plinius ex philarco: Ea cum ad mẽſam cuiuſdam veniens in AEgypto aleretur aſſiduè, enixa eſt catulos, quorũ ab vno eſt hoſpitis filius interemptus; Illa ad conſuetudinem cibi reuer- *lib. 10. cap. 34.*

ſa intellexit culpam, & [1] necem intulit catulo, nec poſtea in tectū id reuerſa eſt.

ANNOTATIONES.

1. *Necem intulit.*] Hinc etiam patet brutorum gratitudo, ideo enim necem intulit, quod ſe minus gratum exhibuiſſet fœtus auferendâ vitâ tam in ſe munifici hoſpitis filio. Porrò mirum eſt bruta, quibus natura tam vehementem aduerſus fœtus ſuos impreſſit charitatem, ab ijs tamen pœnas exigere vbi deliquerint: quare docentur parentes quamquam liberos ſuos multum diligant, non conniuere tamen, neque eorum errata diſſimulare, memores il-
Prou. 29. 15. lius Salomonis: Virga atque correptio tribuit ſapientiam, puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ confundit matrem ſuam. Neque verò exiſtiment ſe illos ſi puniant, minus amare, cum cō-
Eccl. 30. trà ſit. Qui enim diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſſimo ſuo, & non palpet proximorū
Hebr. 12. 7. oſtia. Et quis filius quem non corripit pater? neque vlla re poſſint parentes teſtari apertius ſe in liberos ſuos minus

eſſe

esse propenso animo, quin & se eos odisse, quàm impunitate: Qui enim parcit virgæ odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit. Atque odit quidem nõ quod affectu eum odio prosequatur, sed facto & reipsa, cum nimia ista indulgentia, omissàque castigatio in perniciem vergat liberorũ. Qui autem verè eos amant, eorumque inuigilant saluti, assiduè sedulitateque maxima eos erudiunt, quod nõ ad verba tantum, sed & ad verbera referri volunt interpretes, vt sic castigatio & vexatio det intellectum, & quos simplex sermo non permouit, virga disciplinæ correctioque permoueant.

Prou 13. 24.

PASSIONES SEV PERTVRBATIONES ANIMI, *Vide* VERBO Mansuetudo, Mortificatio.

§ 1.

SEDANDAS esse eas ac moderandas [1] docent bruta omnia, quæ cicurantur, [2] feritatemque

magnam partem exuunt, vt leones, tygrides, vrſi, de quibus plura verbo Manſuetudo, & Clementia.

ANNOTATIONES.

Hom. 9. in Gen. 1. *Docent bruta omnia.*] Ita Chryſoſtomus, qui cum ſuos cohortatus eſſet ad irrationales animi motus comprimendos, quomodo, inquit, cogitationem ferociorem compeſcet quis? Ad quod quæſitum ita reſpondet: Quid dicis homo? Leonibus imperamus, & animos eorum manſuetos facimus; & dubitas num mentis ferociam in manſuetudinem mutare poſſis? Accedit quod naturâ beſtiæ feroces ſunt, & præter naturam manſuetæ, contra tu præter naturam ferox, naturâ autem mitis; & qui beſtijs id quod à natura ijs ineſt auferre, & quod naturæ eorũ aduerſum inſerere potes, id quod natura tibi præſtitit conſeruare nõ potes? En quantam hoc cõdemnationem meretur? Maximè cum rationis ſis particeps, & tibi datus ſit Dei timor atque alia vndequaque adminicula, quibus omnibus carere bruta perſpicuum eſt.

Quod

Quod autem de ira, ait Chryſoſtomus, id proportione quadam de cæteris animi perturbationibus accipiendum videtur.

2. *Feritatem exuunt.*] Quemadmodum id ab homine præſtetur paucis ita exprimitur ab Auguſtino: Homini donauit Deus, vt etiam ſæuas feras & capere & manſuetas facere, & eis mirabiliter imperare poſſit, potentiâ rationis non corporis, cùm eorum appetitus & dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agreſti eas exuit conſuetudine, & tanquam humanis moribus induit. *De Geneſi ad Litterã. lib. 9. cap. 14.*

PASSIO ET MORS CHRISTI.

§ 1.



AD ſanctiſſimum Chriſti Domini cadauer frequẽtes itare; indeque ſpiritualem nobis cibum meditanda eius morte ſumere; doceant vultures qui etiã trans maria dicuntur ſentire cadauera, & ad

Matthæi cap. 24. escam huiusmodi cõgregari, iuxta illud Christi Domini: [1] Vbicumque fuerit corpus, illuc cõgregabũtur & [2] aquilæ.

ANNOTATIONES.

1. *Vbicũque &c.*] De exemplo (inquit Hieronymus) naturali quod quotidie cernimus, Christi instruimur sacramẽto. Si ergo irrationales volucres naturali sensu tantis terrarum spatijs & maris fluctibus separatæ, paruũ cadauer sentiunt vbi iaceat: quantò magis nos, & omnis multitudo credentiũ debet festinare ad eũ, cuius fulgur exit ab Oriẽte, & paret vsque ad Occidentẽ? possumus autẽ corpus, id est πτῶμα (quod significãtius latinè significat cadauer, ab eo quod per mortẽ cadat) passionẽ Christi intelligere ad quã prouocamur, vt vbicumque in scripturis legitur, congregemur, & per illam venire possimus ad verbum Dei, vt est illud: foderunt manus meas. Et in Isaia: sicut ouis ad victimam ducetur &c. Hæc Hieronymus. *Psal. 21.*

2. *Aquilæ.*] Quemadmodũ per eas, vultures intelligendi sint qui & subaquilæ dicuntur, vide verbo Magnanimitas §. 4. in Annotatione.

PATIENTIA. *Vide* ADVERSITAS.

§ 1.

EAM præſtandam in contumelijs atque iniurijs docebit pardalis. Hæc cum robore præſtet, non tamen eo ſimias aggreditur, quoniam ſimiæ non ſe illi, opponunt, at fuga, illius impetum declinantes in arbores altas aſcendunt, atque illic conſident: quò cum irrumpere pardalis nequeat, haſce illis molitur inſidias. Ad terram ſe ſub illa arbore abijcit, quo confluxit ſimiarum ingens turba, atque ſe perbellè mortuã ſimulat, quod ſimiæ dum conſpiciunt, vnam ex ipſis præmittunt quæ conſideret renuntietque cæteris num ſit verè mortua. Illa timidè deſcendens periclitatur an reſpiret pardalis, quæ fortiſſimè ſpiritum continens, ei animos addit, atque hæc cæteris ſimijs quæ ex alto rei euentum ſpeculantur. Itaque frequentes inde deſcendunt, ac circum eam tanquam mortuam ſaltitant, ſuper eam gradiuntur, ac varijs mo-

modis ei illudunt. Pardalis autẽ [1] omnia sustinens constanter, simul ac illas saltando atque illudendo defatigatas esse intelligit, ex inopinato surgens exiliensque eas partim vnguibus lacerat, partim dentibus distrahit, atque inde sibi opimum prandium comparat. Huc etiam facit quod ex Aristotele narrat AElianus. Apes, inquit, aliquando ad examen alienum profectas, mel inde populari cœpisse: Et quamquã quæ id confecerant apes, suo priuarentur labore, sustinuisse tamen, & futurum iniuriæ euentum, patienter expectasse, donec plurimas prædonum apiarius, qui superuenerat, interfecisset. Et cum iam se pugnæ atque hostibus pares fore confiderent, progressæ vlcisci illas, & depopulationis pœnas ab eis exigere cœperunt.

lib. 5. cap. 11.

ANNOTATIONES.

1. *Omnia sustinens.*] Cum plerique ne leue quidem verbum, asperius in so dictum ferre æquo animo valeant, sed illico cõmoueantur, iracundia æstuẽt, minas adhibeant, atque ad arma vocent

cent eos, à quibus se offensos putant, susque deque peruertant misceantque omnia, donec quam sibi arbitrantur irrogatam iniuriam vlti sint. Discent hi pardalis exemplo, primum iniurias non verbo tantum & oratione, verùm facto item ipso inflictas moderatè ferre, tum tempus opportunum, quo eas vlcisci oporteat, operiri, quod quidem non est cum eis collibuerit, aut cum vindictæ occasionem nacti erunt, sed cùm Deo visum erit, cuius est omnis vindicta, qui impios eosque qui te læserint vindicabit, in die iudicij visitabit illos. Dabit ignem & vermes in carnem eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. Iudith. 16.20. 21.

Verùm dicat quispiam lubenter se Deo vindictam omnem commissurũ, nisi tantas in ea inferenda moras traheret: quam enim longinqua est iudicij dies, quo ferè impiorum omnium supplicia ablegat? Dic amabo, num tu Deo ipso dignior es aut præstantior? Aut sunt grauiores, quæ tibi irrogantur iniuriæ, quàm sint eius, cuius in singu-

ſingula momenta infiniti tum idololatræ, tum hæretici, tum ſchiſmatici, tum Turcæ, tum nomine tenus Chriſtiani impudentiâ ſummâ leges violant, cuiuſque nomini tam atrox gratis bellum indixerunt? Atqui ſilet ipſe modo, diẽque illum operitur, de quo Malachias. Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen: dies, inquam, illa quando reipſa exhibebit illud Iſaiæ: Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul.

Mala. cap. 4. 1

Iſa. 42. 14.

De bono patientiæ in fine.

Huius igitur aduentui (verba ſunt Cypriani) plenum expectationis obſequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum ſerui irreligioſâ & inuerecundâ feſtinatione properemus.

§ 2.

MAgna eſt camelorum [1] in ſiti patientia quam & quatriduo tolerant. Elephanti [2] ne

ad

ad graues quidem verborum ictus excandescunt. Nota est ouium agnorumque patientia, quam & 3 sacræ literæ celebrant.

ANNOTATIONES.

1. *In siti.*] Obseruent istud ebriosi, atque delicatuli, qui vix momento vno sitim tolerant, quos si non cameli, at Christi Domini imitatione, cuius in cruce præ nimia viscerum ariditate atque siti deficientis ea est vox: Sitio, appetitiones suas comprimere oporteret.

2. *Ne ad graues &c.*] Cum ipsi neque tot ad patiendum cohortationes, quot mortalibus, sacræ literæ suggerunt; neque amplissima patientiæ præmia, neque eius virtutis dignitatem, neque impatiẽtiæ turpitudinem vnquam perspexerint. Quis enim vnquam Elephantorum auribus occinuit illud Salomonis: Impatiens operabitur stultitiam. Qui patiens est multâ gubernatur prudentiâ, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam? Quod idem de cohortationibus, alijsque proximè allatis facile erit concionatori me-

Prou. 24. 17. 27.

mediocriter ſacris literis erudito confirmare. De eodem Elephanto vide ſupra verbo Nobilitas numero 4.

3. *Sacræ literæ.*] Ita enim de Chriſti
c. 53. 7. Domini patientia Iſaias: Non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum: Quibus quidem nihil illuſtrius dici potuit ad inſignem Chriſti patientiam exprimendam, ſiue enim ad aram ſeu ad macellum ducatur ouis mactanda, non reluctatur. Sic & Chriſtus ſummâ ſuâ voluntate, quin & voluptate mortem oppetijt; oblatus enim eſt, quia ipſe voluit. Et quemadmodum agnus, quem crudelis tonſor non ſuperflua tãtum ſpoliat lanâ, verùm deglubit, etiã & lacerat; ſilet tamen, neque ſibi iniuriam aliquam inferri aut queritur aut dolet. Sic & Chriſtus mãſuetiſſimi inſtar agni, licet per ſummam crudelitatem non tantum veſtibus, at pelle etiã nudatus ſit, tacuit tamen, neque vocem vllam ſummis licet in cruciatibus doloris teſtem edidit. De eodem item Ioan-

Ioãnes Baptiſta: Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi. Agnus quidẽ non modò ob innocentiam & candorem, qui nullâ peccati maculâ fœdatus, omnium maculas abluit; verùm etiam propter inſignem eius patientiã & manſuetudinem. Et de Apoſtolis Chriſtus ipſe: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Quaſi dicat: non humanæ naturæ beneficium tollo, ſed ouilis patientiæ opus iniungo. Cum cœperint vos lupi vellicare nolite reſiſtere, aut vociferari, ſcientes quia niſi vos ſpoliati fueritis, alij non veſtientur, id eſt, niſi vos mortui fueritis, alij non viuent. Nec timeatis hãc vellicationem præſentem: Cùm enim ætas reſurrectionis aduenerit, alia ſuper vos lana immortalitatis naſcetur. Quamdiu autem propter inſtigationẽ diaboli gentes permanſerint lupi, dorſum illis præſtate ad vellicandum: cũ autem per patientiam veſtram lupi illi facti agni erunt, præbete illis tanquam oues lac doctrinæ. Quin & fideles vniuerſi vocantur partim agni partim

Matt. 10.

Author. imperfecti hõ. 24.

oues

Ioan. 21 oues (paſce inquit Chriſtus ad Petrum agnos meos, paſce oue smeas) quod eos tum agnorum tum ouium patientiam iniurijs alijſque aduerſis ferendis oporteat exhibere.

§ 3.

1 CAnis domeſticus quamquam ab hero, domeſticiſque cædatur, atque inſigniter vapulet, non ideo tamen eos allatrat, neque ſe morſu vindicare nititur, verum demiſſo capite tum verbera, tum quaſlibet illatas ſibi iniurias excipit.

ANNOTATIONES.

1. *Canis &c.*] Quam paucos eſt reperire qui canis iſtius patientiam æmulentur, quique ſimiles ſe eſſe velint fratri illi de quo in hæc verba D. Dorotheus: Erat in cœnobio noſtro frater, antequam ego inde digrederer, quem nunquam videbam vel turbatum vel afflictum in aliquo; è contra aſpiciebã plurimos ex fratribus, illi verbis aſperis moleſtos & graues, quæ omnia animo æquiſſimo ferebat & patientiſſimo. Mirabar fateor excellentiam patientiæ

Doctrina 7. initi,

eius,

eius, optabamque ex eo audire quomodo sibi virtutem hanc tantam parasset. Cum igitur eũ aliquando obuium habuissem, data pace orare cœpi ne me celaret quid nudiustertius cogitaret, cum à multis, plurimis afficeretur iniurijs & quomodo tantum pati posset & ferre. Respondit ille mihi simpliciter nulla circuitione aut recusatione: Ego me sic habeo ad has iniurias, & ita eas perfero vt ab hominibus blandi canes.

PAX. *Vide* CONCORDIA, CHARITAS. INIVRIA §. 1.

PECCATVM, PECCATOR. *Vide* ANIMVS, NOBILITAS, PROVIdentia, Prudentia, Ratio, Verecundia, Voluptas.

§ I.

PECCATI fugam docebit Anser, qui [1] nec lauri folia nè quidem fame pressus attingit, nec Rododaphnem etiam vi adhibita edit, cũ intelligat si quid tale degustet, se vi-

tâ priuatum iri. Canis quoque licet videat porcos glandibus auidè vesci, quia dulces sunt, ijs tamen abstinet atque sibi imperat, nouit enim huiusmodi fructum sibi dolorem coxendicis afferre. Quemadmodum iusto non peccandum doceat Bucephalus: vide verbo Magnanimitas §. 2. in Annotat.

ANNOTATIONES.

1. *Nec lauri folia &c*] Quam anseribus deterior generis humani parens, (si parens vocãdus filiorum interemptor) qui cum, diuino oraculo didicisset sibi eadem moriendum die, qua quidpiam de cibo vetito gustaret, non se continuit tamen, neque suæ appetitioni (quod faciunt anseres) moderatus est. Sed ne alteri plus fortassis æquo succenseas, qui in eadem damnatione es atque eiusdem impietatis atque imbecillitatis reus: Hostes esse animæ suæ eos, qui faciunt peccatum & iniquitatem, quod eam occidant, quoties inaudijsti? Quemadmodum & illud ex Apostolo, omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorũ serui-

Tobiæ 12. 10.

Ephes. 5 5.

ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Sed num propterea peccandi finem facis? num auaritiæ tuæ atque inſanæ habendi cupiditati modum ponis? Quid de immunditijs dicam tuis atque fornicationibus, quas plures eſſe voluiſti, quam ſint ſtellæ cœli atque arena quæ eſt in litore maris. Vide igitur quàm ſis multis partibus anſeribus inferior, qui id leuiculâ captus voluptatulâ deguſtas, quod tibi eſt animoque tuo certam perniciem allaturum.

Nahum 3. 16.

§ 2.

QVem peccati morbus teneat eum mox ſibi debere medicinam facere, doceant animantes. Teſtudo viſceribus paſta ſerpentis, cùm venenũ aduerterit ſibi ſerpere, origano medicinam ſuæ ſalutis exercet, vt ait Ambroſius. Videas etiam vulpem lachrymulâ pinus medentem ſibi, & tali remedio imminentis mortis ſpatia proferentem. Leo æger ſimiam quærit, vt deuoret, quo poſſit ſanari. Leopardus capreæ agreſtis ſanguinem bibit &

lib. 6. Hexam. cap. 4.

vim languoris euitat. Omnis fera ægra, canis hausto curatur sanguine. Vrsus æger formicas deuorat. Atque sexcenta eius generis licebit afferre, quibus afferendis ne longior sim supersedeo, pluraque habes verbo Anima §. penultimo.

ANNOTATIONES.

1. *Eũ mox.*] Quemadmodũ bruta ista vbi primùm malè se habere senserint ad remedium, quod eis natura prouidit, properant quam citissimè: tu peccati morbo, tu peccati vulneribus, quæ quidem lethalia sunt, saucius curationem in menses, in annos differs? Quomodo tot confectus plagis, lethoque quin & inferno proximus viuere potes? Quod dum facis, Aut vt nullus profectò tibi sit malorum tuorum sensus, aut ignorare te quemadmodum ea curentur (quod quidem intolerabilis est incuriæ) aut non credere ijs vllam esse medicinam (quod infidelis est animi) necessè est.

§ 3.

PEccatorem magno licet dolore ſuo atque incõmodo, ſeſe à peccati laqueis dæmoniſq; expedire, doceat Orcynus piſcis, qui cum hamo transfixus fuerit, in marisaltitudinem ſe impellens ac deprimens, ad ſolum allidit, & hamum frequenti ad fundum pulſatione oris, expellere nititur, quod quidẽ 1 non fit ſine doloris ſenſu: quod ſi id minus iſto modo aſſequatur, dolore neglecto, ab hamo exceptum vulnus dilatat amplius, luculentiuſque facit, vt inde exilire atque vitæ ſuæ conſulere poſſit.

ANNOTATIONES.

1. *Non fit ſine dolore.*] Nec ſine dolore ſe extricabit peccator à dæmonis ſeruitute: moleſtum quidem erit priſtinæ renuntiare conſuetudini, peccati occaſiones, illecebroſam mulierum familiaritatem, ſociorum contubernium, luſiones, compotationes deſerere, voluptatibus ſeſe omnibus æternùm abdicare: verùm abunde dolorẽ iſtum omnem moleſtiamque vberri-

mus qui inde colligitur fructus, compensabit, Dei scilicet amicitia, quà nihil optabilius, nihil dignius, dulcius
Sap. 8. 16. nihil, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, neque tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.
Prou. 15. 15. Deinde secura mens atque metu omni, qui angat, soluta, quæ est quasi iuge conuiuium: tum pax interior atque a-
Philip. 4. 7. nimi tranquillitas, quæ exuperat omnem sensum. Deinde illa spiritus ebrie-
Psal 35. 9. tas, dè qua psalmographus. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ad hæc Manna illud absconditum cœlestium solatiorum, quod nemo nouit ni-
Apoc. 2. 17. si qui accipit: Alia denique eius generis bona, quæ his facilè erit per se concionatori addere, si modò paullulum animum attendat.

§. 4.

PEccatori relinquendum dæmonem, vbi primùm Dei vocem veri sui parentis audierit, docent perdicum pulli. Ea est fraude atque astutia perdix, vt alterius perdicis oua di-

diripiat, & corpore foueat ſuo, atqui pulli inde excluduntur mox vt eius audierint vocem, quæ oua generauit, tanquam veræ parentis, priore illâ relictâ ad hanc ſe naturali quodam munere & amore conferunt, quam ſibi veram eſſe matrem, ouorum generatione cognouerint.

ANNOTATIONES.

1. *Perdix.*] De iſta perdicis fraude etiam Hieremias. Huius autem imitator ex Ambroſij ſententia eſt diabolus qui quos genuit Chriſtus, capere ad ſe contendit, raptoſque fouet illecebris corporis: At eorum eſt vbi primum eis vox Chriſti fuerit infuſa, ad eum ſe conferre: ad illam inquam matrem, quæ pullos ſuos gallinæ inſtar materno amore complectitur, eoſque ſub alas ſuas condit, pro ijs paratus mortem oppetere. Quod ſi Chriſti inclamantis voce neglectâ, porrò dæmonem ſequi pergat, videat nè & ipſe olim clamans negligatur, atque in illum valeat illud de prouerbijs. Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret,

Cap. 17. lib. 6. Hexam. cap. 3.

Prou. 1. 24. 25. 26.

ſingula momenta infiniti tum idololatræ, tum hæretici, tum ſchiſmatici, tum Turcæ, tum nomine tenus Chriſtiani impudentiâ ſummâ leges violant, cuiuſque nomini tam atrox gratis bellum indixerunt? Atqui ſilet ipſe modò, diéque illum operitur, de quo Malachias. Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen: dies, inquam, illa quando reipſa exhibebit illud Iſaiæ: Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul.

Mala. cap. 4. 1

Iſa. 42. 14.

Huius igitur aduentui (verba ſunt Cypriani) plenum expectationis obſequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum ſerui irreligioſâ & inuerecundâ feſtinatione properemus.

De bono patientiæ in fine.

§ 2.

MAgna eſt camelorum [1] in ſiti patientia quam & quatriduo tolerant. Elephanti [2] ne

ad

ad graues quidem verborum ictus excandescunt. Nota est ouium agnorumque patientia, quam & 3 sacræ literæ celebrant.

ANNOTATIONES.

1. *In siti.*] Obseruent istud ebriosi, atque delicatuli, qui vix momento vno sitim tolerant, quos si non cameli, at Christi Domini imitatione, cuius in cruce præ nimia viscerum ariditate atque siti deficientis ea est vox: Sitio, appetitiones suas comprimere oporteret.

2. *Ne ad graues &c.*] Cum ipsi neque tot ad patiendum cohortationes, quot mortalibus, sacræ literæ suggerunt; neque amplissima patientiæ præmia, neque eius virtutis dignitatem, neque impatiētiæ turpitudinem vnquam perspexerint. Quis enim vnquam Elephantorum auribus occinuit illud Salomonis: Impatiens operabitur stultitiam. Qui patiens est multâ gubernatur prudentiâ, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam? Quod idem de cohortationibus, alijsque proximè allatis facile erit concionatori me-

Prou. 14. 17. 27.

mediocriter ſacris literis erudito confirmare. De eodem Elephanto vide ſupra verbo Nobilitas numero 4.

3. *Sacræ literæ.*] Ita enim de Christi
c. 53. 7. Domini patientia Iſaias : Non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum: Quibus quidem nihil illuſtrius dici potuit ad inſignem Christi patientiam exprimendam, ſiue enim ad aram ſeu ad macellum ducatur ouis mactanda, non reluctatur. Sic & Christus ſummâ ſuâ voluntate, quin & voluptate mortem oppetijt; oblatus enim eſt, quia ipſe voluit. Et quemadmodum agnus, quem crudelis tonſor non ſuperflua tãtum ſpoliat lanâ, verùm deglubit, etiã & lacerat; ſilet tamen, neque ſibi iniuriam aliquam inferri aut queritur aut dolet. Sic & Christus mãſuetiſſimi inſtar agni, licet per ſummam crudelitatem non tantum veſtibus, at pelle etiã nudatus ſit, tacuit tamen, neque vocem vllam ſummis licet in cruciatibus doloris teſtem edidit. De eodem item Ioan-

Ioãnes Baptista: Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi. Agnus quidẽ non modò ob innocentiam & candorem, qui nullâ peccati maculâ fœdatus, omnium maculas abluit; verùm etiam propter insignem eius patientiã & mansuetudinem. Et de Apostolis Christus ipse: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Quasi dicat: non humanæ naturæ beneficium tollo, sed ouilis patientiæ opus iniungo. Cum cœperint vos lupi vellicare nolite resistere, aut vociferari, scientes quia nisi vos spoliati fueritis, alij non vestientur, id est, nisi vos mortui fueritis, alij non viuent. Nec timeatis hãc vellicationem præsentem: Cùm enim ætas resurrectionis aduenerit, alia super vos lana immortalitatis nascetur. Quamdiu autem propter instigationẽ diaboli gentes permanserint lupi, dorsum illis præstate ad vellicandum: cũ autem per patientiam vestram lupi illi facti agni erunt, præbete illis tanquam oues lac doctrinæ. Quin & fideles vniuersi vocantur partim agni partim

Matt. 10.

Author. imperfecti hõ. 24.

oues

Ioan. 21 oues (pasce inquit Christus ad Petrum agnos meos, pasce oue smeas) quod eos tum agnorum tum ouium patientiam iniurijs alijsque aduersis ferendis oportеat exhibere.

§ 3.

1 CAnis domesticus quamquam ab hero, domesticisque cædatur, atque insigniter vapulet, non ideo tamen eos allatrat, neque se morsu vindicare nititur, verum demisso capite tum verbera, tum quaslibet illatas sibi iniurias excipit.

ANNOTATIONES.

1. *Canis &c.*] Quam paucos est reperire qui canis istius patientiam æmulentur, quique similes se esse velint fratri illi de quo in hæc verba D. Dorotheus: Erat in cœnobio nostro frater, antequam ego inde digrederer, quem nunquam videbam vel turbatum vel afflictum in aliquo; è contra aspiciebā plurimos ex fratribus, illi verbis asperis molestos & graues, quæ omnia animo æquissimo ferebat & patientissimo. Mirabar fateor excellentiam patientiæ

Doctrina 7. initio

eius,

eius, optabamque ex eo audire quomodo ſibi virtutem hanc tantam paraſſet. Cum igitur eũ aliquando obuium habuiſſem, data pace orare cœpi ne me celaret quid nudiuſtertius cogitaret, cum à multis, plurimis afficeretur iniurijs & quomodo tantum pati poſſet & ferre. Reſpondit ille mihi ſimpliciter nulla circuitione aut recuſatione: Ego me ſic habeo ad has iniurias, & ita eas perfero vt ab hominibus blandi canes.

PAX. *Vide* CONCORDIA, CHARITAS. INIVRIA §. 1.

PECCATVM, PECCATOR. *Vide* ANIMVS, NOBILITAS, PROVIdentia, Prudentia, Ratio, Verecundia, Voluptas.

§ 1.

PECCATI fugam docebit Anſer, qui [1] nec lauri folia nè quidem fame preſſus attingit, nec Rododaphnem etiam vi adhibita edit, cũ intelligat ſi quid tale deguſtet, ſe vi-

tâ priuatum iri. Canis quoque licet videat porcos glandibus auidè vesci, quia dulces sunt, ijs tamen abstinet atque sibi imperat, nouit enim huiusmodi fructum sibi dolorem coxendicis afferre. Quemadmodum iusto non peccandum doceat Bucephalus: vide verbo Magnanimitas §. 2. in Annotat.

ANNOTATIONES.

1. *Nec lauri folia &c*] Quam anseribus deterior generis humani parens, (si parens vocãdus filiorum interemptor) qui cum, diuino oraculo didicisset sibi eadem moriendum die, qua quidpiam de cibo vetito gustaret, non se continuit tamen, neque suæ appetitioni (quod faciunt anseres) moderatus est. Sed ne alteri plus fortassis æquo succenseas, qui in eadem damnatione es atque eiusdem impietatis atque imbecillitatis reus: Hostes esse animæ suæ eos, qui faciunt peccatum & iniquitatem, quod eam occidant, quoties inaudijsti? Quemadmodum & illud ex Apostolo, omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorũ

Tobiæ 12. 10.

Ephes. 5 85.

serui-

ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Sed num propterea peccandi finem facis? num auaritiæ tuæ atque inſanæ habendi cupiditati modum ponis? Quid de immunditijs dicam tuis atque fornicationibus, quas plures eſſe voluiſti, quam ſint ſtellæ cœli atque arena quæ eſt in litore maris. Vide igitur quàm ſis multis partibus anſeribus inferior, qui id leuiculâ captus voluptatulâ deguſtas, quod tibi eſt animoque tuo certam perniciem allaturum.

Nahum 3. 16.

§ 2.

QVem peccati morbus teneat i eum mox ſibi debere medicinam facere, doceant animantes. Teſtudo viſceribus paſta ſerpentis, cùm venenũ aduerterit ſibi ſerpere, origano medicinam ſuæ ſalutis exercet, vt ait Ambroſius. Videas etiam vulpem lachrymulâ pinus medentem ſibi, & tali remedio imminentis mortis ſpatia proferentem. Leo æger ſimiam quærit, vt deuoret, quo poſſit ſanari. Leopardus capreæ agreſtis ſanguinem bibit &

lib. 6. Hexam. cap. 4.

vim languoris euitat. Omnis fera ægra, canis hausto curatur sanguine. Vrsus æger formicas deuorat. Atque sexcenta eius generis licebit afferre, quibus afferendis ne longior sim supersedeo, pluraque habes verbo Anima §. penultimo.

ANNOTATIONES.

1. *Eũ mox.*] Quemadmodũ bruta ista vbi primùm malè se habere senserint ad remedium, quod eis natura prouidit, properant quam citissimè: tu peccati morbo, tu peccati vulneribus, quæ quidem lethalia sunt, saucius curationem in menses, in annos differs? Quomodo tot confectus plagis, lethoque quin & inferno proximus viuere potes? Quod dum facis, Aut vt nullus profectò tibi sit malorum tuorum sensus, aut ignorare te quemadmodum ea curentur (quod quidem intolerabilis est incuriæ) aut non credere ijs vllam esse medicinam (quod infidelis est animi) necesse est.

§ 3.

PEccatorem magno licet dolore ſuo atque incõmodo, ſeſe à peccati laqueis dæmoniſq; expedire, doceat Orcynus piſcis, qui cum hamo transfixus fuerit, in marisaltitudinem ſe impellens ac deprimens, ad ſolum allidit, & hamum frequenti ad fundum pulſatione oris, expellere nititur, quod quidẽ 1 non fit ſine doloris ſenſu: quod ſi id minus iſto modo aſſequatur, dolore neglecto, ab hamo exceptum vulnus dilatat amplius, luculentiuſque facit, vt inde exilire atque vitæ ſuæ conſulere poſſit.

ANNOTATIONES.

1. *Non fit ſine dolore.*] Nec ſine dolore ſe extricabit peccator à dæmonis ſeruitute: moleſtum quidem erit priſtinæ renuntiare conſuetudini, peccati occaſiones, illecebroſam mulierum familiaritatem, ſociorum contubernium, luſiones, compotationes deſerere, voluptatibus ſeſe omnibus æternùm abdicare: verùm abunde dolorẽ iſtum omnem moleſtiamque vberri-

diripiat, & corpore foueat ſuo, atqui pulli inde excluduntur mox vt eius audierint vocem, quæ oua generauit, tanquam veræ parentis, priore illâ relictâ ad hanc ſe naturali quodam munere & amore conferunt, quam ſibi veram eſſe matrem, ouorum generatione cognouerint.

ANNOTATIONES.

1. *Perdix.*] De iſta perdicis fraude etiam Hieremias. Huius autem imitator ex Ambroſij ſententia eſt diabolus qui quos genuit Chriſtus, capere ad ſe contendit, raptoſque fouet illecebris corporis: At eorum eſt vbi primum eis vox Chriſti fuerit infuſa, ad eum ſe conferre: ad illam inquam matrem, quæ pullos ſuos gallinæ inſtar materno amore complectitur, eoſque ſub alas ſuas condit, pro ijs paratus mortem oppetere. Quod ſi Chriſti inclamantis voce neglectâ, porrò dæmonem ſequi pergat, videat nè & ipſe olim clamans negligatur, atque in illum valeat illud de prouerbijs. Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſ-

Cap. 17. *lib. 6. Hexam. cap. 3.* *Prou. 1. 24. 25. 26.*

 piceret,

piceret: despexistis omne cõsilium meũ, & increpationes meas neglexistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit.

PEREGRINVS. *Vide* HOSPITALITAS.

PERSEVERANTIA. *Vide* CONSTANTIA. INCONSTANTIA.

PIETAS. *Vide* VERBO FILII.

PIGRITIA. *Vide* OTIVM, LABOR.

§ I.

PIGRITIAM castigandam 1 docent ciconiæ, quæ cùm vt simul aliò conuolẽt ad cœlum mitius, congregantur, eam quæ nouissimò aduenit, atque cæteris in mora fuit, lacerant, atque abeunt.

ANNOTATIONES.

1. *Docent ciconiæ.*] Quod idem docet Paulus: si quis, inquit, non vult operari, nec manducet. 2. Tes-sal. 3. 10.

PRIN-

PRINCEPS. *Vide* REX.

§ 1.

1 DOcetur princeps sibi subditos non grauare, ne sit 2 leoni atque vrso similis, qui fame vrgente nulli parcunt.

ANNOTATIONES.

1. *Docetur.*] De hoc doctrinæ genere vide supra verbo Adulterium ex Basilio & Ambrosio.

2. *Leoni &c.*] Impium principem cōfert sacra scriptura cum vtroque istorum: leo, inquit, rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Per leonem autem rugientem etiam accipi potest leo esuriens, rugitus enim ille à fame. Itaque per istas duas feras fame pressas significatur incensa atque immensa tum auaritia, tum crudelitas impij principis, quâ sibi subditos expilat bonisque spoliat, eorumque fundit sanguinem, neque eo facile satiatur; quamquam & leonis rugitu insinuet scriptura metum, quem impijs suis

Prou. 28. 15.

ſuis legibus & terribili voce incutit ſuis princeps, ſicut leonis audito rugitu trepidant vniuerſi.

§ 2.

QVàm deceat principes clemētia, dictum verbo Clementia, exemplo regis Apum qui in ijs, ſolus aculeo caret.

PROVIDENTIA. *Vide* PRVDENTIA. ANIMVS.

§ 1.

PROVIDENTIAM diſcamus licet à varij generis animantibus, neque ferè virtutis vllius tot occurrunt exempla quot iſtius, ſed maximè illuſtribus ſpectatiſque contentus ero: principemque tenebunt locum terreſtres, medium aëreæ animantes, extremum quæ in aquis degunt.

Boues imminente pluuia quam ſolerter præuident [1] ad præſepia ſe tenere nouerunt. Ijdem vbi naturali ſenſu

ſenſu cœli mutationem cognouerint, foras ſpectant, & vltra præſepia ceruices extendunt ſuas, vno omnes modo, vt prodire ſe velle teſtentur. [2] Ouis ſub aduentum hyemis, quam aſperam fore proſpicit, maxima auiditate paſcitur neque ſatiatur, vt ſe prius herbæ pabulo farciat, quàm gelu adurente herba omnis deficiat. [3] Echinus terrenus admirabili eſt prouidentia, ſi quid enim inſidiarum perſenſerit ſpinis ſuis clauditur, atque in ſua ſe arma colligit, vt quicumque eum contingendum putauerit, vulneretur. Iam verò cum intelligat cibo ſibi, qui totum duret annum, opus eſſe, neque eius colligendi eſſe tempus quoduis aptum, ſuis ſe ſpinis in locis vbi ſiccandarum ficuum acerui congregantur volutat, quas aculeis ſuis transfixas, defert permultas in cauernam, ibique eas condit ſuo tempore vſui atque eſui futuras. Denique & ventorum flatus præuidet; contra quos etiam ſeſe munit, nam binos habet in cauerna ſua exitus, alterum ad borealem, alterum ad meridionalem

Ambro. lib. 6. cap. 4.

pla-

plagam ſpectantem, atque vbi Boream flaturum collegerit, ſeptentrionalem obſtruit, vbi vero, Notum ſæuiturum cognorit, meridionalem claudit, atque ad ſeptentrionalem ſe confert.

4 Formica ſibi condit æſtate, quo paſcatur hyeme, nouit enim tunc non eſſe congregandi tempus ſed congeſtis vtēdi, itaque ad meſſes properat, & quæ comprehendi anguſto ore non poſſunt, humeris maiora grana truduntur: ea autem arrodunt omnia ſeu maiora ſeu minora ſint, ne rurſus in fruges relicto germine exeant è terra, atque cibo inutilia ſint. Cùm ſenſerit grana imbre madefacta, ea profert, atque exſiccat, neque verò omni id agit tempore, ſed cum præſenſerit fore ſerenum: neque vnquam pluuiam conſpexeris, quanto tempore à formicis expoſitum eſt frumentum. Nota eſt vulpis prouidentia, nam vbi ſe in gallinarium immiſit, gallinaſque omnes earū exhauſto ſanguine iugulauit, humo egeſta foueam excauat, qua eas ſibi in poſterum cibo futuras ſepelit. Lupi proximæ hyemis

mis acerbitatem prouident, atque à desertis locis ad cultiora profugiunt.

Leones, futuram ſiccitatem præſagientes ad fructuoſa & frugifera loca proficiſcuntur. Aſpides latibula incolunt ad vtramque Nili ripam, cùm autem in agros Nilus per æſtatem redũdaturus eſt, tum triginta circiter ante diebus id præſagientes, longiùs à fluuio in loca eminentiora vna cum fœtibus ſuis demigrant.

Crocodili (quod idem dic de teſtudinibus & cancris) eandem Nili acceſſionem multò ante, quàm ea fiat, præſciunt: nec præſciunt modò, verum etiam ab ea ſe cauere norũt, id enim tẽporis, 4 oua ſua ad Nilo inacceſſa loca, ſummâ prouidentiâ transferunt.

ANNOTATIONES.

1. *Ad præſepia.*] Addit AElianus alia ſigna duo, quibus prædicunt boues pluuiã; ſi mugiant terramq; olfaciant, & ſi præter conſuetudinẽ auidiùs comedũt.

2. *Ouis.*] Quid ex iſta tum ouis præſenſione, tum bouis, tum animantium cæterarũ diſcere liceat vide §. 2. num. 5.

quod

quod enim ibi verbis Hieremiæ dicitur de miluo, turture, hirundine, ciconia, hoc idem de ijs omnibus certâ quadam ratione ac proportione seruatâ dicere licebit. Docet item ouis nobis operandum, bonisque incumbendum operibus dum licet, ne hyeme .i. mortis tẽpore, meritorum quasi cibus, quo quodammodo alitur animus, nos deficiat.

3. *Echinus terrenus.*] Qui communiore vocabulo Ericius vocatur, cuius expensâ prouidentiâ atque futuri præ-
Hom. 9. in Hexã. sensione sic exclamat Basilius. Quid, quæso, per hæc ipsa nobis hominibus indicatur? Non solum diligentiam opificis nostri, & prouidam curam per omnia penetrare, sed in animantibus quoque rationis expertibus, futuri cognitionem quandam inesse, vt & nos etiam ipsi non huic vitæ, præsentibusque rebus adhæreamus, sed totum nostrum studium ad futuram illam vitam dirigamus.

Prou. 6. 4. *Formica &c.*] Huius exemplo tum sacræ literæ, tum patres omnes, Basilius, Ambrosius, Augustinus, docent no-

nobis ea paranda in ista vita maturèque præmittēda, quæ in futura prosint; ea autem esse bona opera nemo ambigit, quæ qui in ista vita negliget, damno suo tandem sentiet quam verè sit à Salomone dictum. Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autē stertit æstate, filius confusionis: O quàm confundetur is, cùm se nudum omnino, bonisque operibus vacuum deprehendet. Sed vehementiùs adhuc confundetur, cùm palam omnibus manifestabitur eius egestas atque nuditas, iuxta illud prophetæ: ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam: Cum coram infinita hominum vi eo loco censebitur, eandemque dānationis subibit sētentiam, quam stultæ illæ virgines Euangelicæ, quæ quòd sibi virtutum oleum tempori non prouidissent, quamquam multis precibus aditum postulassent, audierunt tamen, heu lugubre illud, Nescio vos: clausa est ianua: licet autē sibi omnis generis bona opera, quemque quoad eius fieri possit præmittere oporteat; Augustinus

Prou. 10. 5.

Nahum 3. 5.

In psal. 48. ad v. 11.

nus tamen maximè censet præmittendam eleemosynam, colligendumque æstate eius fructum ne esuriamus hyeme: est autem hyems, inquit, dies nouissimus: dies tribulationis: hyems est dies scādalorum & amaritudinis. Collige quod ibi tibi sit in posterum, si autem non facis, simul imprudens & insipiens peribis.

4. *Oua.*] Vnde qui ea oua offendunt, quantum & quatenus Nili rura irrigaturi incrementum sit futurum, facilè colligunt.

§ 2.

Basil. hom. 8. in Hexā. Ælian lib. 2. cap. 46.

VVltures, expeditos in bellum exercitus præsensione quadam naturali [1] consequuntur, planè scientes & quod ij ad bellum proficiscuntur, & quod omnis pugna strages edere solet, quare non defore hominum [2] cadauera, gratissimam sibi prædam, quam & ex [3] longinquo admodum interuallo [4] odorantur, [5] summa cum voluptate. [6] Miluus hybernis mēsibus latet, nouitque quando sit prodeundum, aura scilicet clementiore; quod

quod idem de turture, de hirundine, de cuculo, de gruibus, de ciconia dixeris, quibus id ſolemne eſt vt intelligant ſibi 7 brumæ tempore à nobis recedendũ, atque in aprica loca recedendum. Præterea turtur nido ſuo 8 ne pullos ſuos incurſet lupus, prouidet, 9 ſquillæ ei folia ſuperiaciendo. Apes pluuias & frigora præſentiunt, & quãdo horum alterum aut vtrumque impendere cõiecturis aſſequuntur 10 non procul ab alueo volitant, ſed circum eum conuolantes veluti foribus incubant. Ibis lunæ incremenra decrementaque præuidet, quæ & in ſui victus ratione obſeruat. Dictum etiam ſupra formicis, ineuntis lunæ atque plenæ intelligentiam ineſſe. Grues tempeſtates cognoſcunt, antequam eæ contingunt, ideoque ex mari in mediterranea volant, vt ab ijs ſint tutiores. Cornix pluuiam prædicit, ac tempeſtatem idque tribus ferè modis; voce, deambulatione circa littora, & 11 capitis in aquam immerſione.

ANNOTATIONES.

lib. 10. cap. 6. 1. *Consequuntur.*] Quin & teste Plinio biduo, antè triduoue volant vbi cadauera futura sunt. Atque ista vulturum præsagiendi facultate prisci AEgyptiorum reges fulti, belli tempore exploratores dimittebant, qui obseruarent in quamnam exercitus partem vultures imminerent, inde docti cædem ibi futuram, vbi vulturum grex frequentior incubuisset.

2. *Cadauera.*] Vultur enim nihil quod viuit attingit, nec animatum quid interficit, quod Accipiter & Aquila faciunt; solisque cadaueribus contenta, nullius vnquã auis esu se contaminat.

3. *Ex longinquo.*] Hæc inquit Chrysostomus natura est vulturum, vt etiã transmarina cadauera sentiant. Quod idem asserit Hieronymus. Scribunt nonnulli eos cadauerum odorem quingentorum millium interuallo percipere, ad eos scilicet delatis magna ventorum vi cadauerum ipsorum halitibus, sicut etiam è longissimo terrarum tractu expirationes terræ in mare deuehuntur. Ita ipsi.

In cap. Matt. 24.

4. *Odo-*

4. *Odorantur.*] Quamquam dicant nonnulli visu potius (quo quidem acutissimo præditi sunt) quam odoratu cadauera ista ab illis percepta. Quod si odoratu fiat, non est necesse id fieri per species intentionales, neque per fumosum vaporem, vento tam procul deportatum (quî enim id fieri potest?) sed id perficitur sola odorãdi facultate quã habet perfectissimam, satisque censetur cum ea coniunctum obiectum quãquam remotissimum, si non magis remotum fuerit quam vt facultas id attingere possit..

5. *Summa cum voluptate.*] Mirum sanè ac ferè peculiare huic volucri putidis affici, suaueolenta auersari (quod & scarabeo traditur tũ ab Aristotele tum Plinio, qui rosa fugatur) nam quẽadmodũ cadauerũ odore & pastu mirè capitur, ita ab vnguentis tantoperè abhorret, vt authore Oppiano, ne armenta quidem mortua quorum carnes vnguẽto illitæ fuerint, attingat: quod si faciat, perit. Quod idem asseritur ab Aristotele, & à Theophrasto, & è nostris à Cle-

In Geoponicis.

In mirabilibus

lib. 4. de causis plantarũ

à Clemente Alexandrino l. 2. Pædagogi. Vides hic lector peccantis omnis expressum exemplar, qui peccatū, quo nihil putidius (cum tetro putore suo vel terram ipsam inficiat) in summis habet delitijs: virtutis odorem quo nihil fragrat suauius, fert grauissimè. Quid autem de libidinum dicam mancipijs, qui earum putore mirè afficiuntur, gaudentque vt iumenta volutari in stercore suo: Castimoniæ verò, cu-
Gen. 27 ius odor, sicut odor agri pleni cui be-
27. nedixit Dominus. Cuius odor vnguē-
Cantic. torum super omnia aromata, cuius o-
4. 10. 11 dor vestimentorum sicut odor thuris, multò gratissimam fragrantiam auersantur?

Quod si longè iucundissimum istum qui ex castimonia afflatur odorem, vt & teterrimum illum qui ex eorum libidinibus veluti ex mephiti, putidaque sentina minus sentiunt, intelligant spirituali sese odorandi facultate destitutos, brutorumque instar non nisi à crassioribus, terrenisque commoueri. Cæterum qui quãtus sit luxuriæ fœtor scire cu-

cupit, consulat is D. Antoninum 4. parte, enarrantem quemadmodũ Angelus humana specie cum quodam iter faciens, cadauere in via reperto, nullo molestioris sese odoris sensu affici, significatione data, pertransierit, quamquam alter interim fœtoris impatiens nares obstrueret. Cum autem paulò longiùs progressis occurrisset adolescẽs minus castis moribus, mox Angelus ocyssimè nares occlusit: sciscitanti porrò viæ socio quamobrem id faceret, cũ non ita multò ante, nare aperta cadaueris putorem tolerasset: Ah multò est inquit grauior qui modo ab huius impudicitia quam qui prius à cadauere exhalat odor. De S. virgine Catharina Senensi memoriæ proditum est eam solitam nares occludere cum sibi fortè quis obscœnior, & impudicus obuiam factus esset, nempe tam erat ei molestus etiam ipsorum scelerum odor; Deo id ei ob admirandam eius puritatem indulgente.

De admirando verò castimoniæ odore (quam & Climacus odoriferam

vocat) legere licet quod traditur à Metaphraſte in Ianuario de ſancto Iuliano Martyre, qui cum ſibi deſponſam Baſiliſſam item Martyrem; ad caſtitatis decus in coniugio tuendum induxiſſet, ipſa nuptiarum luce, tam ſuauis in cõclaui roſarum, violarumque aſpirauit odor, vt id vehementer admirata Baſiliſſa quæſierit ex ſponſo, vnde id prodigium, & vnde tanta florum atque odorum ſuauitudo, præſertim tam alieno brumæ tempore. Ad quam Iulianus: Non eſt hic odor, Baſiliſſa, temporis huius, neque tam eſt florum quã caſtitatis, & Ieſu Chriſti eius authoris. Vide ad idem vitam S. Ceciliæ, in cuius thalamum ingreſſus Tiburtius martyr, miram percepit odorum varietatem, quæ non à vulgaribus hiſce floribus, verũ à virginitatis lilijs afflabatur.

Quod autem de omni peccante ac nominatim de libidinibus dedito diximus, eum praue vulturem æmulari, hoc ipſum ſingillatim de inuidioſis etiã aſſerit Baſilius, quo quidem argumento nos à tam fœdo vitio auocare conatur

Hom. 11. de inuidia.

hiſce

hiſce verbis. Sicut vultures per multa quidem prata, multa etiam amæna & odorata circumuolantes, ad tabida & fœculenta feruntur: Sic & inuidi ad vitæ ſplendorem ac rerum benè geſtarum magnitudinem minimè quidem reſpiciunt, manca verò & fragilia; & ſi quid erratum (vt quandoque rebus humanis accidit) tantum obſeruant, hæc diuulgant, & per hæc tantũ homines cognoſci volunt. Vide ad idẽ ſi placet Iſidorũ Peluſiotã, & è paganis Plutarchum qui inimicũ (qui & plurimum inuidus eſt) cum vulturibus cõmittit. Vt quẽadmodum hi tabida tantum cõſectantur cadauera; nã plura, beneq; habentia ne ſentiunt quidẽ; ita & illũ vitæ tantum labes mouet, ægra illum, & quæ cõputruerunt, excitant. Quæ omnia & ſingula etiã ad eos qui alienã vellicant famam non ineptè accommodare licet. f Epiſt. 237. l. de vtilitate inimicorũ.

6. *Miluus &c.*] Quod & à ſacris literis celebratum, & Iudaicæ Genti exprobratum: Miluus (verba ſunt Hieremiæ) in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodie-

runt tempus aduentus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Cuius quidem increpationis iſta eſt ſententia: Volucribus iſtis cognita atque comperta ſunt ſtata ſua tempora, quibus nimirum hybernum declinent rigorem, temperatamque cœli plagam conquirant, atque in ea commorentur; at populus meus qui ſe ſapientem iactat, legiſque interpretem; ad ſupplicium (ea enim eſt notio vocis iudiciũ) illi à me pro impietate ſua definitum, certòque certius à Nabuchodonoſore inferendum totieſque à ſacris vatibus prædictum nõ attendit, illud nõ præuidet vt ei ſe ſubducat opportunè ad Deum adeundo, illumque quà commiſſorum dolore, quà precibus ad miſerationem flectendo.

Atque vtinam in ſolos valeat Iudæos exprobratio iſta, neque ad nos ſpectet, quos & impendentium malorum incogitantia, propinquæ mortis, iudicij cæterorumque extremorum obliuio arguit, minus quàm bruta ipſa; aut prouidere aut cauere futura. Quotus enim

quiſque

quiſque eſt qui mortis meminit? Qui illud ante oculos verſat: memor eſto quoniam mors non tardat, & teſtamẽtum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim huius mũdi morte morietur. Eccl. 14 12.

O quàm procul à nobis eſt mortis ac nouiſſimorum recordatio, cum tamen vniuerſa ſcriptura eius memoriam nunquam deponendam toties commoneat. Memento (vt de multis vnam eius vocem proferam) nouiſſimorũ, noli obliuiſci neque enim eſt conuerſio, & hinc nihil proderis, & teipſum peſſimabis. Memor eſto iudicij mei ſic enim erit & tuũ, mihi heri & tibi hodie. Eccleſ. 38. 21. 22. 23.

O quam pauci exiſtunt, qui ſibi virtutũ cultu vitaque probè degenda in reliquum tempus proſpiciunt, audiuntque illud Eccleſiaſtæ: Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quò tu properas. Et quoniam iſta eiuſque generis ſimilia negligũtur, & multò maxima mortaliũ pars brutis C. 9. 10

ipſiſ

ipsis longe deterior, præsentibus frui contenta bonis, cogitationes suas non profert vlteriùs; confusi sunt sapientes, inquit propheta (præterito tempore posito pro futuro, prophetico more ob rei certitudinẽ) perterriti & capti sunt, verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. Eò quod nouissima non prouiderunt quos, si se sapientes esse voluissent, imminente diuino supplicio, à lætitia ad tristitiam, à voluptate ad pœnitentiam, atque ad cingulum sacci, ad cinerem, ad fletum, ad planctum transire oportuerat.

Hier. 8. 9.

Isa. 22. 12.

7. *Brumæ tempore &c.*] Visi sunt tamen milui in superiore Germania, in quercubus, alijsue arboribus concauis & cariosis, dum fortè cæderentur, per hyemem sese occuluisse, ac puluere earumdem carioso, (qui à putredine caloris quidpiam nactus erat) corpus fouisse: Quod & ab hirundinibus fieri sæpe compertum est, & à cuculis in Belgio.

8. *Ne pullos &c.*] Et tu ignoras (verba

ba ſunt Ambroſij) tu negligis, quomodo aduerſum lupos nequitiæ ſpiritualis, poſteritatẽ vitæ huius habeas tutiorẽ? *lib. 6. Hexam. cap. 4.*

9. *Squillæ.*] Nouit huiuſmodi folia ſolitum fugere lupum, ſi enim ea calcet aut propiùs ad ea tantùm accedat, obtorpeſcit, quare & vulpes, ea luporum cubilibus inijciunt.

10. *Non procul &c.*] Ex quibus rebus, alueorum cuſtodes, futura augurati, agricolis futuram tempeſtatem prædicunt. Vide vt homines ab apiculis futurorum cognitionem hauriant.

11. *Capitis in aquam &c.*] Immergit ſe cornix refrigerandi gratia cum corpore ſit admodum ſicco. Accedit quod ob aërem ambientem refrigeratum calore intus collecto magis caleat. Cũ igitur pluuiam ſenſit imminentem cornix, & aër corpus eius humectarit, tũc etiam innatat aquis, vt quibus gaudeat plurimum.

§ 3.

SEd neſcio an iſtorum omnium prouidentiam ſuperet ea, quâ valet auicula quædam in India, quã ſtul- *Cardanus l. 10*

ſtultum vocant paſſerem per antiphraſim, ea namque aduerſus ſimias, quarum ibi magna vis, ita [1] ſe communit, eligit primò arborem excelſam ac ſpinis obſitam; excelſam quidem vt ipſæ metu terreantur ob altitudinem, ſpinoſam verò vt ſpinis arceantur ob incommodũ & dolorem. Tũ ramis huius arboris aculeatis ſuſpendit nidum prædurum nè frangi ab inimico poſſit: deinde ſtruit aditum anguſtum vt ipſa ſola poſſit ingredi, latum fundum vt ibi commodè cum pullis degere poſſit; Verùm aduerte mirabilem prouidentiam ac ſolertiam, quia hoſtem ſuum nouit vti manu, non ſecus, quàm hominem, nidi profunditatem ad quatuor palmos extendit, vt cum manum immiſerit, procul adhuc ab imo abſit, atque ea ratione, oua vel pulli qui intus latent tuti ſint. Mira eſt etiam pſittacorum in nido conſtruendo prouidentia & ſolertia; proceram etenim arborem quærunt, cuius tamen adeò tenues ſint rami, vt præ tenuitate neque minimum pondus admittant. Ad eorum cacumina

na pensilem surculum alligant ac nidum ex eo factum suspendunt pilæ instar rotundum, ac perexiguo foramine. Cum enim inimicos habeant serpentes contra eorum insidias sese communiũt, quasi intelligerẽt eos ob corporis molem non se tam gracilibus surculis credituros, neque supernè nidum inuasuros, ob casus metum. Vlysses Aldrouandus finem non facit admirandi admirabilem sanè tum industriam tum prouidentiam qua vtitur pica caudata in nido fabricando. Narrat eius nidum cum pullis sibi ex suburbano suo allatum qui talis ab eo describitur. Elegerat sibi hæc ales ex omnibus arboribus quæ ibi sunt malum; at non quamlibet, at ex qua viscum enasceretur, & quæ quamplurimos ramos emitteret, eo plenos; In quorum medio, qui per se figuram hemisphæricam (qualem nempe nidus exigebat) exprimebant, tanquã supra solidos parietes & fundamenta erat constructus & ipse oualis, longus dodrantem, latus circiter octo digitos, & surculis milij Indici alijsque radicibus,

Ornithologiæ lib. 12. cap. 12.

bus, & terra vice glutinis interiecta constans: vt nimirum oua sua ac fœtus melius posset continere. Præter ramos quos dixi viscosos quibus circũcirca erat præmunitus nidus, visebantur varij item alij per agros ac secus vias collecti fruticum spinosorum, quibus ita eum supra, infra, ante, retro munierat, vt vix foramen quo ipsi ingrediendum erat ad fœtus, conspiceretur: tantum abest vt aues rapaces, aliaque animalia ei noxia, vel pullos, vel ipsam incubantem infestare posset. pulli in hoc nido erant quinque &c.

ANNOTATIONES.

1. *Se communit.*] Expende lector hasce munitiones omnes sigillatim, & perspicies vix à solertissimo quoque plura aduersus hostes suos excogitari posse præsidia. Disce item in excelsa spinisque horrida Christi crucis arbore tibi nidum struere, si à dæmonis insidijs te tutũ esse voles, ibique cõmorari in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, in sacratissimis eius vulneribus, quò quidem penetrare nequit Dæmon. Disce,

Cant. 2. 14.

ce, inquam, aſcendere in palmam vi- Cant.7.8
uificum redemptionis noſtræ lignum, & apprehendere fructus eius. Diſce denique non alia magis ratione te à dæmone ſecurum fore, quam ſi caducis rebus omnibus ſpretis deſpectiſque in cœleſtibus cor tuum cogitationeſque defigas, (quod quidem eſt in excelſo nidum ſibi exædificare) ita vt nunquã in poſterum vllo vnquam tempore terram repetas, illudque liceat tibi ſanctiſſimi Iobi vſurpare: In nidulo meo cap. 29.
moriar, & ſicut palma multiplicabo 19.
dies.

§ 4.

ECHinus marinus vbi procellam ventorum [1] præſenſerit, [2] calculum arripit validum, eumque velut ſaburram vehit nè excutiatur fluctibus, atque eo ſeſe tanquam anchora firmat. Itaque non ſuis (ſcit enim ſe infirmiorem quam vt id præſtet) liberat viribus, ſed alieno ſtabilit pondere.

De ijs piſcibus qui ad Aquilonium mare clementioris auræ captandæ gratiâ tranſeunt, dictum ſupra verbo Parentes.

ANNOTATIONES.

lib. 5. Hexam. cap. 9. 1. *Præsentit.*] Miratur Ambrosius pisciculi istius vilis & despecti præsensionem: qui Mathematicus (sic enim exclamat) qui Astrologus, quiue Chaldæus sic potest siderum cursus, cœli motus & signa comprehendere? quo ingenio ista colligit? Quo doctore percepit? Quis ei fuit tanti interpres ingenij? Ac pergit ostendere falli homines in ijs quæ prædicunt, nunquam Echinum falli, esseque id insigne diuinæ munificentiæ donum animalculo isti collatum. Vnde & colligit quam sit hominibus Deo fidendum, de quo verbo Spes.

2. *Calculum.*] Quo indicio nautæ velut signum futuræ perturbationis capessunt, & sibi præcauent ne eos imparatos turbo improuisus inueniat. Vide hîc iterum mortales brutorum discipulos, & quam brutis deteriores sint, qui neque imminentia sibi mala grauissima licet prospicere, neque ea norunt præcauere. Verè gens absque consilio & sine prudentia, sed vtinam saperent

ac

ac intelligerent, ac nouiſſima prouide- *Deuter.*
rent. Vide etiam ſupra §. 2. numero 5. 32. 28. 29.

PRVDENTIA. *Vide* PROVIDENTIA, EST ENIM HAEC POTISſima pars Prudentiæ.

§ 1.

PRVDENTIAM docebit [1] ſerpēs cuius id eſt proprium vt cum vrgetur periculo, [2] caput principem ſui partem abſcondat, & in orbem ſe colligens abiecto reliquo corpore hoc ſolum tueatur, quòd illæſa ſibi membra cætera, ſaluo capitis vigore reputet.

Mira eſt ciconiarum in ouis ſuis à veſpertilionibus, qui eis perniciem moliuntur, vindicandis prudentia, cum enim veſpertiliones ſolo ſuo contactu oua ipſa ſterilia efficiant, ipſæ platani folia in nidos ſuos inferunt, ad quæ accedentes veſpertiliones, torpeſcunt, neque ouis quicquam nocere valent. Quam eandem prudentiam hirundini-

bus natura largita est: nam cum blattæ earum ouis sint exitio matres, apij folia ante pullos proijciunt, atque ea re illas ab his arcent. Picæ, teste Plinio, visum ab homine nidum suum sentiunt, tumque oua sua transferunt aliò: atque id in ijs auibus, quarum digiti non sunt accommodati complectendis transferendisq; ouis miro traditur modo fieri. Namq; surculo supra bina oua imposito, ac ferruminato alui glutino, subdita ceruice medio, æqua vtrimque libra ea aliò deportant.

Lib. 10. c. 33.

Ceruorum in fugiendo prudentia inde patet, quod latratu canum audito, fugiant semper 3 aura secunda.

Elephantes altero tantum dente ad cibum è terra eruendum ac fodiēdum, quòd ea re sensim teratur, vtuntur, altero ad bellandum integro conseruato. Leo inuolutis semper pedibus ambulat clausisque, tanquam vagina conditis intus vnguibus, ne attritione acies retundatur atque prælio inepti existant, tum etiam ne sui relinquat vestigia. Cui non absimile est quod de Aquila

narratur, quæ cum vnguium maximè ministerio victum sibi prædando conquirat, ideo sũmoperè prospicit ne qua ratione lædãtur aut, obtũdantur. Quò fit vt incedens eosdem introrsum sẽper cõtrahat, & vt saxosa fugiat loca ne eorum atterat aciem. Sed vide mirã ei ab authore naturæ inditam prudentiam; si forte ita res tulerit vt in petrosis asperioribusque degat rupibus tum detractas à se occisorum animantium pelles, pedibus substernit ne offendantur. Ac tantam eorum curam gerit vt vbicumque sedens (nisi aut solem aut prædam intueatur) vngues suos perpetuò inspiciat, metuens ne nimium incuruentur. Admiranda coruorum 5 solertia, qui cum aquæ laborent penuria, iniectis lapidibus situlam in qua aliquid inest aquæ implent, & eò aquam adducunt dum ab ijs contingi possit: Quam eãdem solertiam deprehensam in cane narrat Plutarchus, qui in naui nautis absentibus, in amphoram oleo non plenam silices inijciebat, quasi sciret necesse esse vt grauibus subsidentibus,

leuiora attollerentur: atque alia eiusdẽ generis stupenda sanè prudentiæ brutorum argumenta videre licet apud eundem, & passim occurrunt toto isto nostro opusculo. Habent quam imitentur boni œconomi in vulturibus prudentiam, quibus dum cadauerum copia suppetit, bonam eorum partem seponunt, atque in futurum prouidè reseruant. Cuculus tanta glandium affluentia, cauitatem in qua hyeme latet, replere dicitur, vt multo elapso frigore atque adueniente vere supersint ad propulsandam famem.

Lib. de animal. indust.

ANNOTATIONES.

1. *Serpens.*] Cuius prudentiam etiã sacræ litteræ commendant, Christus enim Apostolos suos vult esse prudẽtes sicut serpentes, quod quemadmodum sit intelligendum mox dicetur.

2. *Caput.*] Christianorum caput (inquit Ambrosius) est Christus seu fides in eum: licet membra omnia cædantur, totũ vratur corpus incendijs, mergatur profundo, euisceretur à bestijs, hoc tamen capite custodito, vita integra,

Sermon. 20. in ps. 118.

gra, salus tuta est. Nemo enim potest perire, cui non sublatus est Christus. Idem per caput intelligit summam studij nostri, summamque virtutum, quã vult esse humilitatem, quæ tanquam caput, totum velut quoddam nostrorũ actuum fouet corpus. Chrysostomus de Christo atque in eum fide consentit cum Ambrosio. Quemadmodum, inquit, serpens totum se ipsum tradit, nec admodum curat si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet. Eodem tu quoque modo præter fidem cætera perdere non cures, profundas vniuersam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, non parcas, dummodo fidem serues, quæ caput & radix est, quâ seruatâ etiam si omnia perdas, omnia tamen rursus maiore cum magnificẽtia recuperabis. Hæc ille porrò per fidẽ quam vult præ cæteris rebus carã esse debere, intelligit fidem charitate formatam atque affectam, quæque hominem iustum efficit. Serpentem itaque imitabimur si eo quod in nobis maximi est pretij seruato, cætera minoris

Hom. 34 in Matt. Vide August. serm. 4. ad fratres in Eremo Tomo 10.

momenti periculo exponere non dubitabimus. Quando igitur eò angustiarum redacti erimus, vt aut nobis facultates nostræ, voluptates, honores, amici, quin & vita ipsa, aut Deus sit relinquendus, flocci illa omnia præ Deo, qui caput est summumque bonum nostrum, facienda. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? quod quidem non istius vitæ corruptibilis, sed diuinæ amicitiæ iactura continetur. Author imperfecti aliam suggerit serpentium prudentiam, quod scilicet sibi ab hominibus cautè prospiciant: quam quidem velle Christum vt imitemur declarat, cũ posteaquam monuisset Apostolus vt essēt prudentes sicut serpentes, mox subdit. Attendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in concilijs &c. Is est prudens vt serpens (ex mente Basilij magni) quæ in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione, considerationeque qua ratione id & fieri & facilè fieri possit, omnia faciat vt au-

Hom. 24 in Mat.

In Reg. Breuio. Inter. 245.

audientium animos ad auſcultandum habeat paratos. Simplex autem vt colūba (licet iſtud aliò pertineat, ad verbum ſc. Simplicitas) qui ne ſimpliciter quidem de vlciſcendo eo qui ſibi aduerſarius ſit cogitat, potiuſque in inſtituto ſuo bene de illo merendi perſeuerat, ex præcepto Apoſtoli ſic dicentis: Vos autem nolite deficere benefacientes. *1. ad Theſſ. 3.*

Pergit oſtendere cur vtramque iſtam virtutem commendet Apoſtolis Chriſtus priuſquam eos ad prædicandum mittat, quia ad id & ſapientia opus erat ad perſuadendum, & patientia aduerſus inſidiatores: Vt videlicet quemadmodum in paradiſo ſerpens & blandiore aſpectu, callidè ad primos parentes acceſſit, & verborum probabilitate eos auertit à Deo, ac peccato ſubiunxit: item nos quoq; & perſonæ, & loci, & idonei ad agendum temporis rationem habeamus, & omnibus modis ſermones in iudicio diſponamus, vt à peccato homines auertamus & ad Deum reducamus, & in tentationibus patientiā vſque in finē teneamus ſicut ſcriptum eſt.

3. *Aura secunda.*] Cuius ratio est vt vestigiorum odor cum ipsis abeat, atque à vento transferatur.

4. *Obtundantur.*] Quod si obtusi fuerint; mira naturæ solertiâ aut eos rostro acuit, aut ad lapides atterit, sicque ad prædam præparat.

5. *Solertia.*] Solertiam esse partem prudentiæ docet D. Thomas.

Porrò nullam in peccantibus inesse prudentiam seu in hoste fugando, quod in ciconijs ac hirundinibus vidimus, seu in eo fugiendo, qua re valent cerui, seu in armis suis integris prælio asseruandis, quo quidem excellunt elephãti leonesque, res ipsa loquitur, neque ei confirmandæ diutius videtur immorandum: Et licet certis in rebus, vti in voluptatibus adipiscendis, in opibus suis callidè augendis, in honoribus sequendis consequendisque, in inimicis vlciscendis, quandam prudentiæ imaginem præ se ferant peccantes, non est ea tamen nisi vana prudentiæ imago,
Rom. 8. 6. quæ & ab Apostolo prudentia carnis, & mors nuncupatur, quod ea spiritualis

lis ſit mortis cauſa. Atque eadem vocatur ſapientia quidem, ſed ſapientia carnis inimica Deo, vt quæ legi Dei non ſit ſubiecta. Vocatur denique ſapientia, ſed huius mundi, quæ ſtultitia eſt apud Deum. Non ineſſe autem in impijs veram prudentiam diſertè ac planè edicit Salomon. Non eſt inquit ſapientia, nequitiæ diſciplina, & non eſt cogitatus peccatorum prudentia: Eſt ſolertia certa & ipſa iniqua. Quæ quidem iſtam habent ſententiam. Quãquam nequitiæ diſciplina ſeu ſcientia doctrinaue malè agendi, & nequitiam callidè perpetrandi, videatur mundo ſapientia, non eſt tamen, & cogitatus, ſeu conſilium impiorum qui aſtutas excogitant rationes perficiendi quod optant, non eſt prudentia: Et licet eorũ ſit ſolertia, ſiue calliditas certa .i. certis firmiſque nitatur rationibus, quibus quod moliuntur conſequantur, eſt tamen ea iniqua, quoniam ad malum dirigitur, quamobrem indigna eſt nomine prudentiæ: neque ſunt ipſi prudentes, verùm callidi, verſipelles, vafri,

1. Cor. 3. 19.

Eccleſ. 19. 19.

ſri, veteratoreſque nuncupandi.

§ 2.

ACcipiter lepori capto oculos ſtatim iniectis vnguibus eruit, non ignarus 1 oculorum lumine deſtituto, nulli amplius vſui fore velocitatem. Vide ſimile verbo Magnanimitas in Annotatione.

ANNOTATIO.

1. *Oculorum &c.*] Miram eſſe in oculis vim experientia conſtat cum animalium etiam generoſiſſimorum, non modò ſi ea excæcentur, at ſi quis eorũ dumtaxat oculos obnubat, generoſitas omnis atque animus concidat. Princi-
lib. 3.*c.* patu Claudij (inquit Plinius) caſus leo-
15. nes capiendi rationem docuit, pudendam penè talis feræ nomine, paſtoris Getuli ſago contra ingruentis impetũ obiecto, quod ſpectaculum in harenam protinus trãſlatum eſt vix credibili modo torpeſcente tanta illa feritate quamuis leui iniectu operto capite, ita vt deuinciatur non repugnans: videlicet omnis vis conſtat in oculis, quo minus mirum ſit à Lyſimacho Alexandri iuſ-
ſu

ſu ſimul incluſo, ſtrangulatum leonem.

Equo, qui indomitus ſeſſorem non admittit, ſi oculi contegantur nihil eo mitius, nihil obſequentius. Qui & molam circumaget id aliàs nunquam facturus: tanta eſt in oculis vis vt ab ijs omnis mentis vigor virtuſque dependere videantur. Hinc fortè præter cætera nonnullis viſum in oculis animũ tanquam in propria ſede inhabitare.

PVSILLANIMITAS. *Vide* MAGNANIMITAS.

RATIO. *Vide* INTRODVCTIONIS §. 3.

§ I.



RATIONE vti atque diſcurſu doceãt bruta illa, quæ proximè cõmemorata ſunt verbo Prouidentia & Prudẽtia, quæ licet rationis expertia, eius tamen ita multa habent veſtigia, eiuſque ſpeciẽ quandam actionibus ferè ſingulis, quas obèunt ita adhibent, vt peccantes vehementer

hementer pudere oporteat, se magis temerè minorique eum consideratione suas exercere actiones, quàm ipsa.

Atque sigillatim id docebit canis venaticus, qui licet rationis exors [1] sensionem tamen obtinet parem propè dixerim rationi. Nam cum eius feræ quã insequitur, vestigia inuestigat, vbi ad triuium peruenit, subsistit atque odoratu singularum obiens semitarum vestigia, tacitus ipse secum pertractat, sagacitate colligendi odoris, velut hunc syllogismum: [2] Aut fera quam persequor hac, aut illa, aut ista denique diuertit parte; Atqui non hac aut illa vt iam olfactu deprehendi, superest igitur illam istac abijsse via, quare porrò pergit, tandemque feram consequitur.

ANNOTATIONES.

1. *Sensionem parem rationi.*] Ita lo-
T. 6. e. 4. quitur Basilius homilia 9. in Hexameron, quem imitatus Ambrosius: si sensus eius (canis) vigorem consideres, censes eum sentiendi sagacitate vim sibi rationis asciscere.

2. *Aut fera.*] Videtur vti syllogismo di-

diuisiuo quo concludit feram per viam istam transisse quando per duas alias non transijt, cũ non sint plures. Quémadmodum autem non hinc conficiatur canem verè ratiocinari, aut habere veram electionem & rationem, dictũ suprà in proëmio.

Verum quod natura duce facit canis, id ipsũ ratione magistrâ peccanti præstandum esset, atque ita ratiocinandũ. Aut vitæ ratio mea, ad cœlum me aut ad inferos ducit (neque enim tertius est locus post iudicium extremũ, audiétq; vniuersi illud, vel venite benedicti, vel ite maledicti) Atqui non potest me ad cœlum ducere, cùm inde exulent canes, venefici, impudici, homicidæ, & omnis qui amat & facit mendacium, in quibus me esse inficiari non possum, ducat igitur ad inferos necesse est. *Apoc. 22. 15.*

RE-

RELIGIO, SEV RELIGIOSVS STATVS. *Vide* SOCIETAS.

§ I.

RELIGIOSI ſtatus numeris omnibus abſolutum exemplar ſint apes, quibus rex vnus inſtar prælati præeſt, cui & 1 obſequuntur omnes, ijs communia omnia, licet pro cuiuſque viribus, facultate atque induſtriâ varia ſint commiſſa miniſteria, vna omnibus menſa, cibuſque; neque eas qui in aliquo deliquerint impunitas dimittunt, habentque ſuas quaſi pœnitentias: Noctu nõnullæ de ijs excubant cuſtodiæ domus; Neque ijs deſunt, quos vocamus laicos fratres nullis ſacris initiatos, quos non malè referunt quæ inter eas imperfectiores cum ſint, neque ceram neque mel conficiunt, at alijs miniſtrant eaque curant quæ ad cæterarum victum, cultum domuſque munditiem ſpectant.

ANNOTATIONES.

1. *Obſequuntur.*] Pudeat religioſum ei non obſequi quem Chriſti Domini vices

vices gerere agnoſcit, cum beſtiolæ iſtæ naturâ magiſtrâ, alteri beſtiolæ pareant: pudeat propria poſſidere, cum animalculis iſtis omnia ſint inter ſe cōmunia: quæ eadem exprobratio in cæteris earum quaſi virtutibus valere poteſt. De apicularum autem vigilijs, ſilentio, ſomno, labore, & ſimilibus, vide verbo Labor, § 2. quæ tam ſunt admiranda, vt niſi oculatis teſtibus non facilè crederemus: iſta enim plurima atque alia, cùm à varijs, tum maximè ab Ariſtomacho Solenſi, atque Hiliſco Thaſio accepta ſunt, quorum ille apum mores, naturáq; duodeſexaginta annos, hic tota vita aliud nihil agentes obſeruarunt, qui & ambo de his ſcripſêre.

RENOVATIO.

§ I.

RENOVATIONEM, ſeu à vitijs ſeſe, prauiſque moribus atque habitibus liberare, doceat ſerpens, qui quotannis bis, vere ſcilicet, cùm ex latibulis egreditur, & autũno, cùm

cùm in ea ſe abdit, veterem exuit pellē, ſenectutemq; abijcit: rurſuſq; [2] iuuentam induit: quod quidem cùm facit, incipit ab oculis vnde primùm pellem detrahit, ita vt obcæcari videatur ijs qui rem nō intelligunt: tum caput exuitur: glabrum enim hoc primum omnium antequam reliquum corpus apparet, atque vna fere die & nocte ſenectus tota exuitur, à capite ordiendo ad caudā, & [3] cute altera intus ſubnaſcente, ipſa remouetur. Hæc Ariſtoteles.

De hiſt. animal. l.8.c.19

ANNOTATIONES.

1. *Veterem exuit*.] Quod quidem fit ingreſſu in anguſtum foramen, per quod quamquam non ſine dolore pertranſiens, pellis ei detrahitur, vnde & formoſior apparet, per quod (inquit Auguſtinus) fratres mei datur intelligi vt & nos pellem vitiorum deponamus, & per foramen ſtigmatum Chriſti tranſeamus, & tunc pulchriores apparebimus.

Serm. 4. ad fratres in Eremo.

2. *Iuuentam induit*.] Ita loquitur Auguſtinus lib. 8. de ciuit. c. 15.

3. *Cute altera &c.*] Vt enim (inquit Philo-

Philoſophus) fœtus inuolucro ſecundarum pellium quo contentus prodierit exuitur; ſic iſta ſenectute detracta renouantur.

§ 2.

1 AQuilæ ſolemne eſt veteres pēnas exuere, nouaſque induere, eaque ratione quaſi iuueneſcere. Eiuſdem in ſenectute roſtri pars ſuperior vſque eò increſcit atque incuruatur, vt obſtructo oris aditu, omnem capiendi cibi potioniſque 2 facultatem adimat, ipſa vero roſtrum 3 ad petram vehementer allidendo frangit, excuſſoque oris impedimento, rurſus cibum & potum capit: ita renouatur, reualeſcit, atque in priſtinam quodammodo 4 redit iuuentam, qui enim vigor membrorum, pernicitas alarum, nitorque pennarum antè, cibi inopiâ defecerat, eo ſumpto rurſus ad priſtinum ſtatum reuertuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Aquilæ &c.*] Aquilarū renouatio, & ſacris literis nota eſt: pſalmo enim 102. cum vellet Spiritus Sāctus expri- *verſu 5.*

 mere

mere se redintegraturum tum animi, tum corporis vires in iustis; Renouabitur, inquit, vt aquilæ iuuentus tua: in quem locum vide Ambros. fusè & Chrysostom. & apud Isaiam. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem (quia de imbecillibus euadent fortes) assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient; quibus verbis aliquam in Aquilis renouationem à scriptura agnosci planum est.

cap. 40.

2. *Facultatem adimat.*] Quare & tandem eas emori non senio (licet admodum annosæ sint) non ægritudine, sed fame, authores sunt Aristoteles & Plinius.

Lib. 9. de hist. c. 32 lib. 10. cap. 3.

3. *Ad petram.*] Hanc petrā vult Augustinus spirituali nostræ renouationi esse Christum; Renouabitur, inquit, iuuentus nostra sicut aquilæ: tantummodo nos vetustatem nostram ad petram Christum conteramus. Inueterauimus enim inter inimicos nostros. Vnde inueterauimus? carne mortali, carne ista fœnea, & ideo percussum est sicut fœnum & aruit cor meū, quia obli-

In ps. 66 v. vlt.

Idem in psa. 101. vers. 5.

Psal. 6.

oblitus ſum comedere panem meum. Creuit vetuſtas, os clauſit, atteratur in petra. Hæc ille.

4. *Redit iuuentam.*] Ita & ſpiritualis viri mens à ſenecta in adoleſcentiam tranſit, licet ei corpus ab adoleſcentia pergat ad ſenium, quia deficiente homine exteriore, interior viget magis ac reuireſcit, tuncque mentis eius oculus acutè cernere incipit, cum oculus corporis incipit hebeſcere quod de te prædicabat Socrates apud Platonem.

§ 3.

SOliti ſunt [1] Accipitres antequam Nilus inundet atq; agros operiat, ex pennis eas quæ iam conſenuerint dimittere, aliaſque nouas atque elegantes producere, inſtar arborum, quibus arida folia excidunt, quæque primo vere nouis ſeſe comis veſtiunt.

ANNOTATIONES.

1. *Accipitres.*] Neque iſta Accipitrũ renouatio ſacris litteris ignota, de ea namque ita Deus ad Iob: numquid per *Cap. 39.* ſapientiam tuam plumeſcit Accipiter *29.* expandens alas ſuas ad Auſtrum? nec-

agi autem hîc de plumis illis quibus in nido veſtiuntur pulli planum eſt, quod tunc necdum alas ad Auſtrum expandere poſſint, quas nondum habent: ſed loquitur de annua accipitris renouatione, qua veteres pennas nouis commutat. Quod quidem Auſtri præſidio contingit, verſus quem alas expandit, vt eius membra ad laxandam pennam veterem, venti iſtius tepore concaleſcant. cum verò eum deficit ventus, alis contra ſolis radios extentis, atque percuſſis tepentem ſibi auram facit, ſicque captato tepore, eoque apertis poris vel veteres exiliunt pennæ, vel nouæ ſuccreſcunt: Atque hanc volucris iſtius renouationem ex ſenſu quidem Gregorij imitabimur, ſi vſum vetuſtæ conuerſationis abijcientes, noui hominis formam induemus, ſi inueterata ſtudia doloſæ actionis amittemus, & nouam pennam ·i· ſi mitem atque ſimplicem bene viuendi ſenſum tenebimus, quod
Coloſſ.3. 10. quidem admonet Paulus: Expoliantes vos, inquit, veterem hominem, cum actibus ſuis & induentes nouum. Et

rurſus

rurſus, renouamini ſpiritu mentis ve- *Epheſ. 4 23.*
ſtræ, & induite nouum hominem qui
ſecũdum Deum creatus eſt in iuſtitia,
& ſanctitate veritatis. Verum non niſi
in Auſtro plumeſcit Accipiter, quia
non niſi tactu, flatuque ſancti Spiritus
vnuſquiſque ſanctorum concaleſcit, &
vſum vetuſtæ conuerſationis abijciẽs,
noui hominis formam ſumit.

RESPVBLICA. *Vide* REX, PRINCEPS, SOCIETAS, LABOR.

§ 2.

RELIGIO quibus extremis locis duobus, multa habes de perfectiſſima Apum Republica, quam ideo videtur conſtituiſſe Deus, vt eius perfectionem, humanæ Reſpublicæ imitarentur.

RESVRRECTIO.

§.

RESVRRECTIONIS fidem docet phœnix, qui cum [1] vitæ suæ finem adesse præsentit, sibi in palmæ vertice, nidum seu vrnam construit de thure, myrrha, casia, fistula, cinnamomo, cæterisque odoribus, in quam impleto vitæ tempore cùm ingressus est, expectat dum solis radij odores illos incendant, atque sic ipse medijs in ignibus emoritur, atque in puluerẽ redigitur, de quo puluere [2] vermis exurgit, inde pullus qui paulatim adolescit, atque alis pennisque vestitur, & in prioris auis speciem, formamque reparatur.

ANNOTATIONES.

1. *Vitæ finem.*] Viuit autem quingentos & eo amplius annos, atque ex eo antiqui patres exemplum sumpserunt & argumentum, quo gentilibus fidem futuræ mortuorum resurrectionis conciliarẽt; Ambrosius varijs in locis. Ter-

Lib. 5. Hexam. cap. 23. In psal. 118. In orat. de fide resurrect.

tullianus, Lactantius & alij nonnulli, argumentum autem eorum esset nullũ, si non extaret talis auis, quod quidam asserunt contra tot antiquorum tum profanorum, tum sacrorum authoritatem. Differt autem plurimum noster in vitam reditus ab istius volucris, quia nos ijdẽ numero resurgemus, cùm ista non nisi eadem specie resurgat. *In l. de resurrec. in carmine de phœnice.*

2. *Vermis.*] Generatio ista ex verme, naturæ insolens non est, cùm animalibus multis cõueniat ita generari. Muscæ enim teste Aristotele 5. de historia animalium, maris & fæminæ coniunctione vermiculum gignũt qui in muscam sensim formatur. Vide quæ de apibus dicuntur verbo Virginitas.

REX. *Vide* PRINCEPS.



AGETVR primum de ijs, quæ à Rege populo, tum quæ à populo regi debentur, in quibus primùm de reuerẽtia obseruãtiaque, deinde de amore dicendum.

§ 1.

REgem doceat apum rex, clemētiam atque mansuetudinem, qui vel aculeo caret vel eo non vtitur. Idem ostendit regis esse partes, officia cuique, vt cuiusque captus est, distribuere: apum enim rex alias aquari iubet, alias intus fauos fingere, extruere, expolire, suggerere; alias verò ad pastionem proficisci. Docet præterea regem, vt ipse quoad eius quidem fieri potest, cæteris [1] exēplo suo praeat: Rex enim apum, cùm proficiscendum est, ducis instar antecedit examen cæteris consequentibus. Et quoniam nihil in regno pace optabilius, quoad rex apum viuit, omnia in pace continet, atque eâ fruitur examen, omnique ordinum perturbatione caret: fuci suis cellis lubenter se continent, seniores suum locum habent, natu maiores item suum. Quibus quidem rebus discant reges [2] pacis esse amantes, & non temerè solaque animi impotentis libidine bella suscipere, vnde mala vniuersa in Republica.

AN-

ANNOTATIONES.

1. *Exemplo.*] Parum enim profuerit edictis atque legibus quamquam optimis rempublicam constituere, nisi eas obseruet ipse primus, & nõ tam scripto verboque alios, quam re ipsa, vitæque exemplo erudiat.

2. *Pacis amantes.*] Tanti facit in Regibus Apostolus istud pacis publicæ studium, vt præscribat Christianis pro regibus vt supplicent, atque pro ijs, qui in sublimitate constituti sunt, quo pacem ipsi in suis regnis dominijsque conseruent, vt sic quietam, inquit, & tranquillam vitã agamus in omni pietate & castitate: quas ambas virtutes belli tempore, quod id impietatem omnem atque libidinem impudicitiamq; inuehat, exulare necesse est. 1. ad Ti. 2. 2.

§ 2.

FOrma item regis apũ, docet qualem esse oporteat Regem, eumque qui in alios potestatem habeat; est enim 1 egregia forma Rex Apum, & duplo quam cæteris maior, ingressus celsior, in fronte macula ceu quodam diade-

diademate candicans, multumque nitore à vulgo differt.

ANNOTATIONES.

1. *Egregia forma.*] Quod habet Apū rex exterius, idem efficiat rex vt habeat interius, & quemadmodum ille exteriore præſtat forma, ita conetur hic interiore virtutum ſpecie (quando exterior non eſt in eius poteſtate) cæteris excellere, vt quod ei natura negauit formæ ſcilicet pulchritudinem, virtutū atque morum honeſtate atque venuſtate expleat: Ad quod idem adoleſcentes ſolitus erat cohortari Socrates, atque ob id, vt ſeſe in ſpeculo intuerentur ſuadere conſueuerat, vt ſi deformes ſe eſſe deprehenderent, virtute corrigerentur, ſin venuſtos, ne deturparentur vitio.

Plaut. in præceptis connubial.

§ 3.

POpulus regem honoret ſuum, reuereaturque apum exemplo, quæ in conſpectu ſui regis aculeos ſubmittunt [1] quaſi faſces, veluti illum [2] honorantes, agnoſcenteſque ſeſe ei cedere atque inferiores eſſe. Eædem regi mirè [3] obediunt in omnibus, & cum

eius

eius iuſſu ad ſomnum capiendum ſignum datum eſt, illicò ſe ad ſtratum conferunt.

ANNOTATIONES.

1. *Quaſi faſces.*] Atque hoc priſcorum Romanorum imitatione, quibus ſolemne erat, vt in concurſu maioris Magiſtratus, minores ſummitterent faſces; vt ſignificarent ſe honori deferre atque imperio parere. Quod idem ſimilitudine quadam etiamnum obſeruatur in mari, vbi naues quæ ſe alijs agnoſcunt inferiores, eas etiam à longinquo proſpectas velorum ſummiſſione honorant.

2. *Honorantes.*] Licet nullum eius rei habeat præceptum, cùm contra habeant Chriſtiani illud Diui Petri: Regem honorificate. *1. Petri 2. 17.*

3. *Obediunt.*] Quod naturæ ſenſu faciunt apes, id faciant homines præceptione iſta inducti: ſubditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti &c. *Ibid. v. 13.*

§ 4.

AMorem in regem doceant eædem Apes, quæ Regem ſuum quoniam clemens & lenis eſt, nulloque armatus ſpiculo, cùm is profugiendo ipſas reliquit, [1] arceſſunt, & fugitiuum à regno inſequuntur. Ab iiſdem cùm emigrandum eſt, ſi ætate affectus ſit, vehitur ipſe, cùm procedit, totum examen circa eum conglobatur, cingit, protegitque, cerni non patitur, & earum quælibet ſe proximam illi cupit eſſe, & in officio cõſpici gaudet, circa eum ſatellites quidam lictoreſque aſſiduò eũ cuſtodientes, & [2] perire pro eo Apes omnes pulchrum putant. Vbicumque ille conſedit, ibi vniuerſarum caſtra ſunt, eoque prehenſo totum tenetur agmen, [3] amiſſo dilabitur, migrantque ad alios, eſſe vtique ſine rege non poſſunt. Regiam ei in vna parte aluei extruunt amplam, magnificam, ſeparatam, tuberculo eminentẽ; ſeorſim itaque ab alijs habitat. Eo extincto mæret plebs, ignauo, inquit Plinius, dolore. Non cibos conuehunt, nõ

Lib. 11. cap. 18.

pro-

procedunt, trifti tantum murmure glomerantur circa corpus eius: ſubtrahitur itaque ab ijs, alioqui eum ſpectantes exanimem, luctum non minuunt. Tunc quoque, ni ſubueniatur, fame moriuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Arceſſunt.*] Odore autem eum ſagaciſſime percipiunt, atque de fuga in regnum reducunt: contra quam à multis factitatum, qui reges ſuos æquos licet, & ſumma moderatione imperantes, vel regno eiecerunt, vel veneno gladioue, aut maleficio alio è medio ſuſtulerunt. Nolo in re tragica & nimis noſtro etiam æuo nota vti exemplis. Cæterum præter amoris, obediētiæ atque in reges eóſque omnes ſeu ſeculares ſint, ſeu Eccleſiaſtici, qui nobis imperant, obſeruantiæ exempla, quæ ab Apiculis haurire licet; Licebit item infinitam Dei ſapientiam demirari, qui tot tantarumque virtutum veſtigia, in tam puſillis corpuſculis collocauit, atque exclamare cum Baſilio illud Dauidis, Quàm magnificata ſunt opera tua Domi-

Domine, omnia in ſapientia feciſti.

2. *Perire.*] Cuius itẽ meminit poëta his verbis:

" *corpora bello*
" *Obiectant, pulchramque petunt per vul-*
" *nera mortem.*

Lib 5. cap. 11. 3. *Amiſſo dilabitur.*] Quibus Plinij verbis iſta addit Aelianus. Rege extincto, perturbantur omnia, & funditus peruertuntur, fuci in Apum cellis pariunt, atque ita miſcentur vniuerſa, vt examen omnino deterius habeat; denique regis defectione atque inopiâ pereunt: quibus quidem patet, quot quãtorumque ſit bonorum cauſa Reipub. Rex bonus, & communitati, ſocietati, familiæ cuilibet, bonus ſeu gubernator, ſeu rector, ſeu pater; Patet itẽ quam merito inculcatum ab Apoſtolo ſit, vt pro regibus eorumque vita atque incolumitate preces ad Deum fundamus: Patet denique quam ſibi malè conſulãt populi illi, qui ſuaui Regum qui illis imperant iugo excuſſo, ſui iuris eſſe volunt, quod idem de ijs religioſorum familijs quæ moderatores ſuos non ferũt,

atque

atque dum minus ſeſe ijs obſequentes præbent, religioni ſuæ interitum perniciemque arceſſunt, intellige.

SAPIENTIA, *Vide* PRVDENTIA.

SENEX, SENECTVS.

§ 1.


Vid ab adoleſcentioribus debeatur ijs, qui ſunt ætate affecti doceant Elephantes, qui enim in ijs iuniores ſunt, natu grandioribus de legitimo cibo cedunt, eoſdemque ſumma obſeruantia colunt, & à periculis liberant. In foſſam etenim delapſos, iniectis fruticum faſcibus ſubtrahunt, quibus tanquam ſcalis aſcendentes liberantur: nunquam ex ſenectute infirmum deſerunt, ſed ei fidiſſimi permanent, eiuſque ſtudent incolumitati. Et vt à maximis iſtis ad minora, quin & ad minima quæque animalia progrediamur, quæ inter apes ætate prouectæ ſunt, ſuum habent

habent locum à iunioribus diſcretum, neque vt hæ ad mella colligenda egrediuntur; ſed domi ſe continent. Quod idem formicis ſolemne eſt: neque enim quæ inter eas annis ſunt graues ad meſſes confluunt, ſed in limine domus eas expectant, quæ inde onuſtæ remeant, quarum & onera excipiunt, atque in horreum condunt.

ANNOTATIONES.

1. *Summa obſeruantia*] Quod Lycurgus, quod Solon, Zaleucus, Charondas, cæterique legiſlatores præclarè ſanciuerunt, vt natu grandibus minores, vel de ſedibus, vel de via decedant, eiſque ætatis reuerentiâ aſſurgant, hoc idem natura brutis ſeruādum præſcripſit, cui quidem ipſa obſequuntur magis, quàm legiſlatorum ſanctionibus mortales: Quot enim videre licet è iunioribus, qui coram cano capite (quod
Leuit. 19 32. monet ſcriptura) non conſurgunt, neque honorant perſonam ſenis? Qui ætatem per ſe venerabilem dedecorant, atque dehoneſtant? Qui eos ſpernunt, atque vilipendunt contra illud Sapientis?

tis: Ne ſpernas hominem in ſua ſene- *Eccl.8.7*
ctute, etenim ex nobis ſeneſcunt. Quaſi dicat: Quamquam forti modò ſis vegetoque corpore, ſenes autem infirmo atque imbecillo, & licet animo valeas atque ſenſu, qui in illis ſenſim deficit, non ideò tamen contra eos inſoleſcendum: neque ipſi tibi aut riſu proſequendi, aut ignominia afficiendi, etenim ex nobis ſeneſcunt: obrepet etiã tibi paulatim ſenectus (ſiquidem ea dignus ſis, & non prius vitæ tuæ periodus finem capiat) anniſque grauaberis: Veniet *Eccleſ.*
etiam tibi tẽpus afflictionis, & appro- *12. 1.*
pinquabunt anni de quibus dices non mihi placent. Tenebreſcent tibi ſol & lumen & luna & ſtellæ, & reuertentur nubes poſt pluuiam: commouebuntur tibi cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, ceteraque etiam tibi euenient ſenectutis incommoda, quæ pulcherrima Allegoria perſequitur Salomon. Illud itaque tibi tempus animo præuidẽdum, neque aduerſus ſenes inſoleſcendum, maximèque pudendum

te in iſtâ aduerſus natu maiores obſeruantiâ, tanto brutis ipſis inferiorem exiſtere.

SEPVLTVRA.

§ 1.


ITA functos ſepultura afficiẽdos docent variæ animantes. Elephantus cum alterum perſpexerit mortuum ſuper eum terrá promuſcide inijcit, vel ramum, atque ſic quodammodo mortuo parentat, communem mortis ſortem miſeratus. Grues item ſepultura mortuas ſuas afficiunt, vt & [1] Formicæ, quæ ſibi neceſſitudine aliquâ iunctas granorum folliculis cõdunt, vt homines in vrnis parẽtes ſuos vel amicos. [2] Apes etiã defunctas ſuas efferunt, funerantiumque more comitantur exequias.

ANNOTATIONES.

1. *Formicæ.*]Domos ſuas habent formicæ cauernis diſcretas omnino tribus, è quibus vna eſt in qua cætus & comitia

tia celebrantur, altera eorum, quæ in annum ſeruantur penu. Tertia elatorũ & vita functorum cæmeterium. Quanta ſit autem formicis mortuarum cura, ne inſepultæ maneant, fidẽ facit, quod ſe obſeruaſſe commemorat Cleanthes, formicas quaſdam ad alienam myrmeciam ſeu domicilium adijſſe, eòque aliunde nactas formicam mortuam detuliſſe, atque in cauernæ faucibus conſtitiſſe, dum aliæ inde egrederentur, atque obuiam procederent. Ibi tum veluti inter ſe aliquid collocutas contraxiſſe, atque rurſus intro redijſſe, hoc factum iterum iterumque: poſtremò vermem has, redimendæ vt videbatur, mortuæ formicæ, quæ ad eas pertinebat, pretium extuliſſe, idque alteras accepiſſe, & quam ferrent mortuam dimiſiſſe, quam vbi de aliarum manibus accepiſſent, eam inde humandam exportaſſe atque diſceſſiſſe. Quid his quæſo vel humanius ab iſtis animalculis, vel amicabilius præſtari potuit? Multum quidem ac meritò ſanè celebratur imperatorum, ducumque exer-

Plutarchus.

 citus

2. Mac. 12. citus pietas, qui eorum militum corpora, quorum fortis ac gloriosa fuit mors, etiam persoluto pretio redimunt, eaque ipsa honorifico condunt sepulchro: verum vt isto humanitatis officio eos prosequantur, monet tum ratio ipsa, tum eorum in rempublicam merita, tum quandoque humana lex (apud Athenienses enim si quis dux peremptos bello, sepulchro honestare neglexisset, capite plectebatur) tum pericula adita, vulneraque suscepta, quin & mors pro communi salute generosè obita, quibus stimulis quid validius excogitari possit? quid autem istorum in formicis cōperias? quos nec ratio, qua carent ipsæ, neque mortuarum merita quæ nulla sunt: & vt essent ab ijs cognosci non possent, sed vnius naturæ propensio ad tam illustrem tamque admirandam in vitâ functós pietatem beneuolentiamque propellit.

2. *Apes.*] Quod ita canit Poëta.

Lib. 4. Georg. *tum corpora luce carentum*
Exportant tectis, & tristia funera ducūt.

§ 2.

DElphini ſui generis mortuorum *Aelian.*
1 ſepulturam ſic curant: Eorum *l.12.c.6.*
cadauera ſubeũtes ad ſummam aquam alleuant, tum ad continentem ſimul illos efferentes, hominibus ſepeliendos tradunt: poſtea ſequitur magna delphinorum multitudo, tanquam funeri operam dantium, atque in extinctos, honores conferentium, illoſque ab impetu aliarum belluarum ne deuorentur, defendentium. Accipiter hominem mortuum, ſi inhumatum perſpexerit, iniectâ glebâ 2 contegit.

ANNOTATIONES.

1. *Sepulturam curant.*] Cum homines alios item homines inſepultos relinquant. Ab Athenienſibus Phocion vir probus proiectus, ſepultura caruit. Iacuit Alexandri licet mater Olympias inhumata. Magnum verò Pompeum, cùm tot tantaſque res præclarè geſſiſſet, atque ſummis victorijs partis, ter triumphaſſet, Aegyptij non interfecerunt modò; ſed & capite priùs mulctatum, proiectum ad littus reliquerunt.

Et ne prophana tantum demus. Antio-
1.Mach. chus rex, (inquit ſacer textus) qui in-
5.10. ſepultos multos abiecerat, ipſe & illa-
mentatus & inſepultus abijcitur, ſepul-
turâ neque peregrinâ vſus, neque pa-
Iere.22. trio ſepulchro participans. Ioachim itẽ
19. filius Ioſiæ ſepulturâ aſini ſepultus eſt,
putrefactus & proiectus extra portas
Ieruſalem. Multi tempore Tobiæ in-
humati iacuere, è quibus quos poterat
C.14.19 ipſe ſepulturâ donabat. Denique Baby-
lonis rex, de quo hæc Iſaias: Tu autem
proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi
ſtirps inutilis, pollutus & obuolutus
cum his, qui interfecti ſunt gladio, &
deſcenderunt ad fundamenta laci quaſi
cadauer putridum. Qui plura iſtius ge-
neris deſiderat conſulat tum hiſtoriam
Eccleſiaſticam, tum Romanum Mar-
tyrologium, vnde comperiet, quàm ſint
feris ipſis inhumaniores ac ſæuiores
homines, etenim ibi ſeſe offerent ho-
minum portẽta veriùs quàm homines,
qui non inſepulta tantum ſanctorum
Martyrum corpora dimiſerunt, ſed ea
ipſa tum feris lanianda atque diſcer-
penda,

penda tradiderũt, tum in ea ipsi summâ crudelitate atque inhumanitate sæuierunt: ista etiam re brutis inhumaniores, quod hæc sacris sanctorum exuuijs frequenter pepercerunt, easque intactas reliquerunt, quas ipsi omni contumeliarum genere violarunt.

2. *Contegit.*] Id enim postulare videntur vitâ functi. Vt ille apud Maronem.

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram 6. *Aenei.*
Iniyce, namque potes, portusque require Velinos.

Facit autem accipiter naturæ sensu, quod ratione duce fit ab hominibus. Author est Sophocles impium habitũ fuisse viso cadauere insepulto non iniecisse puluerem. Atque Athenis Buziges eos est execratus, qui inhumatum cadauer neglectui habuissent. Apud Hebræos etiam lege cauebatur, ne hostem quidem insepultum relinquerent, vt non sit mirum si tanto Tobias studio in defunctorum sepulturam incubuerit.

In Antigono.

Cap. 1. & 2.

SILENTIVM.

§ 1.

ILENTII magiſtri ſunt Anſeres, qui Taurum montem tranſmiſſuri, ſinguli Aquilarum metu mordicus ore lapidem tenent, vt 1 ne clangorem fundāt, tanquam enim ſilentij frenos ſibi inijcientes montem tranſuolant, atque ſic ſuppreſſa omni clangoris ſignificatione, perſæpe Aquilas fallunt.

Inter cicadas ſolus mas cantat, fæmina muta eſt, ac more ſponſæ verecundæ, ſilentium ſibi 2 conuenire exiſtimat.

ANNOTATIONES.

1. *Ne clangorem.*] Dicas eos noſſe illud ſapientis: Tempus tacendi, tempus loquendi, quod ſe tenere audacius aſtruit Ino apud Euripidem. Quantum autem ſit ſilentij bonum, & quot quantaque mala à linguæ intēperantia vide Plutarchum de loquacitate. Certè Pythagoreorum atq; Aegyptiorū dogma fuit ſilentio Deum eſſe colendum.

2. *Con-*

2. *Conuenire.*] Mulieribus ſilentium conuenire ſymbolo iſto oſtendit Phidias Helienſibus, quibus Veneris ſignũ fecit quæ teſtudinem calcaret ijs commonſtrans, vxoris ornamentum eſſe ædes cuſtodire ac ſilentium. Hinc & Aegyptiæ mulieres calceis non vtebantur: vt ita domi ſe continere quodammodo cogerentur, neque poſſent fabulandi cauſa quoquam proficiſci, atque vt loquitur Paulus, otioſæ circumire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet. Quamobrem ab eodem Paulo præſcribitur mulieribus, vt taceant, atque in ſilentio diſcant cum omni ſubiectione, docere auté mulieri non permiſit, neque dominari in virũ; ſed eſſe in ſilentio: Multò autem maximè vetat eas in Eccleſia loqui. Mulieres (inquit) in Eccleſijs taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe ſicut lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.

1. ad Timot. 5. 13.

1. ad Timot. 2. 11. 12.

1. ad Cor. 14. 34. 35.

SIM-

SIMPLICITAS. *Vide* PRVDENTIA.

§ 1.



IMPLICITATEM doceat 1 columba, quæ ſine fuco eſt, & dolo, neque oculos habet duplices aut ſimulatos, quemadmodum vulpes, quæ cum videantur huc reſpicere, aliò aciem dirigunt, vt cum terram videntur infernè intueri ex obliquo tamen ſurſum vel ad latus oculorum aciem dirigentes, prædam circùm ſpectant, quam rapiant: At oculi columbarum ſimplices ſunt, atque fraudis neſcij, totique in id defiguntur quod aſpiciunt, vt manifeſtè deprehēdi poſſit, quorſum viſus ſui aciem dirigant.

ANNOTATIONES.

1. *Colũmba.*] Huius volucris ſimplicitas à ſacris etiam literis ſibi authori-
Mat. 10 tatem ſumit: Eſtote, inquit Chriſtus, prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: Atque ab Salomone in

Can-

Canticis ad denotandam pulchritudinem spiritualem oculorum sponsæ, cōferūtur ij cum oculis columbarū. Ecce tu pulchra es (inquit) amica mea, Ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Atque item cap. 5. reddens quodammodo sponso suo cælesti sponsa laudū vicem: oculi (inquit) eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima: hanc autem habet vim ista similitudo, vt eâ indicetur tum sponsū, tum sponsam oculos habere omnis fuci atque simulationis expertes, suumque ipsos intuitum in vnum defigere, Dei scilicet maiorem gloriam, quam vnicè in omnibus quouis suo emolumento postposito spectent. Atque hic est oculus simplex, de quo Christus Dominus: si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuum lucidum erit, si autem nequā fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Quam eandem columbæ simplicitatem sub paruulorum symbolo à suis exigit etiam Christus Dominus. Nisi efficiamini (inquit) sicut paruuli, non intra-

Cant. 1. 15.

Lucæ 11. 34.

intrabitis in regnum cœlorum : Sunt enim pueri ſimplices & fraudis ignari; Talis erat referente Ambroſio ſanctus Satyrus frater eius, de quo hæc ipſe : Tantæ autem ſimplicitatis erat vt conuerſus in puerum, ſimplicitatem illius ætatis innoxiæ, perfectæ virtutis effigie & quodam innocentium morum ſpeculo reluceret. Intrauit igitur in regnũ cœlorum quoniã credidit Dei verbo, quoniam ſicut puer artem repulit adulandi, iniuriæ dolorem clementer abſorbuit, quam clementius vindicauit, querelæ quàm dolo promptior, ſatisfactioni facilis, difficilis ambitioni, ſanctus pudori, vt frequenter in eo ſuperfluam magis verecundiam prædicares, quam neceſſariam quæreres. Hæc Ambroſ. quæ cum columbina iſta ſimplicitate mirè conſentiuit. Et ne virtus iſta, tanquam vilis minoriſq; momenti deſpectui habeatur, ſubijciam, quæ idem in eius affert commendationem. Quid, inquit, ſimplicitate ditius? Quæ ſicut bonus pater-familias ſatis ſibi abũdat, & ſua puritate contenta non quærit alie-

Serm. de obitu Fratris.

In pſ. 61.

alienum, nec abrodit, ſed de ſe cæteros fingit. Innocẽs enim credit omni verbo, nec ſe in artes varias ſæpe commutat, ſicut aſtutia quæ vt ſit cauta, timet omnia, nec ſe conſilijs ſuis credit, verſat ſuas ipſas ſententias. Simplicitas autem nihil timere nouit.

Porro Chryſoſtomus columbæ ſimplicitatem, quam æmulari Chriſtianũ oportet, in eo ſitam eſſe vult, vt iniurias ſuas non vlciſcatur, ſed in ijs etiam mãſuetudinem præ ſe ferat, nihil enim prudentia proderit, niſi hæc ſimplicitas adijciatur. cuius præcepti difficultatẽ vt oſtendat Chryſoſtomus, addit illud ſimile eſſe, ac ſi quis arundinem in ignem imponens non cremari, ab igne illam velit, ſed contrà, ignem ab arundine extingui: Quod tamen ab Apoſtolis aſſerit Dei gratiâ adiutis præſtitum, in quos cùm Iudæorum populus frequentiùs inſurgeret, ac dentes in eos acueret, nunquam tamẽ columbæ ſimplicitatem perdidere, ſed manſuetudine ac moderatione reſpondendi, iram eorum ſuperarunt, furorem incitatum extin-

Hom. 34 in Matt.

extinxerunt, impetum retardarunt. Nã
Actor.4 cũ illi dicerent: Nonnè etiam atque etiã præcepimus vobis nè doceretis in nomine isto? Quamuis innumera possent edere miracula, nihil tamen asperum, nihil acre dixerunt, neque fecerunt, sed mansuetè respondentes: si iustum est (inquiebant) vos audire, magis quàm Deum, iudicate. Perspexisti simplicitatem columbæ, vide nunc serpentis prudentiam. Non enim possumus (inquiunt) nos quæ vidimus, & audiuimus non loqui. Hæc ille. Quibus consentit Basilius, vt dictum verbo Prudentia.

SOBRIETAS, *Vide* EBRIETAS, GVLA, PATIENTIA.

§ I.



OBRIETATEM doceant Elephanti qui Romæ docti sunt tũ in cibo, tum in potu modum seruare. Vide verbo Nobilitas.

Aelian. l.5.c.39 Eandem doceat præterea Leo, qui cum se vltra quam ferre queat cibo com-

compleuit, quiete, [1] ſobrietate, quin & inedia ſe exhaurit.

Item Vrſa quæ cũ pinguiore eſt corporis habitu, [2] quadraginta dies omni cibo ſeſe abſtinet, tantumque ſolo lingendo dextero pede ſe ſuſtentat. Præterea Cameli qui non niſi quinto quolibet die bibunt, & ſi ante id tempus bibant, læduntur, [3] ſitim tamen tolerant ad dies vſque quindecim, ſimiliter inediæ ſunt patientiſſimi.

Aelian. l. 6. c. 3.

Cardanus de ſubtilitate.

Doceant denique lupi qui carnibus farti, ijs deinceps abſtinent, cubandoque tantiſper ſe fouent dum percoquãt: Dictum ſupra Verbo Gratitudo. Quẽadmodum Tigris biduum totum diætam certam ſeruet.

Plutarchus de induſtria animalium.

ANNOTATIONES.

1. *Sobrietate.*] Ebrioſi autem noſtri poſtridie eius diei quo vino maduere, atque egregiè pergræcati ſunt, vt illi intemperantiæ medicinam faciant, reſumunt ſua pocula, nouaque compotationum ineunt certamina, falsò dictitantes non eſſe aliam ebrietati cruditatibuſque, quas inuehit ipſa, medicinam

nam nisi vt de pilo bestiæ (ita enim loquuntur) à qua sunt demorsi, iterum, iterumque sumant, atque vinum vino, crapulam crapula profligant, atque discutiant. Quod quidem quàm sit falsum isti morbo remedium, & vel rationi ipsi aduersum (contraria enim contrarijs curari tradit lumen rationis) docent tum bruta ipsa facto suo, tum allatis varijs ad id rationibus Plutarchus.

In libello de tuenda bona valetudine.

2. *Quadraginta dies.*] Qua tam diutina cibi abstinentia ei intestinum eatenus adducitur & contrahitur, vt prope cohæreat. Quod quidem dum præsentit, Aron herbam agrestem comedit, cuius naturâ ventosâ intestinum diducitur, & dilatatur, eidemque facultas receptãdi, vt ante, cibi affertur.

3. *Sitim tolerant.*] Cuius ea videtur esse causa, quod animal sit valdè siccũ, quod quidem prudens natura optimè prouidit, vt animal quod in desertis vitam ageret, vbi summa aquæ penuria, frequenti potu minimè indigeret. Animum aduerte lector, cum tu non minus quàm camelus in deserto vitam ducas, eum

eum tibi in cibi potuſque moderatione imitandum. Cæterum ab ea iuuari admodum admirãdam, qua præſtant, cameli celeritatem, qua die vno centum millia paſſuum conficiunt, certum eſt, videmuſque etiam inter homines eos velociores eſſe, atque ad iter faciendum expeditiores, qui cibis pinguedineque minus grauantur.

SOCIETAS, SEV VITA SOCIALIS.

§ I.


AB iſtis brutis vitam ſocialem diſcamus licet. Ciconiæ ſi quò pergendum eſt, collecto proficiſcuntur agmine, exercitum credas cum ſignis ſuis pergere, ſic omnem eius ordinem perfectè & rationem ſeruant. Palumbes, columbi, grues, ſturni, corui, olores atque cornices, etiam turdi gaudent plurimorum connexione. Formicarum nota eſt vita ſocialis, vt & [1] Apum, quæ velut quandam ha-

bent Rempublicam, atque vitæ huius ætatem agunt ſub legibus: vnā omnes incolunt manſionem, vnius aluearis clauduntur finibus, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis vſus & fructus eſt, communis volatus. Complura etiam inter aquatilia gregatim degunt, vt thunni, vt limoſæ, vt auriæ. Dentices piſces tam ſocietatis ſunt amantes, vt non ferant ſeſe à gregalibus ſuis ſeparari: ſolent autem iuxta ætatum diſcrimina degere, peradoleſcentes enim ſeparatim à reliquis natant: ij quoque qui ſunt natu grādiores inter ſe viuunt, atque hac mutua inter ſe ſocietate ſe inuicem etiam [a] iuuant & contra piſcatores tuentur, nam vbi hi cibum demiſerint, congregati & in orbem conſiſtentes inter ſe conſpiciunt, & quaſi ſigno dato admonent ne propiùs ad cibum accedant: Accidit autem nonnūquam, vt [3] ſoliuagus quiſpiam ex eis hamum deuoret, nempè qui non interfuit cum omnibus ediceretur non eſſe demiſſum cibum attingendum, ac ſuæ

ſolitu-

ſolitudinis præmium mortem accipiat.

Illud etiam obſeruatum ab Ariſtotele eſt nullum animal cui vngues adūci, gregatile eſſe: cui ſuccinit Ambroſius, qui ait ſocietatis vitæque cōmunis gratiâ eas carere 4 feras quæ intendunt rapinis. Nam propter auiditatem prædādi, vel propter inſidias explorandi, nec ipſis inter ſe conuenit, & ideo declinant mutua conſortia. *Lib. 1. de hiſt. anim. c. 1. Lib. 5. Hexa. c. 14.*

ANNOTATIONES.

1. *Apum.*] De quarum ſocietate hæc Virgilius: *4. Geor.*

Solæ communes natos, conſortia tecta
Vrbis habent, magniſque agitant ſub legibus æuum,
Et patriam ſolæ & certos nouere penates,
Venturæque hyemis memores, æſtate laborem
Experiūtur, & in mediū quæſita reponūt.

Atque hoc extremo indicat communē ijs eſſe cibum, nihilque eas priuatum ſeorſimque ab alijs poſſidere, quod ſummum veræ ſocietatis, maximèque eius, quæ religioſam conflat familiam meritò dixeris ornamentum, quēadmodum

Oratione 44. & quod addit Diō Chryſoſtomus, nullam eſſe apem quæ relinquat ſuum alueum, ad aliumque tranſeat, licet alieni aluei multis commodis perfruantur, proprij omnium ſint inopes. Obſeruēt iſtud religioſi, qui vt melius corpore quidem, vtinā & animo habeant, tum alienam religionem capeſſunt, tum ad eiuſdem inſtituti alias domos tranſmigrant: quibus quidem multò adhuc infæliciores ſunt & deteriores, qui religioſæ paupertatis atque perfectionis perteſi, pro nihilo habent terram deſiderabilem; & ſæculum ſæculique commoda (quæ magno pridē animo deſpexerant) &, quæ inde conſequitur, vitæ licentiam atque libidines inſipienter repetunt; quibus & contingit illud veri prouerbij: canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti. *2. Pet. 2. 22.* Vtinam non & miſeris iſtis contingat item illud Chriſti Domini: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciēs retrò aptus eſt regno Dei: *Lucæ 9. 62.* ſed quid noſtra proſint vota, cùm nō poſſit ſolui ſcriptura. *Ioan. 10 35.* Quod ſi à regno Dei arcentur,

tur, ſupereſt igitur vt manibus pedibuſque ligatis mittantur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor gentium.

2. *Iuuant &c.*] Quod idem vſu venit cæteris animalibus, quæ in commune viuunt, cuius vitæ fructus eſt mutuum auxilium, & præſidium, quod quidem in hominibus multò maximè locũ habere ſic explicatur à ſapiẽte. Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur, væ ſoli, quia cùm ceciderit non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuo; vnus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. Hæc Eccleſiaſtes: à quibus non multum abhorrent, quæ de eadem vita communi præclarè Seneca. Quo alio, inquit, tuti ſumus, quàm quod mutuis iuuamur officijs, hoc vno inſtructior vita contraque incurſiones ſubitas munitior eſt beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos; quid

Eccl. 4. 9. 10. 11. 12.

Lib. 4. de Beneficijs c. 18

quid ſumus? præda animaliũ & victimæ, ac viliſſimus & facillimus ſãguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium datum eſt. Quæcũque vaga naſcuntur & actura vitam ſegregem, armata ſunt: hominem imbecillitas cingit non vnguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit, nudum & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit quæ illum obnoxium cæteris validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. Hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam aduocare. (Alios ſcilicet in auxilium & ſolatium.) Hanc tolle, & vnitatem generis humani qua vita ſuſtentatur, ſcindes. Hæc Seneca pro vita communi.

Lib.1.de Rep.c.2. Laertius l. 7.c.2. Ariſtoteles autem ſcriptum reliquit ſolitarium hominem aut Deum eſſe, aut belluam. Et Cleanthes, cùm conſpicatus eſſet quendam ſolitarium ac ſecum loquentem: Vide, inquit ne cum improbo homine loquaris: Atque rurſus Seneca, omnia nobis mala ſolitudo perſuadet, nemo eſt cui non ſanctius ſit cũ quolibet eſſe quam ſecum; niſi (vt idem *Epiſt.61* alibi)

alibi) eum se effecerit qui dignus sit quo diutissime fruatur ipse. Solitariam vitam (verba vsurpo Hieronymi) nunquid his reprehẽdimus? Minimè, quippe quam sæpe laudauimus: sed de monasterijs his nolumus egredi. *Epist. 5.* *Epist. ad Rustic.*

3. *Soliuagus.*] Hîc se ingerit recordatio Thomæ qui ab cæterorũ Apostolorũ cœtu alienus, infidelitate peccauit.

4. *Feras &c.*] Quibus Ambrosius similes facit auaros (nempe ijs vngues adunci, raptoque viuunt) qui plurium consortium refugiunt, solique volunt omnia possidere, fugiunt cohabitare cũ hominibus, & ideo excludunt vicinos, solisque habitare placet super terram. *Isa. 5.*

SOLLICITVDO, *Vide* SPES.

§ 1.

EORVM, quæ ad victũ, vitæque cultum necessaria sunt, fugiendã sollicitudinẽ doceant [1] aues, quæ quotidiana quam sibi ipsæ conquirunt annona contentæ, minimè de cra-

ſtina cogitát, quod idem de cæteris ferè animantibus licet aſſerere, formicis exceptis, atque pauculis alijs.

ANNOTATIONES.

1. *Aues.*] Has etiam adhibuit Christus Dominus ad nimiæ iſtius ſollicitudinis fugam perſuadēdam. Reſpicite, inquit, volatilia cæli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonnè vos magis pluris eſtis illis? Si enim (ita in hunc locum Chryſoſtomus) quæ ſunt rationis expertia, non ſunt de alimentis ſollicita, quomodo te defendes qui ne tantum quidem oſtendis præſentium rerum contemptum, quantum aues?

Matt. 6.

Hom. in pſ. 110. Tom. 1.

SPES.

§ 1.

SPERANDVM in Deo aduerſitatis tempore doceat Alcyon auicula maritima, quæ in litoribus fœtus ſuos edere ſolet, atque

atque ouis in ipsa maris arena positis circiter mediam hyemem pullos excludit, cùm crebris violentisque ventorum procellis mare pertunditur, atque litoribus allıditur. Verùm quod planè stupẽdum est, atq; illustre in hanc auiculam diuinæ prouidentiæ argumentum, tum temporis in Alcyonis gratiam 1 silent venti omnes, tumida æquora placãtur, idque diebus septẽ, tot enim diebus ouis incubat, totque diebus pullos excludit. Sed cùm & educatione ijs sit opus, alios itidem dies septem, summa licet hyeme, serenos tranquillosque indulsit ei diuina beneficentia, quibus eos educet atque nutriat. Quos dies quatuordecim 2 nautæ omnes norunt, atque Alcyonios appellant. Spem eandem docet 3 hirundo, quam Deus mirabili in nidificando solertiâ voluit præditam: nam primum stramenta ore colligit perfertque, lutum autem cùm deferre nequeat pedibus, extremas pẽnas aquâ primum madefacit, deinde tenuissimo puluere sese inuoluens lutum facit: Tũ paulatim compactis inter sese surculis,

colli-

colligatiſque feſtucis, interpoſito luto perinde atque glutino quodam, in ipſo nidulo iam extructo, ſua edit oua, indeque pullos excludit, eoſque nutrit, quorum ſi quis pupugerit oculos, habet quandam à natura ſibi conceſſam 4 facultatem medendi, quâ ijs priſtinam ſanitatem reddit.

ANNOTATIONES.

1. *Silent venti &c.*] Quid à Deo tu (conceptus eſt Baſilij atque Ambroſij) etiam præter omnium ſpẽ, etiam ſummis malis preſſus non exorabis, quem imagini ſuæ ſimilẽ eſſe voluit, quando alitis tam exiguæ gratia mare tam vaſtum, tam terribile, tãque ſæuum media hyeme trãquillum pacatumque efficit. Sed vide vt huius auiculæ fidem imiteris. Illa tempeſtates videat licet inſurgentes, non ideo tamen ab ijs reuocatur, neque eas extimeſcit, de diuinâ prouidentiâ ſecura, ſed in littore oua conſtituit, quæ madida adhuc relabẽte fluctu arena excipiat, neque inſurgentes fluctus, quos adhuc allabi videt, reformidat: illa tibi etiam naufragio proxi-

Hom. 8. in Hexa. Lib. 5. Hexam. cap. 13.

proximo & iam iamque fluctibus hauriendo, id est in extremis etiam periculis, atque vbi nulla præsidij spes affulget, constanter in Deo sperandum ad portum te peruenturum tandem, neque vnquam te cõtradicant licet creata omnia, à Dei prouidentia deserendum.

2. *Nautæ norunt &c.*] Quibus etiam audacter mari sese credunt, probè sciẽtes totis illis diebus quatuordecim, tutam ijs fore nauigationem: Et quamquam dies isti (addit Aristoteles) non semper in nostro mari cernantur, at in Siculo penè semper id euenit. *Lib. 5. de hist. animal. cap. 8.*

3. *Hirundo.*] Cuius artificium atque industriam consideraturus Basilius: *Hom. 8.* nemo, inquit, paupertatem deploret, neque is de sua vita desperet, cui nihil est de patrimonio suo relictum, ad hirundinis attendens ingeniosam solertiam, quâ explicatâ: hæc te admoneant (inquit) vt ne per paupertatis incommoda ad flagitia vlla fraudesque mentem deflecti sinas, neque in grauissimis malis constitutum te eiectâ spe omni, penitus inertẽ animoque fracto iacere, sed

ſed tunc ad Deum ipſum confuge, qui ſi tantis muneribus hirundinem affecit, quanto maiora in eos beneficia cõferet, qui toto ipſum corde inuocant. Hæc Baſilius. Quorum eheu quot immemores paupertatem ſuam lugent, eamque grauiter ferunt, & quod deterius eſt, pleroſque inopia in crimen, in fraudes, in furta impellit? Alij verò calamitate preſſi ſpem omnem abijciunt, fractique animo concidunt, inertes atque improuidi iacent, cùm de diuina miſeratione tunc ſperandum ſit amplius, cùm humana præſidia defecerint.

4. *Facultatem medendi.*] Applicata ijs herba chelidonia dicta, de qua iſta *Lib. de Pænit. cap. 12.* Tertullianus. Hirundo ſi excœcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. De ea qua eadem iſta Plinius. Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtrauere vexatis pullorum oculis illâ medentes.

§ 2.

1 QVis non in Deum ſperet cum aduertit iſtam agniculo dediſſe authorem naturæ propenſionem [2] ad ſui cõſeruationem, vt cùm per tota ouilia vagatus errarit à matre, neque eam reperire poſſit, balatu frequenti abſentem excitet, qua reſpondente multis licet in millibus ouium ſimiliter balantibus, recognoſcat tamen vocem parentis, ad eamque properet. Matri item id à Deo datum ad agniculorum ſuorum educationem, vt eos inter multa agniculorum millia, ſolos nouerint: quamquam vnus ſit omnium balatus, vox eadem, vnus ſepenumero color, [3] vnus etiam odor. Et licet fallatur paſtor in diſcretione tã ouium quam agniculorum: neque hi tamen in agnoſcenda matre, neque illæ in filijs errare poſſunt.

ANNOTATIONES.

1. *Quis non ſperet &c.*] Hic enim valet illud Chriſti Domini à minori ad maius, verbo cõmutato. Multis agniculis meliores eſtis vos, ſi igitur ita iſtorũ conſer-

conſeruationi prouidet,eaq; omnia largitur media,quibus ad ſuum finem perueniant ; quis iure ſibi Deum ea denegaturum exiſtimet ? cum præſertim quidquid tum agniculis,tum cæteris animantibus diuina beneficẽtia impertita eſt, id omne vnius hominis gratiâ ab ea factum ſit, cui famulatur quidquid eſt iuxta illud Pauli: Omnia veſtra ſunt.

2. *Ad ſui conſeruationem.*] Neque enim oues cæteræ vbera ei præberent, neque ea requireret ipſe, ſolam enim matrem naturali amoris in eam actus pondere requirit, licet fortè aliæ matres plus habeant lactis, quàm ipſa.

3. *Vnus odor.*] Quatenus ſcilicet odoratus noſter poteſt diſcernere : etenim ineſt ouibus quædam ſentiẽdi facultas, noſtra longè perfectior, quâ fœtus ſuos in numeroſo etiam multorum millium grege internoſcunt.

§ 3.

1 ECHinus marinus cùm tempeſtatem præſagit, calculũ haud exiguum arripit, ſub ipſo tanquam

quam anchorâ se ipsum stabiliens, detinetur enim illius pondere, ne facilè à fluctibus trahatur atque agitetur.

ANNOTATIONES.

1. *Echinus &c.*] Postquam demiratus est Basilius etiam huic animalculo vili, Deum Opt. Max. immensæ suæ sapientiæ vestigium tam euidens atque apertum impressisse, hæc addit: Nihil est prorsus, quod non sub Dei prouidētiam cadat. Nihil est omnino, quod à Deo neglectum sit, omnia explorat, omnia conspicit oculus ille peruigil, omnibus adest, facultatemque salutis cuique præstat. Si herinaceum Deus à sua prouidentia nō excludit, ea quæ ad te pertinent non explorat? non conspicit? Hæc Basilius atque eadem eius imitatione Ambros. *Lib. 5. Hexam. cap. 9.*

§ 4.

EAndem in Deum eiusque prouidentiam spem firmam prædicāt 1 bruta omnia, quibus ita corpus eiusque partes omnes disposuit: vt eorum naturæ congruebat, ac quemadmodū cuiusque fini consequendo oportunum

tunum erat: Qua quidem consideratione & notitiâ nescio quid pulchrius, quidue diuinius proponi possit; sed breuitatis amans paucula tantum eius rei exempla dabo. Auibus, quæ rapto viuunt, vngues dedit asperos, curuum os atque acutum, volatum pernicem, vt facilè possint corripere prædam, quam sequuntur, atque mox ore vel vnguibus euiscerare. Quæ eadem cæteris volucribus (quarum diuersa viuendi ratio) non tribuit, verùm alia prout cuiusque naturæ erant consentanea. Pisces acutissimos frequentesque habent dentes, quibus citissimè cibum molant, ne si mora in molēdo traheretur, aquæ fluxu difflueret alimentum; itaque velocissimè dentibus dissectum in stomachum demittitur, ne dum tantisper in partes secatur, humore aquæ abreptum fugiat. Animantibus illis, quæ solum in vna mandibula dentes habent, complures pabuli cellulas dedit: nam quod primum immissus ori cibus, dentibus minus atteratur, ideò tributa est eis reuocandi iterum ad os cibi facul-

cas,

tas, quò ruminatione nondum aliàs satis confectus cibus conquoqui possit, atque in animantis substantiam conuerti. Collum longum camelus obtinet, si enim breue haberet, herbam, quâ vescitur, attingere non posset, cum longas sit tibias nactus: Contra perbreue est humeroque ingestum tã leoni quàm vrsæ atque tigridi cæterisque generis huius animantibus collum, eo quod cum herbis non vescãtur, sed carne & præda, necesse non est vt humum ore contingant.

Vulpibus cùm ob alia tum ad cibum sibi astu conquirendum longior data est cauda. Mons est in Cantabria Hispaniæ prouincia, in mare valde eminens, qui plurimas alit vulpes, quod commodam ijs præbeat cancrorũ piscationem. Eos autem hoc piscantur modo. Vbi ad littus maris, quàm possunt proximè accesserint, caudam (quæ eis est pro funiculo & linea) in aquam immersam extendunt atque explicant, eam cancri qui eodem loco circumnatant harum insidiarum ignari, pungũt,

mordent, eique morsu adhærescunt, quod cum sentit vulpes, mox caudam in littus cancris onustam eijcit, eosque comprehensos deuorat. Neque cibum sagacitate dissimili sibi musculus prouidet; solitus est enim caudam in olei vasculum demissam, indeque retractam lingere. Formicis largita est diuina beneficentia ea omnia instrumēta (quod sanè permirum est in tantillo corpore) quibus opus habent ad grana conquirenda, ad segetum struem conscendendum, (eam autem conscendunt maiores, spicasque detruncant, & ad minores quæ inferius operiuntur demittunt, quæ summa dexteritate grana ex aristis atque paleis educunt) ad annonam in horrea sua conuehendam & recondendam, ad ea denique omnia quibus id perficiatur; vt nihil quoad victum cultumque attinet animalculo isti desit. Sed infinita sunt huius generis diuinæ in animantes bonitatis atque prouidentiæ argumenta, quorum consideratione non in spem modò erigitur animus, verum admirabilem etiam capit

volupta-

voluptatem iuxta illud Dauidis: delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

ANNOTATIONES.

1. *Bruta.*] Hic occurrit illud Apostoli: numquid de bobus (quod idem dicere est de brutis omnibus) cura est Deo? si igitur tātâ curâ prosequutus est bruta, tamque cauit diligenter, ne quidquam quod eorum naturæ conueniret, quodque adipiscendo fini esset necesse, vllo vnquam tempore ea deficeret, quis nisi impius in eam veniat cogitationē, existimetque fore aliquando, vt sibi infinita illa bonitas quidpiam eorum, quæ saluti suæ consequendæ necessaria sunt, deesse patiatur? præsertim cùm in ijs, quæ hominis corpus spectant tam fuerit prouida, tamque ad finem eius accommodata membra, partesque corporis largita sit? quomodo non igitur eadem Dei bonitas summo studio, parique diligentiâ, quæ ad ipsius animi pertinent incolumitatem, prouideat? 1. Cor. 9. 10.

2. *Formicis &c.*] Ista sanè cogitatione potest quilibet quamquam despera-

tioni proximus animo aſſurgere, atque erigi in ſpem meliorum. Prouidet diuina largitas formiculis, mihi non prouidebit? Quid Dei intereſt, vt viuat formica aut non viuat? nunquid amplius eius intereſt vt viuat is, quem ſui ſimilem eſſe, quemque ſanguine ſuo redēptum voluit? Quare ſibi perſuadeāt mortales nihil vnquam, vt ijs deſit, paſſurā diuinam munificētiam, ſi ſe ea peccando non reddant indignos. Itaque peccatum oderint (quod vnicum, Deum inter atque hominem diuiſionis cauſa eſt) & de diuina ope ſint ſecuri, nunquamque ſe ab eo deſerendos, cuius paternâ ſolicitudine, gaudent etiam viliſſima animalcula, certò certius exiſtiment.

§ 5.

QVod ſi quas brutorum animis vires indidit Deus, quaque ſolertiâ ea prædita voluit, tum ad ea, quæ cibum potumque ſpectant, tum ad ſe contra hoſtes propugnandum, conſiderabimus; multo adhuc magis acuetur ſpes noſtra, ſed quoniam

niam de iſta re multa dicta verbo Animus, & varia ad idem afferuntur hîc paſſim, iſto vno minus fortaſſe vulgato contentus, alijs ſuperſedebo.[1] Vulpi impreſſit Deus ſolertiam iſtam planè admirandam, vt ſeſe à pulicibus liberaret. Vbi enim ore muſcum vel arboris ramulum ſarmentumue complexa fuerit, ſenſim in aquam à cauda poſteriorique parte inchoando ſeſe totam immittit; cumque pulices aquam non ferant, ij paulatim partem corporis madefactam fugiunt, atque ad eam quæ adhuc ſicca eſt ſe conferunt, qua ſimiliter à vulpe aquis tinctâ, eam item deſerunt: cùmque ſolum ſuperſit caput aquis intactum quod iam vniuerſum à pulicibus occupatum eſt, illud pariter ita immergit, vt oculis tantum atque ore extet: quare pulicibus vniuerſis ad ramulum quem ore tenet adhuc ſiccum profugientibus, eum expuit, ex aqua exilit, atque ſic à pulicum moleſtâ infeſtatione ſe eximit.

ANNOTATIONES.

1. *Vulpi &c.*] Aequum quidem videbatur dare Deum animanti isti solertiã aliquam qua se aduersus eos hostes, qui vitæ eius insidiarentur, tueretur, cùm eius, hominibus sit aliquis vsus: at Deũ ita eius incolumitati & quieti consuluisse, vt etiam se à pulicum molestijs liberaret, omnem id sanè excedit admirationem, vehementerque spem excitat nostram, fore, vt qui vulpes tanto prosequitur amore, vt eos nolit à pulicibus infestari, nobis etiam opituletur, quo ab omnibus tum corporis, tum animi molestijs (vbi id salutis nostræ ratio postulabit) immunes, pacatam, tranquillamque vitam degamus. Quid enim Dei interest mordeaturnè à pulicibus vulpes, nec ne? Multum quidem, sed non tam vulpis ipsius causâ (quamquam & illi diuina bonitas velit bene esse) quam nostrâ, tum vt in eo spem nostram omnem collocemus, tum id agnoscamus, nihil tam esse vile despicatumque, quin ad id summâ suâ prouidentiâ se extendat.

SVPE-

SVPERIOR. *Vide* OBEDIENTIA, REX, PRINCEPS, CONTEMPLATIO.

TENTATIO.

§ 1.



ENTATIONES carnis potissimum, quemadmodum vincantur, doceant Anates, quæ cum Aquilam sibi desuper imminentem conspiciunt, illicò se 1 intra aquam abdunt atque infra eam summa velocitate natando, ex alio loco extrà eandem prodeunt: Quod si Aquila illuc quoque incumbat & instet, iterum demerguntur atque tamdiu sursum, deorsum commeant, dum Aquila aut submergatur aut discedat, tum enim hæ posito metu ad summam aquam rursus natant.

ANNOTATIONES.

1. *Infra aquam.*] Fuga ista doceat nos illud Apostoli opere exercere: fugite fornicationem, iste enim hostis cum nos insequitur vt perdat, non tam fronte aduersâ quam auersâ cum eo congrediendum, fugâque sibi consu- *1. Cor. 6. 18.*

lendum docét ſpiritualium rerum magiſtri: fugienda itaque omnis iſtius peccati occaſio, intuitus mulierum, omnis cum ijſdem conſuetudo, earum recordatio quáquam ſanctæ ſint, quod grauiter monet Caſſianus quodam loco (vbi & cauſam affert cur cum peccata cætera reſiſtendo pugnandoque, iſtud verò fornicationis, fugiendo ſuperetur) ſatis enim, inquit, pernicioſum eſt adhuc infirmis ægriſque pectoribus, vel tenuiſſimam recordationem huius paſſionis admittere, ita vt nonnunquam eis etiam ſub recordatione ſanctarũ fæminarum, vel ſub ſacræ lectionis hiſtoriâ, noxiæ titillationis ſtimulus excitetur. Cuius cauſâ ſeniores noſtri huiuſmodi lectiones ſub præſentiâ iuniorum ſolent conſultiſſimè præterire. Hæc ille. Quæ vtinam expendant illi, qui non tenuiſſimam modò fæminarum earumque non ſanctarum recordationem admittunt, quod hîc vetatur à Caſſiano, ſed & cum ijs plus æquo, & pluſquam ſola neceſſitas patiatur (quæ quidem viro religioſo

Colla. 19 cap. 6.

gioſo menſura eſt cum ijs agendi) verſantur, qua quidem conſuetudine id efficitur, vt & de ijs frequenter, & bene diu cogitent: quod num ſine ſpirituali damno, nonnullaque caſtitatis iacturâ contingat, penes ipſoſmet iudicium eſto.

§ 2.

QVemadmodum tẽtationis tempore quis ſe habeat docent quæ dicta ſunt verbo Aduerſitas.

TERRA, TERRESTRIS.

§ 1.

TERRAE amore minimè teneri docebunt quæ allata ſunt verbo contemplatio, vt & ſequentia.

Pompyli piſces [1] altum mare ſemper petunt, terramque oderunt vehementer & littora, quare circum naues altum petentes tanquam amicas concurſant, eaſque huc illuc ſaltantes ſtipant, at vbi ijdem terram non multo

multo abesse interuallo sentiunt, 2 easdem deserunt paulatim, atque frequentes in altum reuertuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Altum mare petunt.*] Quo suo facto docent nos spiritualiter præstare, quod *Lucæ 5. 4.* Christus Dominus ad Petrum: duc in altum, & laxate retia vestra in capturã: & quod Christus ipse paulò antè præstiterat, dum postquam ascendisset in nauim Petri, rogauit eum; vt à terra eam reduceret pusillùm, vt commodius, inde minusq; interpellatus doceret turbas: Quid enim aliud est ducere in altum, quàm terrena despicere, atque amare cælestia? quàm terra terrestribusque desertis despectisq; rebus, in ea quæ sursum sunt toto animi studio, contentioneque ferri? Quod quidem proprium est Christo initiatorum, atque eâ ceu notâ atque tesserâ discrimen existit inter Christi discipulos, atque alienos. Testatur Damascenus *In hist. Iosaphat* sortitos esse olim nomen istud Christianos: Gens, quæ terrena omnia despicit, & nihil habet, ac solùm futura atque

æterna

æterna curat. Nobile ſanè nomen, & quo ſe modò plurimi Chriſti ſectatores indignos eſſe volunt.

2. *Eaſdem deſerunt.*] Quod quidem dum à nautis aduertitur, inde certò colligunt non ſe procul abeſſe à terra. Vide quemadmodum homines à brutis diſcunt, illiſque hæc ſunt ſapientiora.

§ 2.

IDem doceat auis Manucodinta dicta in Moluccis inſulis, quæ [1] nunquam terram tangit, ob idque [2] pedibus caret, [3] in aëre autem perpetuo habitat procul ab omni hominum viſu, vbi caudâ atque alis in orbem extentis ſponte ſuſtinetur, veſciturque cæli rore. *Vide P. Iarric. Tomo. I. l. 2. c. 27*

ANNOTATIONES.

1. *Nunquam terram tangit.*] Neque vnquam in terra viſa niſi mortua, quá & ſe vidiſſe ter, aſſerit Cardanus. *Lib. 10. de ſubtilit.*

2. *Pedibus caret.*] Quamquam neget Ariſtoteles auem vllam pedibus carere. Verùm loquitur de ijs auibus, quæ tum temporis notæ: (hæc enim ſuperiore tantum ſeculo cum detectæ ſunt

Moluc-

Moluccæ, in hominum cognitionem deuenit) narratque Gesnerus à singulis insularum illarū regulis numero quinque (totidem enim sunt insulæ) singulas istius generis aues dono missas Carolo 5. Imperatori.

Lib. 3.

3. *In aëre &c.*] Atque eâ re vocatur à multis auis paradisi: ab Insularibus verò dicitur Dei auicula, cuius consideratione multi de illis inducti sunt, vt animorum immortalitati assentirentur. Cæterum ista aëris inhabitatione docet nos ista auis, audire illud Ecclesiæ in solemni missæ officio denuntianti omnibus: sursum corda. Monet item imitari illud Apostoli: Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominū nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratū corpori claritatis suæ. Monet præterea audire illud eiusdem: Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, nō quæ super terram. Verùm heu dolendū, multo maximam hominum partem ita

Ad Philip. 3. 21.

Ad Colloss. 3. 1.

terra

terræ adhærescere, rerumq; terrestrium amore teneri, quasi non ad cælestia essent vocati, neque de re alia cogitare vnquam, quàm de auro atque argento, terrâ nimirum flauâ atque albâ coaceruandis, de finibus suis atque possessionibus dilatandis, de vicinis agris per fas nefasue vsurpandis, de terrenis honoribus atque voluptatibus consectandis: diceres eos non homines at talpas esse, qui oculis capti, in terra atque de terra victum trahunt, neque illis extra terram bene esse vspiam potest. Atque vt ad istius volucris naturæ explicationem sese referat sermo, petet fortasse quispiam quemadmodum & quonam loco si in aëre degit semper, neque se ad terram demittit vnquam, oua ponat, ijsque incubet pullosque educet. Isti interrogationi ita respondet Cardanus. Masculi dorsum huius auiculæ sinuatur intus, in eamque cauitatem oua fæminam facere, ratio ipsa docet, cum & ipsa fæmina cauum habeat ventrem, vt sic vtraque cauitate possit ouis incubare. Masculo

hæret

hæret in cauda filũ longius tribus palmis, coloris nigri, medium inter quadratum, rotundumue, neque crassum, neque admodum tenue, verum ei non absimile, quo crepidas cerdones consuere solẽt: Hoc existimamus dum oua fæmina incubat alligari firmius illam masculo. Hæc ille: quibus inter cætera Dei tum admiranda sapientia, tum in istam volucrem prouidentia confirmatur: quæque ideo protuli quia rariora sunt, neque vspiam simile habent exemplum.

TRIBVLATIO, *Vide* PATIENTIA.

VERBVM DEI.

§ 1.

ESSE illud audiendum atque velut cibum mentis recondendũ in tempus hyemis, 1 docẽt formicæ quæ æstate grana recondunt quibus vescantur hyeme.

ANNOTATIONES.

1. *Docent Formicæ.*] Conceptus iste est

est Augustini locis pluribus, maximè autem in Psalmum 66. qui æstaté vult esse prosperitatis tempus, & quietis ac tranquillitatis, hyemem autem facit fortunam aduersam, iacturam bonorũ orbitatem suorum, exhonorationem aliquam atque humiliationem. Quemadmodum autem redit formica ad id quod æstate colligit, & intus in secreto suo, vbi nemo videt, æstiuis laboribus recreatur: & sicut quando ista colligebat æstate, videbant omnes; cùm his verò pascitur hyeme, nemo videt: Idem euenit istis qui formicarum more cibum istum spiritus, sibi tempori colligunt: Vide mihi, inquit, formicam Dei: surgit quotidie, currit ad Ecclesiam Dei, orat, audit lectionem, hymnum cantat, ruminat quod audiuit, apud se cogitat, recondit intus grana collecta de area, atque hæc omnibus videntibus, fiunt. Formica illa est conterens iter, portans & recondens in conspectu cernentium. Venit hyems aliquando, cui enim non venit? Accidit damnum, accidit orbitas, cæteri miserantur

In Psal. 4. v. 9. & contra Adimant. c. 24. ad versum 1.

rantur forte, vt miserum qui non norunt quid intus habet formica quod comedat, verbum Dei scilicet de aduersis æquo animo tolerandis quod mente condidit, quo iam pascitur, reficitur atque oblectatur. Cùm alter qui sibi cibum istum æstate non collegit: qui verbum Dei non frequentauit, hyeme cum casus aliquis irruet, aliquaue calamitas de transuerso, non sit, quo se pascat, habiturus, neque enim hyemis tempus est colligendi; sed quæ æstate collegeris manducandi. Quàm multi enim tribulationem ita patiuntur, vt nō eis vacet nec legere aliquid, nec audire aliquid, nec forte admittuntur ad eos, qui eos consolentur: remāsit formica in cauerna, videat si collegit æstate aliquid, quo se auocet hyeme. Hæc perpaucis immutatis Augustinus quem consule omnino enarratione in Psal. 36. ad versum 20. vbi eadem ingerit, allato exemplo cuiusdam qui nuperrimè à Donatistis ad Catholicam Ecclesiam profugerat.

§ 2.

ESse Dei verbum auditum, mẽte pertractandum atque ruminandum 1 docent ea animalia, quæ cibum mansum ruminãt, iterũ illud ad os reuocando, atq; exactiùs cõminuũt, quo digeratur facilius, vt sunt boues, oues &c. & inter pisces solus scarus.

ANNOTATIONES.

1. *Docent &c.*] Hanc ab animalibus istis sumptam doctrinam de Dei verbo ruminando passim exhibent sancti patres, vno contentus ero Gregorio, cuius quæ de ista re ipse in cantica, paucis cõplectar. Ad illa enim verba, *Versu. 9* c. 8. Guttur tuũ sicut vinum optimum, dignũ dilecto meo ad potandũ, labijsq; & dentibus illius ad ruminandum, hæc habet: Labia & dentes ruminant, quia dum perfectiores quique post auditum, verba ad memoriã reuocãt, dum audita quæque exercitatione assidua cogitant, quasi ad os reuocantes, quod sumpserunt, quanta sit virtus cibi, quem comederunt, sentiũt: idcirco in lege scribitur quod animal, quod non ruminat immundum habetur, quia quisquis

bona quæ audit siue legit, non recogitat, vacãs à sanctis cogitationibus, necessariò immundas congregat.

VERECVNDIA, *Vide* CASTITAS.

§ 1.

VERECVNDIAE magister sit Gallus gallinaceus, qui si cum altero depugnans succubuit, neque canit, neque [1] præ pudore in hominũ conspectum se dat, sed confusus in primam quamque latebram sese occultat. Mirus Elephanto pudor cùm victus est, fugitque vocem victoris.

ANNOTATIONES.

1. *Præ pudore.*] Cùm tanta sit peccatoris impudentia, vt nullius turpitudinis aut dedecoris eum pudeat: non quòd vili voluptatulæ succubuerit, non quòd dæmoni manus dederit, non quòd se, suâque dignitate maximè indigna gesserit, frons meretricis facta est illi,
Hier.3. noluit erubescere: atque vt Sapiens: Vir improbus procaciter obfirmat vultum

tum ſuum, qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam: etenim impius quamquam repræhendatur aut moneatur, nullo mouetur pudore (qui in vultu ſedem habet) ſed vt Ezechielis verba vſurpem, attritâ fronte & duro corde tum pertinaciter in impietate ſuâ perſeuerat, tum eam ipſam tuetur atque excuſat impudenter, ac ſine rubore bene monentibus fortiter reſiſtit, atque obſtrepit, iiſque inſultat.

Prou. 21 29. *Ezech.* 3. 7.

VIGILIA, VIGILARE, *Vide* LAVS DIVINA IN FINE.

§ 1.

VIGILARE ſeu orationis ſeu cuiuſcumque rei honeſtæ cauſa, docebunt [1] Anſeres qui & noctu vigilant, atque excubant, eaſque vigilias cantus aſſiduitate teſtātur. Cui rei fidem faciat [2] Romanum capitolium, quod in Galli hoſtis poteſtatem perueniſſet, niſi [3] vigilantes anſeres cantu ſuo vigiles excitaſ-

ſent, qui eum iam 4 conſcendere paratum repuliſſent, Grues item noctu vigilant, atque viciſſim excubant cæterarum cuſtodiæ, dum eæ conquieſcunt. Leo cùm dormit, caudam mouet, quo oſtendat ſe non omnino dormire, & ſomno vndequaque vinci, vt cætera animalia.

ANNOTATIONES.

1. *Anſeres noctu vigilant.*] Quamquam nemo illis de vigilando quicquã præſcripſerit, licet etiam corpori ſuo tuendo tantùm vigilent, cùm hominibus non vt corporis, verùm vt animi incolumitatem ſeruẽt vigilia præcepta
Mat. 24 ſit. Quoties enim inculcatum nobis à
41. 43. Chriſto illud vigilate. Vigilate ergo,
44. inquit, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias quâ horâ fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati quia quâ neſcitis horâ filius hominis venturus eſt. Iterum: Videte, vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit.

Vigi-

Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò an media nocte, an galli cantu, an manè) nè cùm venerit repentè inueniat vos dormientes.

Nihil iam de Apostolorum ad idem vigiliæ studium cohortationibus afferam, quibus nihil magis in ore, sed & in calamo, quàm vt nobis diligentiam istam atque excubias commendarent, certum enim est nihil boni adepturum eum, qui somno deditus meliorem vitæ suæ partem dormiendo, id est nihil agendo consumit, aut vt veriùs loquar perdit. Non consequentur quidem virtutem, quam soli, vt ipsamet virtus loquitur, qui mane vigilant ad me, inuenient. Quare beatus, inquit, homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei; qui me inuenerit inueniet vitam & hauriet salutem à Domino.

Prou. 8. 17.

Prou. 8. 34. 35.

Neque item sapientiam somniculosus consequetur, non enim nisi qui vigilauerint ad illam complectentur placorem eius, hoc est, quæ in ea est, suauita-

Eccl. 4. 13.

uitatem, atque dulcedinem. Denique neque exteriora bona, quæcumque ſint illa, indipiſci poterit ſomni plus æquo amans, nimirum ad eius domicilium tendit quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi vir armatus: Quare prudẽter monet ſapiens: Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat, aperi oculos tuos, & ſaturare panibus. Requirunt tum animi tum externa bona ad ſui adeptionem, mẽtem viuidam, vigilem, acrem, alacrem, excitatam, nõ torpentem, non ſegnem, non inertem, non deſidem, non tardam, non dormitantem, veſtietur enim pannis dormitatio, vt præclarè Salomon.

Prou. 24. 31.

Prou. 23. 21.

2. *Romanum capitolium.*] Hiſtoriam iſtam fuſiùs deſcriptam vide apud antiquos tum hiſtoricos, tum Poetas quãplurimos; nihil enim ea vulgatius. Eius item meminere Ambroſius, atque Auguſtinus; quorum ille ſalſè commemoratis horum anſerum excubijs, Romanos irridet. Meritò, inquit, illi debes Roma quòd regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anſeres. Ideo illis

Lib. 5. Hexam. cap. 13.

Lib. 2. de ciui. Dei cap. 22.

illis diebus anſeri ſacrificas non Ioui. cædunt enim dij veſtri anſeribus, à quibus ſe ſciunt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte caperentur, atque in eandem penè ſententiam Auguſtinus facetè irridens deorum, quos colebant Romani, vanitatem.

3. *Vigilantes anſeres.*] Aſſeruabantur iſti anſeres in capitolio Iunoni ſacri.

4. *Conſcendere paratum.*] Imò iam conſcenderat de ijs vnus, quem anſerum clangore excitatus M. Manlius, qui ei loco præerat correptis armis vmbone deturbauit Hic alios ſecum pondere corporis traxit in ruinam; Interea Romanis ad tumultum concurrētibus, Galli magnâ vi repulſi ſunt.

5 *Non omnino dormire.*] Quod ſe obſeruaſſe dicunt Aegyptij, atque ideo eū ſoli conſecratum voluerunt, quòd ſit eius ſimilis, vt qui nunquam ab inſtituto curſu conquieſcat. Aptè autem etiā iſtâ vigilantiâ refert Leo dæmonē, qui tanquam leo rugiens perpetuoq; vigil, circuit quærens, quem deuoret.

§ 2.

NOta est canum vigilantia atque excubiæ in custodiendis domibus, tuendis ouilibus &c. subdam vnum minus fortasse notum ex Aeliano; Sacrilegus quidam intempestæ noctis silentio sopitis ædituis, Aesculapij templũ, eius prædandi causâ ingressus est, atque vbi multa donaria surripuisset, seque latere putaret, discessum parabat. Verùm dormiẽtibus cæteris tẽpli custodibus, canis ianuæ custos solicitè excubabat, atque sacrilegũ illũ, quàm validissimè poterat allatrabat: quod aduertẽs ipse cum socijs eũ primò lapidibus appetebat vt cõpesceret, tum pane atq; offis demulcebat ne latraret, at frustrà; quocũque enim se conferret, eũ canis a latrando insequebatur, tandẽ agnitum est esse canem illum, templi excubitorẽ, atque cùm obseruatũ esset quænam ornamenta templo deessent, sacrilegus ille per tormenta rem totam confessus est, & capitis damnatus sacrilegij sui pœnas dedit.

Lib. 7. cap. 13.

Gallus gallinaceus ita noctu vigilat,

vt

vt ; tertiâ quaque horâ canat, ad idque à natura factus videtur, vt mortalium 4 somno interrupto ; eos ad opera laboresque vocet, neque ijs incautis, solis ortum patiatur obrepere, diemque venientem vt 6 cantu nuntiet.

ANNOTATIONES.

1. *Canis excubabat.*] Quam indignum canes templi, rerumque sacrarum (vt ipsi quidem existimabant) custodiæ inuigilare, cùm homines quorum fidei atque vigilantiæ res istæ commissæ erant, altùm dormiunt, quos ipsa loci sanctitas atque maiestas, Deique sui præsentia ad vigilandum prouocare debuisset: quibus stimulis cum careret canis, excubat tamen atque vigilat: tam sunt in multis homines canibus deteriores.

2. *Latrando.*] Atque isto latratu sacrilegum prodidit; quo docentur homines criminosos, eosque qui bono publico sunt infesti, cuiusmodi sunt hæretici, homicidæ, adulteri, fures, accusare

cusare atque detegere, contra quàm à multis fit, qui ijs receptum dant, eosque magno Reipublicæ detrimento occulunt.

3. *Tertia &c.*] Nota quemadmodum naturale horologium prouidit Deus ijs, qui ruri habitant, multo etiam artificialibus certius. Sed quis gallo indicat transactas esse horas illas, esseque tẽpus canendi? Respondet Plinius eum nosse sydera, solisque ortum atque occasum, quo occidente concedit cubitum, cuiusque ortum cantu se præsagire testatur, atque ideo cœlum (quod soli isti volucri conuenit) crebro intuetur. Hanc Galli scientiam videtur in-
Iob. cap. 38. v. 36 nuere Deus apud Iob, cùm ex eo sciscitatur. Quis dederit Gallo intelligentiã? tum istam de qua modò, tum intelli-
Lib. 10. cap. 21. gentiam gloriæ, (de qua ita Plinius: Gloriam sentiunt hi nostri vigiles nocturni) tum aliarum rerum, de qua idẽ,
Lib. 14. cap. 28. & Aelianus pluribus.

4. *Somno interrupto.*] Quasi non sit ignarus damnorum, quæ à somno nimio: qui quidem caput grauat, corpus

totum tardum efficit, ac torpens, eneruat vires, prauos auget humores, quia multas gignit superfluitates, quæ manè ordinarie expurgantur excreatione alijsque modis. Denique sensibus externis ac visui maximè obest plurimum. Atque ideo solitus erat Plato suos monere vt nocte surgerent ad res tum publicas tum priuatas obeũdas, somnum enim immodicum & animo & corpori obesse dicebat, parumque mortuum inter & dormientem interesse: itaque vt quisquis viuere & sentire cuperet, sic vigilare oportere, quantum id salua corporis valetudine fieri posset. Plinius vitam hominum vigiliam aiebat esse. Ariston autem breue admodum esse viuendi tempus homini contributum, cum somnus veluti publicanus dimidium auferat.

Lib. de legibus.

5. *Eos ad opera.*] Atque maximè ad orationem quæ sub auroram & summo mane est optima, animo nondum in diuersas partes cogitationesque, vt per diem fit, dissipato. Quæ causa fuit quamobrem tempus illud isti exercitio

ab

ab vniuersis Dei cultoribus semper datum sit: Deus Deus meus (ita de se Da-
Ps. 62.1 uid) ad te de luce vigilo. Et alias:
Ps. 5.4. Quoniam ad te orabo Domine, mane
5. exaudies vocem meam. Manè astabo tibi & videbo quoniã nõ Deus volens
Cap. 26. iniquitatem tu es. Anima mea (verba
9. sunt Isaiæ) desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. Quorum imitatione B. Petrus nunquam post gallicinium conquiescebat, verùm è stratu surgebat orationis, atque peccati sui lachrymis eluendi causâ, quod quidem sub illud tempus ab eo commissum erat.

6. *Cantu.*] Qui non est tota nocte æquabilis aut vniformis, nam vt obser-
In cap. uatum à Gregorio est, profundioribus
38. Iobi. horis noctis, valentiores ac productiores edere cantus solet, cum vero matutinum iam tempus appropinquat leniores & minutiòres omnino format voces.

VIN-

VINDICTA, *Vide* MAGNANIMITAS, INIVRIA, PATIENTIA.

§ 1.



A Vindicta sese abstinere doceat leo,[1] ne sæuæ isti belluæ similes fiamus; Narrat Aelianus, cum Iuba Rege qui cum magnis copijs per desertum proficiscebatur, profectum item adolescentem quendam sagittandi peritum, qui leonem sagitta vulnerauit, non ei tamen mortē intulit: cumq; rex cum suis iter suum accelerater, leo vulnere excepto statim se subduxit, atque adolescens cum cæteris discessit. Anno post, Iuba rebus præclarè gestis cum ijsdem copijs eâdem viâ regressus est ad eum locum, vbi anno ante, leo vulnus exceperat, qui adolescentem in magnâ licet militum turbâ cōsistentē, (à quibus omnibus leo impetum suum cōtinuit) corripuit, ac furore suo, quem tādiu seruarat, in illum (quem ab alijs probè internouerat) effuso, in partes discerpsit.

Lib. 7. cap. 23.

Iterum

Iterum à vindicta alienum esse doceat aliâ viâ idem, qui eum quidem qui tela miserit sed non vulnerauerit correptum raptumque sternit, non vulnerat tamen.

ANNOTATIONES.

1. *Ne saeue &c.*] Modum istum quo nos docent bruta vide verbo Adulter ex Basilio atque Ambrosio.

2. *Furore suo &c.*] Vide mihi quid à leone isto differat, qui cùm acceptâ iniuriâ se vlcisci nequeat, vindictam in posterum reseruat, & plures etiam annos expectat, dum eius faciendæ occasionem sit nactus. Leoni quidem id cōcedendum est, aliâs leo non esset nisi sæuus esset, acceptamque iniuriam referret: contrà qui eum æmulatur, homo esse desinit, atque in bruti naturam degenerat. Neque leoni quidquam est, quo naturæ motus comprimat, homini autem adest ratio, quâ eum idcirco præditum voluit Deus, vt ea in omnes animæ motiones dominaretur. Omitto leonem neque minis neque promissis à vindicta auocari, cùm vtrisque & validissi-

dissimis quidem, ab ea mortales reuocentur, ex quibus efficitur multò hominem leone deteriorem, atque vindictæ appetentiorem.

§ 2.

IDem doceant Apes, quæ si ferientem se referiunt aculeoque pungunt, [1] immoriuntur aculei sui vulneri.

ANNOTATIONES.

1. *Immoriuntur*.] Per hoc animal, (verba sunt Chrysostomi) erudiuit nos Deus, ne proximum lædamus: ipsi enim primi mortem ex eo capiemus, & ipsos forsan parum lædemus quidem (quantulum enim nocet aculei punctio) ipsi verò non amplius viuemus, animæ vitâ scilicet, quæ Dei amicitiâ continetur, cuius iacturam facit homo vindictâ, quin & vindictæ sola appetitione. *In 1. ad Thessal. cap. 5. hom. 10.*

VIRGINITAS, *Vide* CASTITAS.

§ 1.

VIRGINITATEM seruare discemus ab iisdem Apibus, quarum integritas

gritas virginalis tũ 1 à prophanis Authoribus, tum à ſacris celebratiſſima. Nullo miſcentur apes concubitu, nec libidine reſoluuntur, & tamen ſubito maximum filiorum examen emittunt 2 è folijs & herbis ore ſuo prolem legentes. 3 Vultures item aſſerunt eſſe virgines, atque ſine vllo maſculorum concipere ſemine, & ſine coniunctione generare; atque ex ijs natos diutiſſime viuere etiam ad annos centum. 4 Phœnix coitus corporeos ignorat (dicã Ambroſij verbis, quib9 enim poſſim elegantius?) libidinis neſcit illecebras, ſed de ſuo ſurgit rogo ſibi auis ſuperſtes, ipſa & ſui hæres corporis & cineris ſui fætus. Denique vermis ſine carnis commixtione naſcitur.

In pſ. 118. ſerm. 19

ANNOTATIONES.

1. *A prophanis.*] Et poetarum quidem princeps ita eas celebrat.

Lib. 3. Georg.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morẽ,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fætus nexibus edunt,

Verùm

Verùm ipsæ folijs natos, & suauibus herbis „
Ore legunt. „

2. *E folijs, herbisque*] Ita Aristoteles, qui & addit flores ex quibus fœtura proli futuræ colligatur, nempe flores cerinthi, arundinis, atque oleæ, quod postremum inde confirmat, quod cum oliuarum prouentus sit largior, tunc plura examina prodeant. Quemadmodum autem fiat ista prolificatio docet Plinius. Quod certum est, inquit, gallinarum modo incubant. Id quod exclusum est primum vermiculus videtur candidus iacens transuersus, adhærensque ita vt pascere videatur. Qui plura volet de ista re, legat sequentia Plinij.

Lib. 5. hist. animal. c. 21

Lib. 11. cap. 16.

Porro ex ista Apum sine commixtione sexuum generatione confirmat Lactantius potuisse nasci Christum de virgine matre. Ambrosius verò inde virgineos format mores. Quàm te velim, inquit, filia imitatricem esse huius apiculæ, cui cibus flos est; Ore soboles legitur, ore componitur. Cætera longè pulcherrimè vide apud illum.

Cap. 8. diui. Instit. l. 1.

Lib. 1. de Virginibus paulò post medium.

Lib. 5. cap. 20. 3. *Vultures.*] Ambrosius considerata ista vulturum integritate ita exclamat. Quid aiunt qui nostra solent ridere mysteria, cùm audiunt quod Virgo generauit, & impossibilem innuptæ, cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei Matre quod in vulturibus possibile non negatur? Auis sine masculo parit, & nullus refellit, & quia desponsata Virgo Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem.

4. *Phœnix.*] Vide Annotationem superiorem.

5. *Vermis.*] Et quoniam Christus sine carnali commixtione natus est de Virgine, ideo ex mente Augustini, vo-
Ps. 21. cat se per psalmographum vermẽ. Ego autem sum vermis & non homo. Cæterum si animantes istæ virginitatem colunt, cur eam non possint homines colere quibus tot ad eam stimuli atque cohortatores? Christi nempe atque sanctissimæ eius Matris exemplum, quorum vestigijs infinita vtriusque sexus multitudo tam fæliciter quàm gene-

generosè insistens, nescijt labem niuei pudoris: Tum integritatis & in ista & in futura vita perquam maxima præmia, quæ facilè concionatori occurrent, cùm nullum sit argumentũ quod à pluribus tractatum sit, quàm istud de laudibus virginitatis.

VITA.

§ 1.

VITAE breuitatis memoriá ingerunt animalia ephemera, ita dicta quod vnum tantum diem viuunt: ea ex fæce vini originem trahunt, apertoque dolio statim vt in lucem suscepta sunt, è vita excedunt.

Meminit Aristoteles [1] certæ bestiolæ apud Hypanim fluuium, quæ vnum diem viuit, [2] sub lucem enim matutinam nascitur, atque ad solis occasum extinguitur.

ANNOTATIONES.

1. *Certæ bestiolæ.*] De qua ita Plinius: *Lib. 11. cap. 36.* Hypanis fluuius in põto circa solstitiũ, defert

defert acinorum effigie tenues membranas è quibus erumpit volucris quadrupes, maioris muscæ magnitudinis, nec vltra diem viuit, vnde hemerobios vocatur.

2. *Sub lucem &c.*] Est itaque ei sol oriens infantia: meridianus, ætas consistens & virilis; occidens senilis & decrepita, & inde statim mors. Et quamquam mortalium vita nonnullis longior videatur, vt qui dies multos, quin & annos viuant, attamen multo est quàm istorum animalculorum breuior, si dies quidē ex Dei sensu atque Arithmetica metiamur, apud quem dies vna sicut mille anni; nemo autem adhuc vixit annos mille, neque igitur dié vnam, prout ea à Deo numeratur. Addo & alio sensu esse breuiorem, nisi
Ps. 101. mendaces sunt scripturæ, quæ vitam
4. & 12. nostram modò fumo, modò vmbræ,
Iacobi modò vapori comparant, quæ omnia
4. 15.
Iob 8. 9. eodem penè momento, quo se proferunt, euanescunt Est denique mortalium vita non breuissima modò & fugacissima, sed & quasi non esset, cuius

ius rei gratia vocatur à ſanctiſſimo Io- Cap. 7.
bo ipſum nihil: parce mihi inquit, ni- 16.
hil enim ſunt dies mei. Noſtrum eſt
igitur hoc vitæ puncto, & quaſi nihilo
non abuti ad libidines, ad deſideria
multa nociua & inutilia, quæ mergũt
homines in interitum & perditionem,
ad ſequendos honores, ad coaceruandas opes: at dum durat punctum iſtud,
& donec hodie (vt Paulinis vtar ver- Hebreo.
bis) cognominatur, vitam degere in 3. 13.
iuſtitia & ſanctitate, atque in timore
(vt loquitur Petrus) incolatus noſtri
tempore conuerſari. Denique quia tẽpus ita breue eſt, reliquum eſt vt & qui
habent vxores tanquam non habentes
ſint, & qui flent tanquam non flentes,
& qui gaudent tanquam non gauden- 1. Cor. 7
tes, & qui emunt tanquam non poſſi- 29. 30.
dentes, & qui vtuntur hoc mundo 31.
tanquam non vtantur, præterit enim
figura huius mundi.

VOLVPTAS, *Vide* MORTIFICATIO, GVLA, MVNDVS, MVSICA.

§ 1.

VOLVPTATIS malum esse exitum ideoque eam fugiendam, docebunt pastinacæ marinæ, quas ita irretiunt piscatores, saltant in naui & canunt quàm possunt suauissimè. Illæ verò tum musicæ concentu oblectatæ, tum saltatione, sese ad summam aquam efferunt, atque adnant propiùs: tum sensim recedentibus piscatoribus in parata retia incidunt. Itaque præter omnem expectationem dum voluptate totæ mulcentur, nihilque reformidant, inopinatò capiuntur. Vide aliud v. Musica § 2. Panthera miram ex sese odoris suauitatem emittit, quâ & ceteræ animantes mirè recreantur. Ipsa igitur cùm cibi est egens sese in loca fruticibus densis consita, vel folijs vestita ita occultat, vt inuentu difficilis, tantùm respiret. Tum hinnuli, dorcades, capreæ syluestres, atque alia huiusmodi ani-

animalia, quadam [2] suauis odoris illecebra attrahuntur, & proximè accedūt. Illa tum mox de latebra exiliens, prædam comprehendit, & quicquid sibi vsui futurum est, mactat.

ANNOTATIONES.

1. *Musicæ concentu &c.*] Tum musica ista, tum saltatio, tum qui postea sequitur pantheræ odor lōgè suauissimus, optimè referunt voluptatem quæcumque sit illa (quæ quidem citra animæ mortem gustari nequit) qua dæmon miserum hominem deceptum in nassam suam pertrahit, atque instar pantheræ summa crudelitate deuorat. Bruta quidem illa facile est excusare, eorumque imprudentiæ veniam dare, quando sibi structas insidias ignorant, neque norunt ita tristem fore luctuosumque voluptatis istius exitum; sed num id excusationis loco proferre possit qui peccat, quem toties tantaque efficacitate commonefaciunt scripturæ, in amaritudinem luctumque conuersum iri voluptates omnes? Quoties enim illa audiuit Sapientis? Risus dolo-

re miſcebitur,& extrema gaudij luctus
Pro. 14. occupat. Ne intuearis vinum (quod
13. idē de omni voluptate intellige) quan-
Pro. 23. 31. 32. do flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro
color eius; ingreditur blandè,ſed in no-
uiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut
regulus venena diffundet. Quoties il-
Cap. 8. lud Amos: conuertam feſtiuitates ve-
10. ſtras in luctum, & omnia cātica veſtra
in planctum, & inducam ſuper omne
dorſum veſtrum ſaccum,& ſuper omne
caput caluitium, & ponam eam quaſi
luctum vnigeniti, & nouiſſima eius
quaſi diem amarum. Quoties illud Iob
Cap. 20. auribus eius inſonuit, panis eius (vo-
14. luptatis quæ inſtar panis videtur refi-
cere) in vtero illius vertetur in fel aſ-
pidum intrinſecus. Cùm ſatiatus fue-
rit (voluptate, quæcumque ſit illa) ar-
ctabitur, æſtuabit, & omnis dolor ir-
ruet ſuper eum.

Peccantium mihi crede omnium tā-
dem erit iſta vox, quæ eadem & fuit
1. Mac. impij regis Antiochi: In quantam tri-
6. 11. bulationem deueni, & in quos fluctus
triſtitiæ in qua nunc ſum,qui iucundus
eram,

eram,& dilectus in potestate mea? Tribulatio enim & angustia (quantumuis fera sit) in omnem animam hominis operantis malum: quæ adeò vera sunt omnia, vt ijs penè quotidiana euenta peccantiumque supplicia, dolores, gemitus, anxietates, amaritudines, solicitudines, quæ in oculos incurrunt nostros, fidem concilient: quare prudenter monebat Aristoteles, vt voluptates contemplaremur non venientes, sed abeuntes: Venientes enim fucatâ specie blandiuntur: abeuntes verò pœnitentiam ac dolorem relinquunt; & quemadmodum (inquiebat Seneca) feras cum labore periculoque venamur, & captarum quoque sollicita possessio est, sæpe enim laniant dominos. Ita magnæ voluptates in magnum habentis malum euasere, captæque cepere. Quæ quo plures maioresque, eò ille minor, ac plurium seruus est, quem fælicem vulgus appellat. Longè est igitur brutis ipsis deterior homo, qui tot licet ab insano voluptatum amore tantorumque virorum clamoribus reuoca-

Rom. 1.

De vita brut. c. 14.

uoca-

uocatus, edoctusque nunquam illas læto fine claudi, non tamen ab ijs sese abstinet.

2. *Suauis odoris &c.*] Vnde patet contra quosdam, non solùm à brutis odores eos percipi, qui ad alimenta nõ pertineant (quod tum isto exemplo, tum canum venaticorum, qui florum odore, quo nimirum eorum tenentur sensus, impediuntur à ferarum inquisitione, planum fit) at etiam ijs delectari; Neque enim dici potest animalia ista, quæ pantheræ odorem etiam cum vitæ periculo sequuntur, id facre causâ alimenti (nec enim panthera cedit ijs in pabulum) igitur id ab ijs fit quod eius odore delectantur. Et sanè cum bruta ex alijs rebus accipiant oblectationem, cur eam quæ ex istis odoribus prouenit, ijs denegemus? Nam ideo concedimus hominem odoribus delectari, quia odores offeruntur eius appetitui tanquam vtiles conuenientesque naturæ: atqui simili ratione prædicti odores repræsentantur brutorum appetitui sub aliqua specie conuenientiæ,

tiæ, quæ pariat delectationem, quod patet isto exemplo ferarum panthe-ram insequentium: licet id dandum sit, bruta odoribus non tam insigniter capi, quàm homines, quod obseruatum à Scaligero est. *Exercitat. 33. in Cardanum.*

ZELVS.

§ 1.

ZELVM honoris Dei, boni-que Ecclesiæ status doceant canes, qui pro dominis suis eorumque tectis tuendis 1 ignotos at-que hostes allatrant.

ANNOTATIONES.

1. *Ignotos allatrant.*] Disce & tu (inquit Ambrosius, qui cum nobis *Lib. 6. cap. 4.* sese toto istius tractationis decursu fi-dum atque vtilem præstiterit viæ co-mitem, dignus est qui in ea extremùm loquatur) vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile Ecclesiæ oc-cursant lupi graues. Disce in ore tuo verbum tenere, ne quasi mutus canis


canis commissam tibi fidei custodiam quodam præuaricationis silentio deseruisse videaris.

ATque hæc de morum disciplina à brutis petenda, pro exemplorum quidem quæ occurrebant multitudine, pauca :at pro instituti mei ratione multa satis . Nempe id mihi ferè labore isto propositum fuit ; vt flagrantis caniculæ æstum , afflictamque ab eo valetudinem iucundiore aliquo studio, quodque minorem animi contentionem, attentionemque postularet, nonnihil leuare conarer. Quod si & id insuper assecutus ero , vt labor iste quamquam leuior , bono publico vsui futurus sit; erit sanè quod mihi gratuler , cum priuatum bonum meum , à communis boni ratione (quam & Christi Domini disciplina , peculiarique Societatis IESV institutione in omnibus spectare debemus) deprehendam non alienum extitisse . Quod & animos addet, vt

vt (ſi id quidem è re publica atque animorum futurum ſit) ad opuſculum iſtud locupletandum, animum appellam.

Ad maiorem Dei Opt. Max. Virginiſque Matris gloriam.

FINIS.





Errata.

PAg. 6. in titulo lege virtutum. p. 9. l. accommodet. Ibidem l. 4. in fine dele eum. p. 23. l. assequatur. p. 24. l. dic quomodo. p. 89. l. pura vi. p. 93. l. At quibus inquies? Tunc &c. p. 94. linea vlt. ante Neque verò pone §. 3. p. 97. l. extremam. p. 100. numquid l. num quid. p. 104. l. equum, mulum. p. 112. l. coniugum. p. 118. l. cui nomen. p. 139. pone punctum post præstat. & lege: Depræhendet item. p. 142. l. innitatur. p. 144. l. ceruas. p. 159. l. in Accipitre. p. 172. l. confertis. p. 184. l. ipse. p. 187. l. Verùm & à Dei cultu. p. 196. l. conuersionibus. p. 205. l. mutuata p. 219. l. distinctione. p. 225. l. cerui. p. 236. l. insigniuit. p. 240. l. tùm ijs. p. 292. l. indicem. p. 315. l. næ. p. 325. Honor &c. lege tanquam nouum titulum. p. 331. l. peculam. p. 334. lin. vlt. post reformidant, pone punctum. p. 348. lin. 3. l. nam quemadmodum. p. 355. l. indicem. p. 356. l. ceruus. p. 363. l. vltròque. p. 366. qua quidem re vsque ad probri, include parenthesi. p. 372. tota l. tot à. p. 381. l. pen. l. iubilus. p. 390. id neque, dele id. p. 396. in margine. l. in cap. 6. 2. p. 401. in margine l. Plutarchus. p. 407. l. altoii. p. 415. l. efferunt. p. 445. lin. 10. dele enim. p. 519. l. pura. p. 527 l. librat. p. 545. l. defecerant. p. 547. l. de se. p. 549. V. Respublica, lege ista consequenter Labor §. 2. Religio &c. neque enim Religio est nouus titulus. p. 573. lin. 6. ipsa. p. 586. l. vlt. Ita tibi. p. 588. lin. 20. de qua. p. 603. l. Manucodiata.

11